

PRAELECTIONES
DOGMATICAE

QUAS

IN COLLEGIO DITTON-HALL HABEBAT

CHRISTIANUS PESCH S. J.

TOMUS VI

DE SACRAMENTIS IN GENERE. DE BAPTISMO
DE CONFIRMATIONE. DE EUCHARISTIA

FRIBURGI BRISGOVIAE

TYPOGRAPHES EDITOR PONTIFICIUS

MCMXIV

ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE, LONDINT, S. LUDOVICI

DE SACRAMENTIS

PARS I

DE SACRAMENTIS IN GENERE. DE BAPTISMO
DE CONFIRMATIONE. DE EUCHARISTIA

TRACTATUS DOGMATICI

AUCTORE

CHRISTIANO PESCH S. J.

EDITIO QUARTA

librarij

 -n.. FATHERS
WE, RFD #3, BOX #153

MW, << *

FRIBURGI BRISGOVIAE

B. HERDER

TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS

MCMXIV

ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAЕ, MONACHII. VINDOBONAE, LONDINI S. LUDOVICI

Imprimi potest

Paulus de Chastonay S. J.
Vice Provincialia

Imprimatur

Friburgi Brisgoriae, die 1 Iulii 1914

ϕ Thomas, Àrchiepps

Omuia iura reservantur

Typis Herderianis, Friburgi Brisgovuo
(tortMiiy

INDEX PARTIUM.

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

	Pag.
Praenotanda de materia et divisione huius tractatus.....	1

SECTIO I.

DE ESSENTIA ET EXSISTENTIA SACRAMENTORUM.

ART. I.

DE NOMINE SACRAMENTI

ART. II.

DE DEFINITIONE SACRAMENTI.

Prop. I. Sacramentum recte definitur: Signum sensibile a Deo perenniter institutum ad significandam gratiam sanctificantem et ad conferendam usu suo seu applicatione sanctificationem eo modo, quo convenit oeconomiae salutis, ad quam signum illud pertinet	7
Schol. 1. De multiplici significatione sacramentorum	
Schol. 2. Cur variae res sacramentis affines non sint sacramenta	11
Schol. 3. Utrum sacramentum sit ens reale an ens rationis	11

ART. III.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM.

Prop. II. Sacramenta novae legis physice perficiuntur rebus tamquam materia et verbis tamquam forma	12
Coroll. 1. Probabilius est materiam et formam esse partes constituentes sacramentorum.....	15
Coroll. 2. Verba cum materia coniungenda sunt	15
Schol. Sacramenta veteris testamenti non constabant materia et forma	16

ART. IV.

DE EXSISTENTIA SACRAMENTORUM, PRO QUADRUPplici STATU GENERIS HUMANI.

Prop. III. In statu originalis innocentiae nullum sacramentum exstitit	17
I. Nulla est ratio affirmandi fuisse in statu innocentiae sacramenta	17

Index partium.

	rag.
II. Num, si status innocentiae diutius durasset, conveniens futura fuisset institutio sacramentorum.....	18
Schol. Matrimonium Adae et Evae non fuit sacramentum presse dictum	19
Prop. IV. In statu legis naturae exstitit remedium a Deo institutum ad libe- randos infantes a peccato originali, quod remedium probabilius fuit sacramentum.....	19
I. Exstitit in lege naturae remedium pro salute infantium	20
II. Hoc remedium probabilius fuit sacramentum.....	21
Schol. 1. Cur nihil revelatum sit de illo ritu	22
Schol. 2. Num melior fuerit condicio infantium in lege naturae	22
Schol. 3. Num in lege naturae etiam alia fuerint sacramenta	23
Prop. V. In lege vetere vera sacramenta existebant - - -	23
I. Fuerunt in vetere lege sacramenta.....	23
II. Quaenam fuerint sacramenta veteris legis	24
Schol. Pro puellis iudaeorum perseverabat sacramentum legis naturae .	26
Prop. VI. In lege nova existunt sacramenta	26

SECTIO II.

DE NUMERO SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS.

Prop. VU. Septem sunt novae legis sacramenta.....	
Schol. Cur S. Scriptura non loquatur de numero septenario	33
Schol. 2. De convenientia numeri septenarii.....	33
Schol. 3. De ordine enumerationis sacramentorum.....	
Schol. 4. Non omnia sacramenta sunt singulis hominibus necessaria .	35
Prop. VIII. Ex modo, quo SS. Patres de sacramentis loquuntur, seria diffi- cultas contra septenarium sacramentorum numerum moveri non potest	35
Schol. 1. De quibusdam scriptoribus orientalibus male sacramenta enu- merantibus	39
Schol. 2. De lotione pedum ut caerimonia sacra	40
Schol. 3. Lotionem pedum a Christo non fuisse institutum sacramentum novae legis	41

SECTIO III.

DE EFFICACIA SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS.

ART. I.

DE PRIMARIO EFFECTU SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS,
QUI EST GRATIA.

Prop. IX. Omne signum, quod in nova lege ex praecepto Dei hominibus applicandum est ad significandam gratiam, est etiam efficax ad pro- ducendam gratiam.....	41
Schol. De sacramentis vivorum et mortuorum	46
Prop. X. Sacramenta novae legis gratiam sanctificantem conferunt ex opere operato.....	46
Schol. 1. Quo sensu fides sit causa iustificationis.....	51
Schol. 2. Quomodo theologi explicaverint opus operatum	52
Schol. Verba sacramentalia esse consecratoria	55
Prop. XI. Unum idemque sacramentum, quantum ex se, in omnibus susci- pientibus causât aequalem gratiam; diversa vero sacramenta diversas	

- Prop. XVIII. Christus qua homo omnia sacramenta immediate instituit .
 Schol. Quomodo Christus habeat potestatem excellentiae circa sacra-
 menta
- Prop. XIX. Christus materiam et formam sacramentorum ita determinavit,
 ut eas substantialiter mutare non **liceat**.....
 Schol. Quae ecclesia de sacramentorum administratione praescribit,
 diligenter servanda **sunt**.....

SECTIO V.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

ART. I.

DE PERSONA MINISTRI.

- Prop. XX. Solus homo viator est ordinarius minister sacramentorum; at-
 tamen non omnis homo omnia sacramenta administrare potest, sed
 is tantum, qui ad hoc specialiter consecratus vel deputatus est, ut
 personam Christi gerens ritum sacramentalem ponat

ART. II.

DE FIDE ET PROBITATE MINISTRI.

- Prop. XXI. Valor sacramentorum neque a fide neque a probitate ministri
 pendet.....
 I. Valor sacramentorum non pendet a fide ministri — — — —
 II. Valor sacramentorum non pendet a probitate ministri
 Schol. De S. Basilii et aliorum **sententia**.....
 Prop. XXII. Minister, ut licite administret sacramenta, debet esse in statu
 gratiae.....
 Schol. 1. Num peccator obligetur ad confessionem ante administrationem
 sacramentorum.....
 Schol. 2. Num status gratiae ad alias functiones sacras requiratur
 Schol. 3. Quoties peccet, qui in statu peccati mortalis audit con-
 fessiones

ART. III.

DE INTENTIONE MINISTRI.

- Prop. XXIII. Ad valide conficienda sacramenta debet minister saltem habere
 intentionem faciendi quod facit **ecclesia**.....
 Coroll. 1. Ergo non requiritur ad valorem sacramenti, ut minister sit
attentus.....
 Coroll. 2. Intentio debet esse aut formaliter aut aequivalenter ab-
 soluta
- Prop. XXIV. Ad valide conficienda sacramenta non sufficit intentio mere
 externa, sed requiritur **interna**.....
 Schol. 1. Sententia adversariorum est practice inutilis
 Schol. 2. De intentionibus **contrariis**.....

ART. IV.

DE OBLIGATIONE MINISTRI DANDI AUT DENEGANDI
SACRAMENTA.

	Pag.
Prop. XXV. Minister sacramentorum sub certis condicionibus obligatur, sive ex caritate sive ex iustitia, ad administranda sacramenta	132
Prop. XXVI. Minister sub certis condicionibus debet sacramenta indignis denegare	134
Schol. 1. Licetne sacramentum administrare ei, qui secus minatur mortem ?.....	137
Schol. 2. Licetne ad cavendam indignam susceptionem aliquando simulare sacramentum ?.....	137

SECTIO VI.

DE SUBIECTO SACRAMENTORUM.

ART. I.

QUIS SIT CAPAX RECIPIENDI SACRAMENTA.

Prop. XXVII. Subiectum capax recipiendi sacramenta cum effectu est solus homo viator; non tamen omnis homo est subiectum capax omnium sacramentorum.....	138
Schol. De obligatione suscipiendi sacramenta	139

ART. II.

DE INTENTIONE SUSCIPIENDI SACRAMENTA.

Prop. XXVIII. Ad valorem sacramentorum in adultis requiritur intentio ea suscipiendi	140
---	-----

ART. III.

DE FIDE ET PROBITATE SUBIECTI SACRAMENTORUM.

Prop. XXIX. Ad validam tantum sacramentorum susceptionem, excepto sacramento paenitentiae, neque probitas neque fides subiecti requiritur	141
Schol. De reviviscentia sacramentorum — — — — —	142
Prop. XXX. Ad sacramenta licite et cum fructu recipienda requiritur dispositio suscipientis adulti	144
Prop. XXXI. Ad licitam sacramentorum susceptionem praeterea requiritur, ut a debito ministro petantur	146

APPENDIX.

DE SACRAMENTALIBUS.

Prop. XXXII. Sacramentalia sunt vel caerimoniae sacrae ab ecclesia institutae vel res ab ecclesia ad pium fidelium usum benedictae	149
Prop. XXXIII. Sacramentalia neque gratiam sanctificantem producuunt neque alias gratias conferunt ex opere operato sed per modum impetrationis ecclesiae	154

X	Index partium.	Pag.
Prop. XXXIV.	Quae sit singulorum sacramentalium specialis efficacia, tum ab eorum natura tum ab intentione ecclesiae pendet	155
Prop. XXXV.	Sacramentalia quaedam ex praecepto observari, omnia cum reverentia tractari debent — — — — — — — — — —	158

TRACTATUS II.
DE BAPTISMO.

Praenotanda	160
-------------	-----

SECTIO I.

DE EXSISTENTIA ET ESSENTIA SACRAMENTI BAPTISMI.

ART. I.

DE EXSISTENTIA BAPTISMI.

Prop. XXXVI.	Baptismus est verum novi testamenti sacramentum	161
Schol. 1.	Quo tempore sacramentum baptismi sit institutum	163
Schol. 2.	De baptismo ioannis	165

ART. II.

DE ESSENTIA BAPTISMI.

Prop. XXXVII.	Materia remota valida baptismi est omnis et sola aqua naturalis, materia autem licita baptismi sollemnis est aqua ad baptizandum consecrata et decenter munda	166
	I. Materia valida est omnis et sola aqua	166
	II. Materia licita baptismi sollemnis est aqua ad baptizandum consecrata et munda	168
Prop. XXXVIII.	Materia baptismi proxima est ablutio aquae, sive per immersionem sive per infusionem sive per aspersionem	170
	I. Materia proxima baptismi est ablutio	170
	II. Baptismus fieri potest sive per immersionem sive per infusionem sive per aspersionem	172
Schol.	De trina ablutione	174
Prop. XXXIX.	In forma baptismi essentialis est distincta expressio De unius et trini	175
Schol. 1.	Solvuntur variae quaestiones de forma baptismi	180
Schol. 2.	De quibusdam dictis S. Ambrosii et Nicolai I	181
Prop. XL.	In forma baptismi exprimi debet tum actio baptizantis tum subiectum baptismi	183
Schol. 1.	Num debeat exprimi persona ministri .	184
Schol. 2.	De vocabulo christianizandi	184

SECTIO II.

DE EFFECTU BAPTISMI.

Prop. XLI.	Effectus baptismi est regeneratio spiritualis, quae consistit in remissione omnis reatus culpae et poenae et in infusione gratiae et donorum, quibus homo fit vivum membrum mystici corporis Christi .	185
------------	--	-----

	Pag.
Index partim.	XI
Baptismo remittitur omnis reatne culpae et poenae	185
II. Baptismo infunduntur habitus gratiae et donorum	186
III. Baptismo homo regeneratur et fit vivum membrum mystici corporis Christi	187
Coroll. I. Ergo baptismus iterari nequit	189
Coroll. 2. Ergo baptizatis imponenda non sunt opera eatisfactoria	189
Schol. Manet in baptizatis concupiscentia	189

SECTIO III.
DE NECESSITATE BAPTISMI.

ART. I.

DE BAPTISMO FLUMINIS.

Prop. XLII. Baptismus fluminis necessarius est omnibus hominibus necessitate medii sive absoluta sive hypothetica	190.....
Coroll. Ergo pueri sine baptismo fluminis salvi fieri nequeunt	193
Schol. Quando inceperit haec baptismi necessitas	194

/ 2

ART. II.

DE BAPTISMO FLAMINIS.

f *

Prop. XLIII. Principalis effectus baptismi etiam per votum baptismi obtineri potest — — — —	194
Schol. 1. Num desiderium baptismi necessario sit explicitum	196
Schol. 2. Quo sensu actus caritatis dicatur supplere baptismum in casu necessitatis.....	197.....

ART. III.

DE BAPTISMO SANGUINIS.

Prop. XLIV. Baptismus quoad remissionem omnis culpae et poenae tum in adultis tum in infantibus suppleri potest martyrio	198
Schol. Quae dispositio in adulto requiratur, ut effectum martyrii consequi possit.....	200.....

SECTIO IV.

DE SUBIECTO BAPTISMI.

ART. I.

DE BAPTISMO ADULTORUM.

Prop. XLV. Subiectum baptismi est imprimis omnis homo adultus nondum baptizatus.....	201.....
Schol. 1. Quando praeceptum suscipiendi baptismum hominem adultum obliget.....	203.....
Schol. 2. Utrum ad valorem baptismi requiratur expressa voluntas recipiendi baptismum, an sufficiat voluntas generalis faciendi omnia ad salutem necessaria.....	204.....
Schol. 3. Num praeceptum suscipiendi baptismum etiam obligaverit beatam virginem Mariam et apostolos	205.....

ART. II.

DE BAPTISMO INFANTIUM.

	P.g.
prop. XLVI. Infantes capaces sunt baptismi fructuose recipiendi	205
prop. XLVII. Infantes parentum Christianorum omnino baptizari debent, etiam antequam ad usum rationis pervenerint.....	207
Sehol. 1. De sententia, infantibus baptismum esse differendum, ut ipsi possint consentire	209.....
Sehol. 2. Num parvuli in utero inclusi valide baptizari possint .	210
Prop. XLVIII. Infantes infidelium invitis parentibus valide quidem sed non licite baptizantur.....	211.....
Sehol. Num possint principes christiani praecipere subiectis infidelibus, ut baptismum filiorum suorum permittant	214.....

SECTIO V.

DE MINISTRO BAPTISMI.

Prop. XLIX. Minister baptismi sollemnis ex officio est episcopus vel parochus, ex delegatione vero quilibet sacerdos aut in casu necessitatis diaconus	214
Prop. L. Quilibet homo utens debita materia et forma et intentione valide baptizat, et in casu necessitatis etiam licite, dummodo ordo praescriptus servetur	217
Sehol. Num plures possint simul baptizare.....	219
Prop. LI. Praeter ministrum in baptismo sollemni requiritur patrimis	219

SECTIO VI.

DE CAERIMONIIS BAPTISMI.

Prop. LU. Convenienter institutae sunt caerimoniae baptismi	222
---	-----

TRACTATUS III.

DE CONFIRMATIONE.

Praenotanda	226
-------------	-----

SECTIO I.

DE EXSISTENTIA ET ESSENTIA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

ART. I.

DE EXSISTENTIA CONFIRMATIONIS.

Prop. LIII. Confirmatio est verum novi testamenti sacramentum	227
Sehol. Quandonam instituta sit confirmatio	235

ART. II.

DE ESSENTIA CONFIRMATIONIS.

	Pag.
Prop. LIV. Materia remota confirmationis est chrisma ab episcopo benedictum	285
Sehol. 1. Num ecclesia simplici sacerdoti facultatem concedere possit conficiendi chrismatis	238
Sehol. 2. Num oleum necessario debeat esse chrisma — — — —	239
Prop. LV. Materia proxima confirmationis est unctio chrismate in fronte confirmandi in modum crucis manu facta	239
I. Materia proxima confirmationis est chrismatio — — — —	240
II. Ad essentiam confirmationis non alia requiritur impositio manus, nisi quae in ipsa unctione chrismatis habetur — — — —	242
Coroll. 1. Ergo unctio chrismatis non est pura caerimonia	243
Coroll. 2. Unctio non potest valide fieri instrumento — — — —	244
Prop. LVJ. Forma confirmationis est haec: „Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti vel alia aequivalens	244
Sehol. Quomodo haec forma sit oratio	248

SECTIO II.

DE EFFECTU CONFIRMATIONIS.

Prop. LVII. Effectus confirmationis est augmentum gratiae sanctificantis et impressio characteris	248
I. Confirmatio auget gratiam	248
II. Alter effectus confirmationis est impressio characteris	250

SECTIO III.

DE SUBIECTO ET NECESSITATE CONFIRMATIONIS.

Prop. LVIII. Subiectum confirmationis est omnis homo baptizatus	251
---	-----

SECTIO IV.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.

Prop. LIX. Minister ordinarius confirmationis est episcopus	254
Sehol. De officio episcopi circa confirmationem.....	255
Prop. LX. Extraordinarius confirmationis minister quivis presbyter esse potest	256
Sehol. De caerimoniis confirmationis.....	259

TRACTATUS IV.
DE EUCHARISTIA.

Praenotanda	Pag. 261
-------------	-------------

SECTIO I.

DE REALI PRAESENTIA CHRISTI IN EUCHARISTIA.	263
---	-----

ART. I.

DE VERITATE REALIS PRAESENTIAE.

§ 1. ARGUMENTA SCRIPTURISTICA.

Prop. LXI. Verbis, quae refert S. Ioannes 6, 52 sqq, Christus promisit se velle nobis carnem suam et sanguinem sensu proprio in cibum et potum dare.....	269
Schol. 1. De difficultate quadam ex SS. Patribus petita	275
Schol. 2. De typis ss. eucharistiae	275
Prop. LXII. Quod Christus apud Io 6 promisit, hoc in ultima cena praestitit dando apostolis verum corpus et sanguinem suum ad manducandum et bibendum sub figuris panis et vini	276
Schol. De vi et significatione propositionis practicae	284

§ 2. ARGUMENTA TRADITIONIS.

Prop. LXIII. Consensus Patrum trium primorum saeculorum dogma realis praesentiae ab apostolis traditum esse ostendit .	285
Prop. LXIV. Catholica de eucharistia doctrina constat ex testimoniis posteriorum Patrum graecorum	293
Prop. LXV. Catholica de eucharistia doctrina probatur ex consensu posteriorum Patrum latinorum	299
Prop. LXVI. Dogma realis praesentiae probatur ex consensu ecclesiae, quae variis documentis aetate SS. Patrum posterioribus manifestatur	307
I. Definitiones conciliorum et pontificum.....	308
II. Disputationes de ss. eucharistia saec. IX factae	309
III. Doctrina scholasticorum	311
Prop. LXVII. Cum ecclesia catholica de veritate realis Christi in eucharistia praesentiae consentiunt omnes sectae orientales	312
Prop. LXVIII. Fides realis praesentiae constat ex omnibus liturgiis .	313

ART. II.

DE TRANSSUBSTANTIATIONE.

Prop. LXIX. Realis Christi in eucharistia praesentia efficitur transsubstantiatione panis et vini in corpus et sanguinem Christi	321
Schol. Quid sit transsubstantiatio active spectata	332

ART. III.

DE OBIECTIVA REALITATE SPECIEBUM SACRAMENTALIUM.

Prop. LXX.	Speciebus eucharisticis obiectiva realitas convenit	336
Schol. 1.	De actionibus et passionibus specierum — — — — —	343
Schol. 2.	De mixtione specierum cum materia non consecrata	345
Schol. 3.	De apparitionibus Christi ineucharistia — — — — —	346

ART. IV.

DE MODO REALIS PRAESENTIAE CHRISTI IN SACRAMENTO.

Prop. LXXI.	Christus totus est sub utraque specie sacramentali	346
Prop. LXXH.	Christus totus est in qualibet parte specierum, non solum separatione facta, sed etiam ante separationem — — — — —	350
I.	Christus totus est in singulis partibus separatione facta	350
II.	Christus est in singulis partibus ante separationem	350
Schol. 1.	Num Christus in sacramento sit cum sua quantitate	352
Schol. 2.	Quae unio intercedat inter Christum et species sacramentales	353
Schol. 3.	De denominationibus, actionibus, passionibus Christi in eu- charistia	355

SECTIO II.

DE SS. EUCHARISTIA, UT EST SACRAMENTUM.

ART. I.

DE EXSISTENTIA ET ESSENTIA SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

§ 1. DE EXSISTENTIA SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

Prop. LXXIII.	Sacra eucharistia est verum novi testamenti sacramentum	357
Schol. 1.	De definitione huius sacramenti.....	357
Schol. 2.	Utrum eucharistia sit unum sacramentum an plura	358

§ 2. DE ESSENTIA SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

Prop. LXXIV.	Materia remota, ex qua eucharistia conficitur, est panis tri- ticeus et vinum de vite	358
Schol. 1.	In ecclesia latina panis debet esse azymus, in ecclesia vero graeca fermentatus	361
Schol. 2.	Vino „ante consecrationem aqua modicissime admisceri debet	362
Schol. 3.	Materia consecranda debet esse praesens sacerdoti consecranti	363
Prop. LXXV.	Materia proxima huius sacramenti est corpus et sanguis Christi simul cum speciebus eucharisticis.....	363
Prop. LXXVI.	Forma consecrandae eucharistiae sunt verba Christi: „Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus	365
Coroll.	Christum iisdem verbis consecrasse, quibus nunc fit consecratio	369
Schol. 1.	De sensu epiclesis	370
Schol. 2.	De duplici sensu verborum consecrationis	371
Prop. LXXVH.	Eucharistia est sacramentum permanens	372
Schol. 1.	Num verba sint forma constitutiva huius sacramenti	373
Schol. 2.	Num pluribus formis a pluribus ministris prolatis eadem materia consecrari possit	374

ART. II.

DE EFFECTU SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

	Png.
Prop. LXXVIII. Effectus sumptionis eucharistiae est augmentum gratiae sanctificantis et specialis animae et corporis cum Christo unio	374
I. Effectus eucharistiae est augmentum gratiae sanctificantis .	374
II. Effectus eucharistiae est specialis animae cum Christo unio	376
III. Effectus eucharistiae est specialis unio Christi cum corpore nostro	377
Schol. 1. Quando eucharistia effectum producat	878
Schol. 2. Num eucharistia possit unquam primam gratiam conferre .	379
Schol. 3. Num eucharistiae sacramentum possit reviviscere	380
Schol. 4. Num peccatum veniale et distractio impediatur fructum sacramenti .	380

ART. III.

DE NECESSITATE SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

Prop. LXXIX. Eucharistia non est ad salutem necessaria necessitate medii	381
Schol. 1. Necessitas aliqua eucharistiae latiore sensu admitti potest .	382
Schol. 2. Neque votum eucharistiae necessarium est .	382
Prop. LXXX. Eucharistia necessaria est necessitate praecepti divini et ecclesiastici.....	382.....
I. Eucharistia necessaria est necessitate praecepti divini	382
II. Eucharistia necessaria est necessitate praecepti ecclesiastici	384
Prop. LXXXI. Nullum est praeceptum divinum, quo non sacrificantibus praecipiat communio sub utraque specie.....	385
Schol. 1. Quae rationes suadeant usum eucharistiae sub una specie .	387
Schol. 2. Num plus gratiae accipiatur per sumptionem utriusque speciei quam unius tantum	387

ART. IV.

DE SUBIECTO SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

Prop. LXXXII. Subiectum sacramenti eucharistiae est solus et omnis homo baptizatus	388
I. Solus homo baptizatus est subiectum huius sacramenti	388
II. Omnis homo baptizatus est subiectum huius sacramenti	388
Schol. 1. De spirituali communione	389
Schol. 2. De praecepto sumendi eucharistiam ante omnem alium cibum et potum	390

ART. V.

DE MINISTRO EUCHARISTIAE.

Prop. LXXXIII. Minister conficiendae eucharistiae est sacerdos, distribuendae vero eucharistiae minister ordinarius ex officio est sacerdos habens jurisdictionem, ex delegatione vero quivis sacerdos, extraordinarius autem diaconus	390
I. Solus sacerdos est minister conficiendae eucharistiae .	391
II. Solus sacerdos est minister ordinarius distribuendae eucharistiae .	391
III. Extraordinarius minister eucharistiae ex delegatione est diaconus .	392
Schol. De obligatione dandi aut denegandi eucharistiam	392

SECTIO III.

DE SACRIFICIO MISSAE.

Praenotanda de sacrificio in genere	Pag. 393
-------------------------------------	-------------

ART. I.

DE VERITATE SACRIFICII MISSAE.

§ 1. DE VATICINIIS, QUAE AD SACRIFICIUM MISSAE
REFERUNTUR.

Prop. LXXXIV. Veritas sacrificii missae constat ex vaticinio Malachiae 1, 1 1	403
Prop. LXXXV. Veritas sacrificii missae constat ex aliis vaticiniis veteris testamenti.....	407.....

§ 2. DOCTRINA NOVI TESTAMENTI DE SACRIFICIO MISSAE.

Prop. LXXXVI. Veritas sacrificii missae constat ex verbis constitutionis eucharistiae.....	410.....		
Schol. De lectione Vulgatae.....	414.....		
Prop. LXXXVII. Doctrina S. Pauli plane concordat cum dogmate sacrificii missae.....	415.....	J 3	£ i

§ 3. DOCTRINA TRADITIONIS DE SACRIFICIO MISSAE.

Prop. LXXXVIII. Veritas sacrificii missae constat ex traditione	418
Schol. De nomine missae	427

ART. II.

DE ESSENTIA SACRIFICII MISSAE.

Prop. LXXXIX. Missa est sacrificium essentialiter repraesentativum sacri- ficii crucis	428.....		
I. Missa ex institutione Christi est sacrificium repraesentativum crucis	428.....		
II. Repraesentatio passionis Christi missae essentialis est	429		
Prop. XC. Essentia missae ut veri sacrificii in eo consistit, quod Christus per consecrationem Deo offertur.....	431.....		
I. Christus est res oblata in sacrificio missae	431		
II. Christus offertur per consecrationem.....			
Prop. XCI. Consecratio eatenus habet rationem actionis sacrificialis, qua- tenus per eam producit Christus in statu mysticae mactationis, dum vi verborum corpus et sanguis Christi separatim ponuntur sub speciebus panis et vini, et hac ratione mactatio cruenta in cruce facta Deo offertur	436		
I. In missa actio sacrificialis ita circa rem sanctificandam versatur, ut per hanc actionem producat victimam	436		
II. Per consecrationem Christus ponitur in statu victimae, quatenus vi verborum sanguis eius a corpore separatur	437		
Coroll. Utrum missa sit idem an aliud sacrificium atque sacrificium crucis	442.....		

AKT. III.

DE EFFICACIA SACRIFICII MISSAE.

	P«g
Prop. XCII. Missa est sacrificium latreuticum et eucharisticum, quod recte etiam in honorem sanctorum offerri potest	444
I. Missa est sacrificium latreuticum et eucharisticum	444
II. Missae in honorem sanctorum offerri possunt - - - -	445
Prop. XCIII. Missa est sacrificium propitiatorium et impetratorium	445
Schol. 1. De valore sacrificii missae infinito aut finito	448
Schol. 2. De intehtione prima et secunda -.....	450
Schol. 3. De fructu missae generali, speciali, specialissimo	450
Schol. 4. Num sacerdos ex praecepto divino teneatur aliquando celebrare	451
 Index alphaheticns	 453

TRACTATOS I. DE SACRAMENTIS IN GENERE.

PRAENOTANDA DE MATERIA ET DIVISIONE HUIUS TRACTATUS.

1. Tractatus de sacramentis pertinet ad eam partem theologiae, qua agitur de *Deo sanctificatore*. Sacramenta enim sunt media quaedam externa, quibus Deus satisfactionem et merita Christi hominibus applicat, gratiam sanctificantem et virtutes supernaturales in animas hominum infundendo.

2. Potuit quidem Deus homines sanctificare nulla adhibita re externa et visibili; attamen multo *convenientius* elegit oppositum modum. Nam:

a) humanae naturae proprium est per corporalia et sensibilia duci ad spiritualia et intellegibilia;

b) quia homo corporalibus maxime allicitur ad peccatum, per corporalia quoque medicinam spiritualem applicari convenit;

c) si homo sanctificatione mere interna totaliter abstraheretur a corporalibus, timendum esset, ne naturali inclinatione ductus ad exercitia superstitiosa declinaret; quod ut caveretur, salubriter ea sanctificationis ratio instituta est, qua homo corporalia secundum Dei praeceptum agendo simul et viam securam et signum certum internae sanctificationis haberet.

„Sic igitur per sacramentorum institutionem homo convenienter suae naturae *eruditur* per sensibilia, *humiliatur* se corporalibus subiectum cognoscens, dum sibi per corporalia subvenitur; *praeservatur* etiam a noxiis actionibus per salubria exercitia sacramentorum“ (*S. Thom.*, S. theol. 3, q. 61, a. 1).

3. Quae cum *S. Augustinus* intellexisset, „in nullum“, inquit, „nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur; quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum et ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas“ (*Contra Faustum* l. 19, c. 11 ; Af 42, 355). Atque haec quidem adeo vera sunt, ut nulla umquam ne ethnica quidem religio fuerit, cuius cultores sanctificationis gratia rebus quibusdam et signis externis non uterentur.

Cum igitur humanae naturae consonum sit adhibere signa externa ad res immateriales significandas, cumque quaedam res sua natura aptae sint ad certos conceptus mentis repraesentandos, mirum non est in variis religionibus *similia* signa sacramentalia inveniri, e. g. lavationem corporalem ad significandam mundationem spiritualem. Quare alienum a ratione est, statim ubi signa sacramentalia similia reperiuntur, suspicari vel etiam affirmare factam esse horum signorum ex alia in aliam religionem transmigrationem. Nihilominus non desunt, qui hoc similitudinis argumento usi, Christianorum sacramenta ex quibusdam gentilium ritibus derivare audeant, maxime ex *Mithrae* mysteriis.

Quia fieri nequit, ut hoc loco singula inspiciamus, quaedam in genere saltem notasse iuverit: a) Etiam in re religiosa, sicut in omni alia, absonum est ad explicationes longe quaesitas recurrere, quoties res explicanda ex internis et propriis rationibus sufficienter intellegitur. Atqui sine ullo recurso ad mysteria gentilium sacramenta Christianorum eorumque origo explicatur. Ergo contra sanam rationem est eorum originem et indolem explicare velle ex cultibus alienis, b) Isti cultus, ad quos provocant, magnam propagationem non habuerunt nisi tertio fere vel quarto saeculo post Christum; sacramenta autem statim ab initio religionis Christianae adfuerunt. Ergo supponendum non est, etsi res mere naturaliter consideratur, apostolos ritus sacros e gentilium mysteriis hausisse, c) Inter veteres scriptores Christianos plures sunt, qui e gentilismo conversi notitiam rituum gentilium habuerunt vel hanc notitiam aliunde acceperunt. Sed hi omnes cultum gentilium maximo horrore abominantur. Ita *S. Iustinus M.* obicit gentilibus, quod in Saturni mysteriis humanum sanguinem fundant, quod Iovem imitentur stupro et incestu. „Sed quia ab his institutis et ab eiusmodi facinorum auctoribus et imitatoribus refugiendum suademus . . . , propterea variis modis oppugnamur" (Apol. II, n. 12; *J/* 6, 466; cf. Apol. I, n. 9 21 25 62 64 66). *S. Theophilus Antioch.*: „Quid matris illius, quae dicitur, deorum aut Iovis Latiaris sanguinem humanum sitientis aut Attidis castrati lascivias referam? . . . Taceo templa Antinoi et ceterorum, quos vocant, deorum. Risum enim, dum narrantur, cordatis viris excutiunt. . . . Procul autem absit a christianis, ut iis quidquam huiusmodi facere in mentem veniat" (Ad Autol. 1. 3, n. 8 15; *M* 6, 1134 1142). Fusius abominationes cultus gentilium describit *Tertullianus*, et eos alloquitur: „Vos contemnunt christiani. . . . Erubescat error vester christianis" (Apol. c. 9; *M* 1, 314 sqq). Multa quoque in eundem sensum habet *Minucius Felix*. Quibus clare ostenditur, quantum abfuerit, ut primi christiani imitarentur cultum gentilium (cf. *S. Augustinus*, De civitate Dei 1. 2 et 7). d) Scriptores ecclesiastici non raro utuntur terminis in cultu falsorum deorum adhiberi solitis, ut *Clemens Alexandrinus* in Cohortatione 12; sed, ut ipse ibidem annotat, hoc faciebant, ut facilius a gentilibus intellegerentur (*M* 8, 239).

Negandum non est praecipue posterioribus saeculis terminos sacrales gentilium a scriptoribus Christianis usurpatos esse, quando scilicet et quia hi termini omnibus noti erant. Nomina enim nota aptiora sunt ad docendum quam nomina minus nota. Ceterum haec nomina, quod doctrinam de re sacramentaria attinet, in publicum ecclesiae usum non transierunt. Ecclesia septem habet sacramenta, quae appellantur baptismus, confirmatio (*μύρον*), eucharistia, paenitentia (*μετάνοια*), ordo (*χειροτονία*), matrimonium (*γάμος*), extrema unctio (*ἅγιον ελαιον*). Nulla ex his appellationibus postulat derivationem ex cultu alieno. Nam vocare lotionem lotionem (baptismum) et unctionem unctionem, quid est aliud nisi loqui eo modo, quo omnes homines loqui solent? Hic autem communis loquendi modus sufficit ad intellegenda sacramentorum nomina, si eucharistiae nomen excipis, quod est Christianorum exclusive proprium ut nomen sacramenti. Ipsum generale nomen sacramenti seu graece *μυστήριον* e ritibus gentilium accipere necesse non erat; nam pluribus saeculis ante Christum in versione graeca Veteris Testamenti legebatur hoc nomen usurpatum de rebus occultis a Deo revelatis (Dn 2, 18 19 27 sqq. Sap 2, 22; 6, 24 etc.). Ipse Christus in evangeliiis dicitur loqui mysteria, i. e. res ad salutem supernaturalem pertinentes (Mt 13, 11. Lc 8, 10 etc.). Sanctus Paulus in epistulis saepe loquitur de revelatione et praedicatione mysteriorum (Rom 11, 25; 16, 25. 1 Cor 2, 7; 4, 1; 13, 2 etc.). Hoc vocabulum in versione latina interdum retinetur, interdum vertitur sacramentum. Admittere influxum mysteriorum gentilium in hunc modum loquendi saltem valde superfluum est. Neque apud Christianos, ut saepe apud gentiles, mysterium significat rem cum aliis non communicandam, sed potius rem a Deo revelatam et omnibus hominibus praedicandam, e) Multo minus sacramenta secundum rem ipsam ex gentilium mysteriis transsumpta sunt. Nam sacramenta Christianorum sunt ritus quidam sacri, quibus homo cum Christo, persona illa historica, de cuius vita, morte, resurrectione evangelia referunt, spiritualiter coniungitur eiusque meritorum et satisfactionum particeps fit. Nihil tale vel simile in mysteriis gentilium. Unde etsi nomina saepe sunt similia similesque ritus, res tamen his nominibus significata et his ritibus repraesentata toto caelo est diversa, f) Multi ex iis, qui comparant ritus gentilium cum sacramentis Christianorum, principiis rationalisticis insistentes, omnem supernaturalem originem sacramentorum a priori negant et ex intentione omnia naturaliter explicandi seducuntur ad construendos nexus, qui obiective non adsunt. Si vero probari potest, aliquas caerimonias accidentales e gentilium ritibus esse mutuatas, hoc inde explicatur, quod ecclesia, arte paedagogica utens, formis veteribus novum spiritum infudit.

¹ De hac re inter alios scripserunt nostra aetate *G. Anrich*, *Das antike Mysterienwesen in seinem Einflusse auf das Christentum*, Göttingen 1894, maxime p. 106 sqq;

Tractatus I. De sacramentis in genere.

4. Cum Christus Dominus *ecclesiam societatem visibilem* instituerit, quae vicem Dei gerens homines sanctificaret, huic visibili societati visibilia quoque sanctificationis instrumenta tradi oportebat. Et revera, si ecclesia corpus Christi visibile est (1 Cor 12, 27), rectus naturae ordo postulat, ut, sicut omne aliud corpus, corporalibus quoque rebus nutriatur et foveatur (*Catech. Rom.* P. 2, c. 1, n. 13).

5. Unde facile unusquisque intellegit, quanta sit et *necessitatis* et *utilitatis* theologo diligens rei sacramentariae studium, cum sacerdos populum Christianum et de sacramentis frequentissime instituere et per sacramenta rite administrata ad aeternam salutem ducere debeat (*Catech. Rom.* P. 2, c. 1, n. 1).

6. Ex quo patet huius tractatus doctrinam esse simul et *speculativam* et *practicam*: illam, quae ad cognoscenda, hanc vero, quae ad recte administranda et recipienda sacramenta pertineat. Quoniam vero ecclesia, ut maiorem sacramentis ornatum et reverentiam conciliaret, multa de eorum recta administratione praescripsit, quae caerimoniae vel sacramentalia dici solent, de his quoque suo loco agendum erit.

7. *Ordo et ratio totius tractatus* ex ipsa rei natura habetur. Primum enim de sacramentis in genere, dein de singulis sacramentis in specie agendum est. Porro sacramenta in specie aut ad communitatem aut ad singulos homines qua tales referuntur. Prior pars complectitur sacramenta ordinis et matrimonii, altera reliqua. Iterum inter huius alterius partis sacramenta alia ad vitam spiritualem conferendam vel augendam instituta sunt, abstractione facta a peccatis propriis (baptismus, confirmatio, eucharistia), alia vero ad propria hominum peccata remittenda valent (paenitentia, extrema unctio).

Ergo *tota doctrina de sacramentis potest dividi in tres partes*, quarum prima versatur circa sacramenta in genere, baptismum, confirmationem, eucharistiam; secunda circa paenitentiam et extremam unctionem; tertia circa ordinem et matrimonium. — Principium autem huius divisionis est consideratio finis, ad quem sacramenta diriguntur, quae est perfectio spiritualis. Prior autem est perfectio singulorum quam communitatis. Et priora sunt, quae per se requiruntur quam quae per accidens. Per se igitur ad singulos pertinent baptismus, confirmatio, eucharistia, per accidens paenitentia et extrema unctio.

Fr. Cumont, Les mystères de Mithra, Paris 1902, maxime p. 159 sqq; *A. Dieterich*, Eine Mithrasliturgie, Leipzig 1903; *II. Hepdimj*, Attis, seine Mythen nnd sein Knit, GieOen 1903; *I. Blützer*, Das heidnische Mysterienwesen und die Hellenisierung des Christentums: Stimmen ans Maria-Laach LXXI et LXXII, maxime LXXII 182 sqq; *E. B. Alto*, L'Évangile en face du syncrétisme païen, Paris 1910; *St. r. Dunin-Borkoicski*, Dio alien Christen und ihre religiose Mitwelt: Zeitschrift ffir kath. Théologie 1911, 213 sqq; *I. Rohr*, Griechentnm und Christentum, Milnster 1912.

Praenotanda de materia et divisione huius tractatus.

Ad bonum commune pertinent ordo et matrimonium: sacramentum autem matrimonii ideo ultimum ponitur, quia ex omnibus minimum habet in se spiritualitatis.

8. Primum igitur agendum est de sacramentis in genere, de quibus, praemissa notione nominis, quaeremus sex:

Sectio I De essentia et existentia sacramentorum.

„ II. De numero sacramentorum.

„ III. De efficacia sacramentorum.

I IV. De auctore sacramentorum.

„ V. De ministro sacramentorum.

„ VI. De subiecto sacramentorum.

Additur Appendix De sacramentalibus.

De sacramentis agunt *Petrus Lombardus* (4, dist. 1 sqq), *S. Thomas* (3, q. 60 sqq), eorumque commentatores, inter quos eminent *Suarez*, ex recentioribus *Franzelin*, *de Augustinis*, *Oswald*, *Schanz*, *Sasse*, *Gehr*, alii permulti.

SECTIO I.

DE ESSENTIA ET EXSISTENTIA SACRAMENTORUM.

ART. I.

DE NOMINE SACRAMENTI.

9. Vox *sacramenti*, quae ex etymo rem sacram, apud profanos vero scriptores aut pignus a litigantibus depositum aut iuramentum, maxime militare, significat, in *Sacra Scriptura* idem valet ac graecum *μυστήριον*. Unde sacramentum dicitur *res quaelibet sacra et occulta*. «Nescierunt sacramenta Dei" (Sap 2, 22). — «Ut Deus nobis notum faceret sacramentum voluntatis suae" (Epb 1, 9; cf. Eph 3, 3 et 9; Col 1, 27; 1 Tim 3, 16).

Praeterea sacramentum dicitur *signum alicuius rei sacrae et latentis*. Hoc sensu e. g. matrimonium dicitur «magnum sacramentum" (Eph 5,32), i. e. signum coniunctionis Christi cum ecclesia (cf. Dn 2, 18 30; Ape 17, 5 7).

10. Haec utraque significatio rei occultae et signi rei occultae etiam apud *SS. Patres* occurrit. Ita universa doctrina ab ecclesia tradita vocatur a *Tertulliano* «eiusdem sacramenti una traditio" (Praescript. c. 20; *M* 2, 32). Sanctus vero *Augustinus* definit: «Signa, cum ad res divinas pertinent, sacramenta appellantur" (Epist. 138, n. 7; *M* 33, 527). Quo sensu vulgatus *Ambrosius* transitum iudaeorum per mare rubrum, manna aliasque figuras veteris testamenti sacramenta vocat (De sacram. l. 1, c. 4 sqq; *M* 16, 420 sqq), et eodem modo sacrificium inter sacramenta recenseri potest (*August.*, De civ. Dei l. 10, c. 5; Af 41, 282).

11. Ex hac vero universali significatione vox sacramenti contracta est ad significanda *specialia quaedam signa*, ab ecclesia usurpari solita, quae non quamlibet rem sacram, sed principaliter *sanctificationem* hominis significant, idque non theoretice sed *practice* seu *efficienter*. Haec quidem significatio vocis etiam apud *SS. Patres* in usu est, ut si *S. Augustinus* dicit sacramenta novi testamenti esse efficaciora quam veteris (Contra Faust. l. 19, c. 13; *M* 42, 355). Neque tamen

Art. 1. Do nomine sacramenti. Art. 2. Do definitione sacramenti. Prop. I.

hic usus vocis apud SS. Patres est exclusivus. At iam inde a multis saeculis factum est, ut vox sacramenti, si sine addito ponitur, intellegatur exclusive *signum efficax sanctificationis*. Hoc sensu de sacramentis loquuntur e. g. *Eugenius IV* in bulla «Exsultate Deo» (*Denzinger*, Enchir. n. 695 9 et *conc. trid.* in sess. 7 (*Denz.* n. 844 sqq). Hoc exclusivo sensu accipitur sacramentum a theologis, quando partem theologiae inscribunt «tractatum de sacramentis».

Ergo nobis quoque de sacramentis agendum est, in quantum intelleguntur signa efficacia sanctificationis. (Cf. *P. Pourrai*, La théologie sacramentaire, 4. éd., Paris 1910, 1 sqq.)

12. Ex dictis constat non licere nobis, ubicumque in Scriptura vel apud Patres occurrat vox sacramenti, huic voci statim subicere eum determinatum sensum, quem nunc ex usu ecclesiastico habet. — Refutationi absurditatum, quas protestantes aliquando contra nomen sacramenti protulerunt, eo facilius supersedere possumus, quia ipsi quoque nunc hoc vocabulo utuntur. De hac quaestione conferri potest *Bellarminus* in praefat. ad tract. de sacram., et l. 1, c. 7.

ART. II.

DE DEFINITIONE SACRAMENTI.

Prop. I. Sacramentum recte definitur: Signum sensibile a Deo perenniter institutum ad significandam gratiam sanctificantem et ad conferendam usu suo seu applicatione sanctificationem eo modo, quo convenit oeconomiae salutis, ad quam signum illud pertinet.

13. *Explicatur.* Cum hic nondum agatur de quaestione, num revera existant sacramenta, sed solum, quid ecclesia vel theologi intellegant, quando loquuntur de sacramentis, potest videri sufficienter responsum ad quaestionem, quid sit sacramentum, iis, quae modo exposita sunt. Attamen *specialis difficultas* inde oritur, quod nomen sacramenti non solum ad novum testamentum sed etiam ad vetus testamentum applicatur. Ita, ut alia omittamus, » *conc. trid.* sess. 7, can. 2 dicit: «Si quis dixerit novae legis sacramenta a sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia caerimoniae sunt aliae et alii ritus externi, A. S.» (*Denz.* n. 845). Hae enim et similes locutiones satis ostendunt etiam *quaedam instituta veteris legis vocari sacramenta sensu stricto*, cum secus eiusmodi comparationes locum non habeant.

14. Quia vero ex altera parte docetur aliqua *essentialis differentia*, qua utriusque testamenti sacramenta specificè distinguantur, nomini

1 *Denzinger-Bannwart*, Enchiridion Symbolorum, Definitionum et Declarationum.

sacramenti, prout in usu ecclesiastico occurrit, respondet *generica definitio*, quae sacramenta veteris et novi testamenti simul comprehendat.

15. Quamvis igitur omnes theologi consentiant omne veri nominis sacramentum esse signum sanctificationis, tamen disputant, a) *quaenam sanctificatio intellegatur* in hac definitione, b) *utrum sacramenta solum significant sanctificationem, an etiam causent*. Certum quidem apud omnes est sacramenta novi testamenti esse et signa et causas gratiae, ideoque homines Christianos, si de sacramentis loquantur, intellegere signa efficacia; sed difficultas oritur, si nomen sacramenti accipitur, prout etiam significat veteris testamenti sacramenta. Statuenda igitur videntur haec:

16. Ad a). *Omnia sacramenta tam veteris quam novi testamenti significant gratiam sanctificantem*. — Cum de sacramentis novi testamenti nemo dubitet, tota quaestio est de sacramentis veteris testamenti. De his autem docet *Eugenius El.* in decreto pro armenis: „Illa [sacramenta veteris testamenti] non causabant gratiam, sed eam per passionem Christi dandam esse figurabant (*Denz.* n. 695). Idem in decreto pro iacobitis docet: „Sacramenta [veteris testamenti], quia significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta, licet divino cultui illa aetate congruerent, significato per illa Domino nostro Iesu Christo adveniente cessasse et novi testamenti sacramenta coepisse (*Denz.* n. 712). Haec doctrina desumpta est ex *S. Paulo*, secundum quem omnia instituta veteris legis erant typus et figura gratiae novi testamenti et significabant futuram per Christum redemptionem (Hebr 9 et 10). — „Itaque lex paedagogus noster fuit in Christo [*εZ Απαττόν*], ut ex fide iustificemur’ (Gal 3, 24; cf. 1 Cor 10).

Ergo patet veteris testamenti sacramenta significasse gratiam, quam Christus nobis meriturus erat; novi vero testamenti sacramenta gratiam significant, quam Christus nobis iam meruit. Hanc doctrinam theologi vix non omnes unanimiter admittunt, praeaeuntibus *S. Thoma* (3, q. 60, a. 2 ad 2) et *S. Augustino*: „Si enim discernimus duo testamenta, vetus et novum, non sunt eadem sacramenta. . . . Quia alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia salvatorem. Sacramenta novi testamenti dant salutem, sacramenta veteris testamenti promiserunt salvatorem (In Ps. 73, n. 2; Af 36, 930).

17. Ad b). *Omnia sacramenta aliquam sanctificationem efficiunt*. — Potest autem duplex sanctificatio distingui: una *interior* seu *spiritualis* et proprie dicta, quae consistit in susceptione gratiae sanctificantis; altera *exterior* seu *legalis* et secundum quid, quae consistit in remotione irregularitatis lege statutae. De hac legali vel levitica immunditia et sanctificatione multa habentur in libro Levitico c. 11—17. Ita

e. g. homo leprosus erat immundus et debebat habitare extra castra nec licebat ei redire, donec lepra sanata sacrificium obtulerat et a sacerdote certis ritibus mundatus erat.

Imprimis igitur certum est sacramenta veteris legis non contulisse gratiam sanctificantem. Sic enim modo audivimus Eugenium IV docentem, et idem postea magis probabitur (n. 169 sqq). Sola igitur quaestio remanet, *num fuerit de essentia sacramentorum veteris legis, ut saltem sanctificationem legalem conferrent.*

Negant quidam thomistae et Vazquez (In 3, disp. 128, c. 5, n. 49 sqq), ex nulla fere alia ratione, nisi quia S. Thomas videtur solam significationem requirere ad sacramentum (3, q. 60, a. 1). Sed *S. Thomas* ipse statim addit explicationem, definiens sacramentum: „signum rei sacrae, in quantum est sanctificans hominem” (ib. a. 2). Et sine dubio aliqua sanctificatio requiritur, quia, si sola significatio sufficeret, omnia instituta veteris testamenti fuissent sacramenta, quia omnia suo modo significabant futuram gratiam salvatoris. At unanimiter theologi concedunt non omnia instituta veteris testamenti fuisse sacramenta. Praeterea reapse sacramenta veteris legis conferebant sanctificationem legalem seu *sanctificabant ad emundationem carnis*”, ut loquitur apostolus (Hebr 9, 13). Ergo quia rationem sacramentorum ex iis diiudicare convenit, quae fuerunt a Deo instituta, dicendum est sacramenta omnia aliquam sanctificationem conferre, legalem quidem, si ad ordinem legis mosaicae, spiritualem, si ad ordinem gratiae pertineant. „Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est” (Io 1, 17). Hanc doctrinam *S. Thomas* claris verbis statuit in 4, dist. 1, q. 1, a. 5, sol. 1 ad 1 et sol. 3; 1,2, q. 102, a. 5.

18. De aliis vero, quae in definitione ponuntur, theologi consentiunt, sci. *sacramenta omnia esse signa a Deo instituta*, quia Dei est praescribere, quae ad cultum suum observanda sint, et proinde etiam instituire pro arbitrio suo ritus externos aptos, qui sint signa efficacia sanctificationis. — Quia autem sacramenta ad ordinarium cultum spectant, etiam sunt *perenniter seu ex lege stabili instituta*, sicut ipsa illa oeconomia supernaturalis, cuius sunt pars aliqua, eaque fundamentalis. — Tandem sacramenta *usu suo seu applicatione* non proxime diriguntur ad Deum colendum sed ad hominem sanctificandum, quare ratione sacramenta maxime a sacrificio distinguuntur. Sacramentum igitur est signum homini applicatum, sacrificium autem oblatio Deo facta; sacrificium significat divinam excellentiam, sacramentum vero hominis sanctificationem.

19. Unde tandem *sacramenta novae legis definiri possunt*: signa externa, a Deo (Christo) lege perenni instituta ad significandam et efficiendam internam gratiam.

it

..

é H
4 Ç 1

;;

Sacramenta autem veteris legis ita: signa externa, a Deo lege perenni instituta ad significandam gratiam novae legis et ad conferendam sanctificationem leviticam.

20. Ex dictis patet sacramenta generice accepta non necessario causare eam gratiam, quam significant. Hoc tamen non impedit, quominus *univoce* dicantur sacramenta; nam saltem hoc habent commune, quod efficiunt sanctificationem suae oeconomiae convenientem. Immo potest etiam dici *omnia sacramenta efficere eam sanctificationem, quam immediate significant*. Nam veteris testamenti sacramenta proxime significabant sanctificationem legalem et hac mediante sanctificationem internam novi testamenti, cuius illa est typus. Ceterum si quis dicat sibi hoc non videri sufficere ad univocam sacramentorum definitionem constituendam, est lis de verbo; de re enim non potest esse differentia opinionum. Ita e. g. *Vazquez* ait: „Ego quidem non nego . . . antiqua [sacramenta] significasse tantum sanctitatem animae conferendam per Christum, et simul etiam legalem quandam munditiam et sanctitatem effecisse; sed dico hoc posterius minime ad rationem sacramenti universe considerati pertinere . . ., hoc enim accidentarium est sacramento, si ratio illius univoce de novis et antiquis dicitur, in eo *solum* consistens, ut sit signum sanctitatis animae (3, disp. 128, c. 5, n. 54).

Contra card, *de Lugo* putat ad univocationem servandam requiri, ut etiam sacramenta veteris legis aliquo modo causaverint gratiam internam, non quidem eam conferendo recipienti, sed quasi *promittendo* in futurum, „quia illa sacramenta erant promissiones quaedam divinae, mediis quibus Deus promittebat et repromittebat Christum venturum ad salvandos homines (De sacram, disp. 1, sect. 2, n. 17). — Sed haec ratio promissionis erat communis omnibus institutis legis sinaiticae neque in solis sacramentis inerat; ergo non est ponenda tamquam differentia specifica in horum definitione.

21. *Sehol. 1.* De multiplici significatione sacramentorum.

Quia sacramenta significant sanctificationem internam, eo ipso etiam relationem habent *ad causam meritoriam* huius sanctificationis, qui est Christus, et *ad causam finalem*, quae est gloria caelestis. Unde in novi testamenti signo sacramentali tria directe vel indirecte significantur: „videlicet ipsa *causa* sanctificationis nostrae, quae est passio Christi; et *forma* nostrae sanctificationis, quae consistit in gratia et virtutibus; et ultimus *finis* sanctificationis nostrae, qui est vita aeterna. . . . Unde sacramentum est *rememorativum* eius, quod praecessit, sci. passionis Christi; et *demonstrativum* eius, quod in nobis efficitur per Christi passionem, sci. gratiae; et *pronosticum*, i. e. *praenuntiativum* futurae gloriae (3, q. 60, a. 3).

Haec eadem indicat S. Paulus loquens de baptismo (Rom 6, 3 sqq), et sancta ecclesia in illa antiphona: „O sacrum convivium . . .*“

Praeterea *singula sacramenta habent aliquam significationem et correspondentem efficaciam, qua inter se differunt*. Ita baptismus significat emundationem animae et facit hominem membrum ecclesiae; matrimonium significat et efficit vinculum coniugale; et sic de aliis sacramentis; ideo enim plura instituta sunt sacramenta, quia praeter gratiam alia significanda et efficienda sunt. Hae sunt differentiae specificae, quibus sacramenta inter se differunt. Hae autem differentiae nulla ratione pertinent ad genericam sacramentorum definitionem, non magis quam notae individuantes pertinent ad definitionem hominis. Neque de hac re cogitavit S. *Thomas*, quando scripsit: «Sacramentum est signum rei sacrae, in quantum est sanctificans hominem» (3, q. 60, a. 2); sed postquam in primo articulo dixit sacramentum universalissime sumptum esse signum rei sacrae, in secundo articulo dicit pressius sacramentum vocari non quodlibet signum rei sacrae, sed illud tantum, quod referatur ad sanctificandos homines; unde in tertio articulo explicat in re significata per sacramentum posse considerari tres illas causas, quas modo nominavimus: «Sacramentum proprie dicitur, quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem, in qua tria possunt considerari: videlicet ipsa causa sanctificationis nostrae, quae est passio Christi . . .» (3, q. 60, a. 3).

22. *Schol. 2.* Cur variae res sacramentis affines non sint sacramenta.

1. In vetere testamento manna, serpens aeneus, transitus maris rubri, quamvis sint typi gratiae futurae, non sunt sacramenta, quia non erant perenniter instituta ut signa ad homines sanctificandos. — 2. In novo testamento varia existunt, quae significant et conferunt aliquam sanctificationem, non tamen ex Dei instituto, ut aqua lustralis, prima tonsura etc. — 3. Martyrium, quamvis sit signum efficax sanctificationis, non tamen est signum a Deo ad sanctificandos homines institutum; ergo non est sacramentum.

23. *Schol. 3.* Utrum sacramentum sit ens reale an ens rationis.

In sacramentis ad significandam gratiam a Deo instituta sunt *signa arbitraria, licet convenientia*, quia nullum est signum naturale alicuius entis supernaturalis. Cum igitur virtus significandi a nobis concipiatur ut aliquid existens in signo sacramentali, disputant, utrum sacramentum sit ens rationis (*Vazquez*, In 3, disp. 128, c. 4) an reale (*Suarez*, De sacram, disp. 1, sect. 4). Sed non potest esse nisi lis de verbo. Nam independenter a nostra consideratione adest et res, quae assumitur ut signum, et voluntas Dei, qua haec res est assumpta ad significandum, et eatenus sacramentum est ens reale. Quatenus vero nos mente fingimus aliquem respectum rei sacramentali inhaerentem ad significandum, eatenus utique sacramentum est ens rationis.

,n

91

V

f

e

/

k

ART. III.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM.

Prop. II. Sacramenta novae legis physice perficiuntur robus tamquam materia et verbis tamquam forma.

24. *Nota.* Sicut in essentia metaphysica seu definitione cuiuslibet rei *genus potest considerari ut materia, differentia vero specifica ut forma*, ita etiam in definitione sacramenti, quam modo explicavimus, ipsum signum est materia, significatio vero, quae huic signo convenit, est forma, qua sacramentum constituitur. Sed haec materiae et formae consideratio est *metaphysica*, et id quod ex his duabus quasi partibus compositum concipitur, est essentia metaphysica sacramentorum.

De hac nunc non loquimur sed de *composito quasi physico* seu de iis partibus physicis, quae independenter a nostri intellectus operatione in omni signo sacramentali inveniuntur.

25. „*Verbau et „resi' in hac propositione non accipiuntur sensu maxime proprio et stricto*, ita ut *res* semper sit aliqua substantia materialis, et *verbum* semper sonus ore prolatus; sed verbum potest esse aut verbum proprie dictum aut aliquid, quod in ratione signi distincti et determinati potest huius vicem gerere. Ita si quis mihi aliquid offerens interrogat: visne hoc habere? aequae clare possum respondere capite annuendo atque ore respondendo: volo. Ergo si forte in aliquo sacramento tali nutu vel simili signo id, quod significandum est, aequae determinate exprimi potest, talis nutus vel tale signum hic a nobis comprehenditur nomine verbi.

Similiter *res* intellegitur omne id, quod magis indeterminate significat, sive est substantia aliqua, ut aqua, sive actio transiens, sive verbum oris nondum plane determinatum in ratione signi. Ita e. g. in contractu donationis oblatio donationis verbis facta recte potest considerari ut aliqua res, quae per acceptationem donationis ultimam determinationem accipit. Similiter in sacramentis illa pars signi, quae ex se est indeterminata et ulterius determinabilis, dicitur *res*, pars autem determinans dicitur *verbum*.

26. Quia vero in compositis physicis id, quod est indeterminatum, a philosophis dicitur materia, et id quod ultimam determinationem affert, dicitur forma, factum est inde a *Guilelmo Altissiodorensi*, ut in sacramentis *res diceretur materia, verba vero forma*. Ait enim Altissiodorensis in 4, dist. 23: .Sicut de essentia baptismi dicuntur esse tria: scilicet materia et forma verborum et intentio baptizandi; similiter de essentia sacramenti eucharistiae dicuntur esse tria: scilicet ordo sacerdotalis et forma verborum et materia, scilicet panis et vinum,

eodem modo in essentia huius sacramenti [extremae unctionis] dicuntur esse tria: scilicet ordo sacerdotalis et oratio fidei et materia, scilicet oleum consecratum ab episcopo. (Ed. Paris 1500, fol. 283, coi. 4.) Occurrit quidem nomen formae sacramentalis iam interdum prioribus temporibus, ut in *conc. milevitano II* anno 416 (*Denz.* n. 102), sed tunc forma intellegebatur totus ritus sacramentalis. Patet autem a scholasticis materiam et formam in sacramentis dici *sensu tantum analogo*. Sacramentum enim non est totum physicum sed morale.

27. Porro ipsa res qua talis dicitur *materia remota*, applicatio vero rei dicitur *materia proxima*. Ita in sacramento baptismi aqua est materia remota, ablutio est materia proxima, verba: „Ego te baptizo .. .” sunt forma.

28. Dicimus *sacramentum perfici materia et forma*, ita ut, si aut unum aut alterum desit, sacramentum non existat. Nondum tamen hic definimus, num in omnibus sacramentis materia et forma sint *partes constituentes* essentiae, ita ut in administratione sacramentorum semper et forma et materia aliqua adsit, quae gratiam sanctificantem significet et causet. Licet enim hoc ab omnibus facile concedatur relate ad reliqua sacramenta, disputant tamen, num et quomodo talis forma et materia adsit in sacramentis eucharistiae, paenitentiae, matrimonii. Unde, quia haec difficultas hoc loco nondum potest sufficienter solvi, generaliter tantum statuimus in omni sacramento necessario inveniri materiam et formam sive ut partes constituentes sive alio modo. Ergo hic nondum disputamus contra *scotistas*, qui etiam post *conc. florent*, et *trident*, audacter docent sacramenta perfici quidem, non tamen intrinsecus constitui materia et forma (cf. *Bosco*, De sacram. I, disp. 1, sect. 3, conci. 1).

W !

29. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

In S. Scriptura doctrina in propositione statuta non quidem sub iisdem terminis, ut patet, sed tamen secundum rem satis indicatur. Ita baptismus dicitur .lavacrum aquae in verbo vitae (Eph 5, 26); Christus legitur consecrasse certis verbis panem et vinum et iussisse apostolos eundem ritum in posterum servare (Mt 26, 26). Apostoli manuum impositione et oratione Spiritum Sanctum dabant (Act 8, 15 sqq).

30. *Arg. 2.* Ex SS. Patribus.

S. Cyrillus Hierosolym.: .Vide, ne nudum et vile suspiceris unguentum hoc [chrisma] esse. Nam sicut panis eucharistiae post invocationem Spiritus Sancti non est communis panis sed corpus Christi, ita et sanctum istud unguentum non amplius nudum neque, si quis ita appellare malit, commune unguentum est post invocationem, sed

Christi donarium et Spiritus Sancti praesentia divinitatis eius efficiens factum (Catech. myst. 3, n. 3; *M* 33, 1090).

S. Gregorius Nyss.: „Panis est initio communis, sed ubi eum mysterium sacrificaverit, corpus Christi fit et dicitur. Sic mysticum oleum, sic vinum, cum sint res exigui pretii ante benedictionem, post sanctificationem, quae a Spiritu procedit, utrumque eorum excellenter operatur. Eadem item verbi vis etiam sacerdotem augustum et honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum (Orat, in bapt. Christi; *M* 46, 582).

Notissima sunt *S. Augustini* verba: „Et in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, etiam ipsum tamquam visibile verbum. . . . Unde tanta vis aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo? . . . Mundatio igitur nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo (In Io. tract. 80, n. 3; *M* 35, 1840).

31. *Arg. 3.* Ex auctoritate theologorum.

Unanimiter omnium scholarum theologi (paucissimis, ut *Durando*, exceptis) consentiunt in thesim, prout supra statuta et explicata est. Ita *S. Thomas*: „Ex verbis et rebus fit quodammodo unum in sacramentis sicut forma et materia, in quantum sci. per verba perficitur significatio rerum (3, q. 60, a. 6 ad 2). Ita *Scotus* (In 4, dist. 3, q. 3, § „Hic primo videndum Similiter post magistros suos thomistae et scotistae omnes. Etiam theologi Societatis Iesu, inter quos *Suarez* „Haec“, inquit, „assertio satis probatur communi consensu theologorum omnium“ (De sacram, disp. 2, sect. 1, n. 3).

32. *Arg. 4.* Ex consensu orientalium.

Eandem doctrinam semper in ecclesia viguisse docet consentiens traditio orientalium schismaticorum. Ita in opere quodam, quod inscribitur „Orthodoxa confessio fidei“, ad interrogationem: „Quotnam requiruntur ad sacramentum? respondetur: „Tria: materia congrua.... Secundum sacerdos, qui sit legitime ordinatus, vel episcopus. Tertio invocatio Sancti Spiritus et forma verborum (Schelsrate, Acta orientalis ecclesiae I, Romae 1739, 505; cf. 155). Idem constat ex ritibus orientalium ecclesiarum (cf. *Denzinger*, Ritus orientalium).

Atqui hac ecclesiae non post defectionem suam acceperunt hos ritus ab ecclesia catholica. Ergo iam antea doctrina in ecclesia vigeat confici sacramenta materia et forma.

33. *Arg. A.* Ex declarationibus auctoritatis ecclesiasticae.

Eugenius IV in decreto pro armenis docet: „Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam

forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum" (*Denzinger*, Enchir. n. 695). *Notandum* est hoc decretum ex probabiliore opinione theologorum non esse definitionem fidei sed simplicem doctrinam et imprimis instructionem practicam, quae armenis in administrandis sacramentis proponatur, ut se conforment usui ecclesiae romanae (cf. nota apud *Denzinger*) Ceterum summae utique auctoritatis esse per se patet.

Secundum *conc. trid.* (sess. 14, c. 2) sunt „materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur" (*Denz.* n. 895).

34. *Coroll. 1.* Ergo a priori, i. e. si abstrahimus a difficultatibus, quae in singulis sacramentis obstare possunt, *probabilius est materiam et formam esse partes constituentes sacramentorum.* Nam vocabula materiae et formae per se significant partes constituentes. Unde si quis loquitur de materia et forma alicuius rei, omnes statim cogitant sermonem esse de partibus constituentibus. Et quamvis scotistae dicant analogum loquendi modum non esse adeo premendum, tamen unusquisque facile videt — id quod etiam ex ipsis scotistis *Vega* concedit — doctrinam communem „magis consonam apparere conciliorum flor, et trid. definitionibus" (*Defens. cone. trid.* l. 13, c. 15). Favet huic sententiae auctoritas *S. Thomae* scribentis: „Quodlibet sacramentum distinguitur in materiam et formam sicut in partes essentiae" (3, q. 90, a. 2). Similiter auctoritas *Catechismi Romani*: „Haec igitur [materia et forma] sunt partes, quae ad naturam et substantiam sacramentorum pertinent, et ex quibus unumquodque sacramentum necessario constituitur" (P. 2, c. 1, n. 17).

JH

KI

35. *Coroll: 2.* Quia materia et forma, ut possint aliquod totum constituere in ratione signi, necessario unienda sunt inter se, ea in sacramento administrando fieri debet *coniunctio verborum cum materia*, ut in unum signum coalescant. Haec autem coniunctio non necessario eadem est in omnibus sacramentis. Nam si v. g. quis hodie aquam infunderet in caput infantis et cras vel loco diverso pronuntiaret verba, ex his duabus actionibus non fieret unum signum sacrae ablutionis, ideoque baptismus esset nullus (cf. infra n. 365). Contra absolute potest fieri, ut quis hodie confiteatur et cras absolutionem accipiat, quia secundum omnium hominum aestimationem probatio culpae hodie facta et sententia iudicis crastino die lata unum indicium constituunt.

1 De hac quaestione utiliter conferuntur ea, quae *F. A. Gasquet* ex archivis Congregationis de propaganda fide communicat in *American Quarterly Review* XXV, Philadelphia 1900, 625 sqq. Cf. *Zeitschrift für kath. Théologie* XXV, Innsbruck 1901, 562; *G. Wilmers*, De Christi ecclesia 398 sq; *Franzelin*, De tradit, thes. 12, schol. 1, coroll. 5; ed. 4, 112; *A. Straub*, De ecclesia Christi II, n. 1046 sq.

Ergo, ut interim abstrahamus ab eucharistia, in sacramentis matrimonii et paenitentiae maius aliquod spatium inter materiam et formam non obest valori horum sacramentorum. In reliquis autem sacramentis administrandis, ut sint valida, tam breve tantum intervallum inter verba et materiae applicationem intercedere potest, ut secundum communiter contingentia homines utramque actionem unum aliquod in genere signi esse iudicent. Optimum igitur est, si verba et actiones simul fiunt, et eatenus hoc etiam est praescriptum, quatenus requiritur, ut nulla dubitatio de validitate oriri possit.

A fortiori *ipsa verba formae non debent ita inter se separari*, ut vim significandi id, quod significare debent, amittant et ita formae munus exercere non iam possint. Hoc autem quando accidat, multum a morali aestimatione pendet. Porro una actione et forma per se compluribus simul sacramenta quaedam administrari posse patet, quia unum signum potest ad multa subiecta applicari. Sed hoc, excepto casu necessitatis, ex praecepto ecclesiae est illicitum, saltem sub veniali; sed esset mortale peccatum, si hoc modo periculum nullitatis induceretur.

36. *Schol. Sacramenta veteris testamenti non constabant materia et forma*, sed signum sacramentale erat tantum actio quaedam, ut circumcisio, esus agni paschalis etc. Si interdum verba adhibebantur, non pertinebant ad essentiam illorum sacramentorum. Ita saltem ex communi theologorum sententia. Quaeritur igitur, quae sit *ratio huius discriminis* inter sacramenta veteris et novi testamenti. — *Respondetur* esse maiorem perfectionem novi testamenti, quae perfectiora sacramenta postulat. Maior autem haec perfectio sacramentorum novi testamenti apparet ex triplici ratione, quam S. Thomas 3, q. 60, -ε. 6 indicat:

1. Prima est *ex parte Verbi incarnati*, cui tamquam exemplari sacramentum quodammodo conformatur. Ergo sicut in incarnatione carni sensibili Verbum Dei unitum est, ita in sacramento ad rem sensibilem verbum adiungitur.

2. Secunda est *ex parte hominis*, compositi ex anima et corpore, cui proportionatur sacramentalis medicina, quae per rem sensibilem corpus tangit, per verbum vero animam instruit.

3. Tertia est *ex parte significationis*. Verba enim perfectius significant quam res et actiones symbolicae. Ergo ad perfectionem significationis necesse erat ad rem seu materiam sacramenti verba accedere. Aqua enim e. g. ex se potest significare potum, refrigerium, ablutionem. Sed cum adduntur verba: *.Ego te baptizo . . .* determinatur vis significativa ad solam significationem emundationis spiritualis.

ART. IV.

DE EXSISTENTIA SACRAMENTORUM, PRO QUADRUPplici STATU GENERIS HUMANI.

Prop. III. In statu originalis innocentiae nulli sacramentum existit.

37. Postquam vidimus, quid in theologia nomine sacramenti significetur, iam videndum est, num tale quid umquam exstiterit vel adhuc existat. Quia autem quoad oeconomiam salutis *varii status generis humani* distinguuntur, singuli hi status considerandi sunt, quorum primus fuit status innocentiae.

Status innocentiae intellegitur status generis humani ante lapsum Adami. De hoc igitur statu quaeritur, num in eo fuerint a Deo instituta signa gratiae sensibilia ad sanctificandos homines. Nihil ab ecclesia de hac re definitum est, sed rationibus theologicis quaestio solvenda est.

Intellegitur in hac quaestione sacramentum sensu stricto, nam statui innocentiae convenire cultum Dei publicum et consequenter sacramenta sensu lato omnes facile concedunt. De sacramentis vero proprie dictis iterum possunt duo quaeri:

a) num de facto fuerint;

b) num generatim potuerint convenienter existere in statu innocentiae.

I. Nulla est ratio affirmandi fuisse in statu innocentiae sacramenta.

38. Sacramenta pendent ex positiva Dei institutione, quae non potest alihde nisi ex positiva revelatione cognosci. Sed neque Scriptura neque Traditio quicquam dicunt vel innuunt de existentia sacramentorum pro statu innocentiae. Ergo haec existentia non est affirmanda. — Ita concors theologorum sententia, exceptis paucis, ut *Bellelli* augustiniano.

Rationes congruentiae sunt: Tempus illius status tam breve fuit, ut vix potuerit esse usus sacramentorum; cumque Deus scivisset instantem cessationem illius status, non erat, cur pro tam brevi tempore institueret sacramenta.

^Et ad hoc confirmandum valent illae coniecturae, quod primi homines pro illo brevi tempore non indiguerunt sacramentis, quia erant perfecti in scientia et cognitione rerum supernaturalium et in gratia et iustitia, quantum pro tunc oporteret* (*Suarez* disp. 3, sect. 3, η. 6).

„His positus conveniunt omnes in eo, quod in statu innocentiae ante peccatum de facto nulla fuerunt sacramenta* (*De Lugo* disp. 3, sect. 1, n. 5).

II. Num, si status innocentiae diutius durasset, conveniens futura fuisset institutio sacramentorum.

39. *£ Thomas negative* respondet, „cuius ratio accipi potest ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur et nullo modo dependebant ab iis; sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animae vires et ipsi animae corpus. Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam vel quantum ad gratiam, per aliquod corporale, quod fit in sacramentis" (3, q. 61, a. 2).

Putat igitur s. doctor in illo statu homines accepturos non fuisse supernaturales cognitiones ope rerum sensibilium, sed „magis ex influentia luminis ðivini Consequenter dicit sacramenta „non esse instituta ad gratiam conferendam, nisi prout gratia est sanans formaliter morbum peccati, et sic in statu innocentiae homo gratia non indigebat' (In 4, dist. 1, a. 2, sol. 2).

Cum S. Thoma *idem docent plerique thomistae*, ut e. g. *Gonetus*, qui addit hanc rationem, quod in illo statu sacramenta opus non fuissent neque ad conservandam neque ad augendam gratiam. *Non ad conservandam*, cum in illo statu homines nulla passi essent contraria gratiae, quia non aderat concupiscentia. *Non ad augendam*, quia augmentum formae debet fieri proportionaliter ad primam productionem; gratia autem in illo statu non esset producta per sacramenta, ergo ne aucta quidem. Unde sicut angeli non per applicationem alicuius signi spiritualis auxerunt gratiam, dum erant viatores (quale signum num dicendum sit sacramentum, disputant doctores), ita homines in statu felicissimo, in quo fuissent quasi angeli terreni, gratiam non auxissent per signa sensibilia (III, disp. 2, a. 1, § 2, n. 11).

40. Hae autem rationes non probantur *Suaresio*, qui putat *sacramenta illi statui fuisse convenientia quoad significationem*, quia sacramenta ut signa valent a) ad exprimendam et profitendam fidem interiorem; b) ad excitandam memoriam et affectum; c) ad faciliorem apprehensionem supernaturalium mysteriorum; d) ad consensionem et unitatem hominum eiusdem religionis in exteriori Dei cultu. Unde sicut per verba tunc instruendi fuissent parvuli in rebus fidei, ita etiam potuissent alia signa sensibilia convenienter institui.

Porro *sacramenta fuissent convenientia ut causae gratiae*, quia operantur ex opere operato, quo fit, ut homo sanctificetur ultra meritum operantis. Ergo institutio sacramentorum etiam in illo statu fuisset magnum beneficium et consequenter valde conveniens. — Haec institutio etiam conferret *ad perfectionem universi*, quia sic ima cum supremis miro modo coniungerentur. — Confirmatur haec sententia, quia Deus etiam per res sensibiles exercuit primos homines in obedientia (disp. 3, sect. 3, n. 4 sqq).

41. Iam vero, si quis rationes ex utraque parte propositas diligenter inspexerit, facile videbit institutionem sacramentorum in statu innocentiae *non fuisse tam convenientem, quam nunc sit, neque tamen tam inconvenientem, ut Deus omnino non potuerit instituere sacramenta.*

Ceterum ex vi praesentis decreti, quo sacramenta in hoc ordine instituta sunt, certo conicere non possumus etiam in alio ordine futura fuisse sacramenta. Nam in hoc ordine omnia a Deo decreta sunt propter merita et in honorem passionis Christi. Unde cum ex vi praesentis decreti Christus in ordine innocentiae probabilius venturus non fuisset, ex vi huius decreti nulla fuissent tunc sacramenta. De aliis vero decretis, quae Deus tunc potuit facere, absolute nihil scimus. Quia igitur in hac suppositione omnia a libera Dei voluntate pendent, prorsus ignotum manet, futurane fuerint sacramenta in illo statu necne.

Ergo rationes convenientiae, quas theologi pro institutione sacramentorum afferunt, longe plus pro hoc ordine rerum probant quam pro alio, quia in hoc ordine rerum homo longe magis subditur sensibilibus et proinde etiam convenientius per sensibilia eruditur et sanctificatur.

42. *Schol. Matrimonium Adae et Evae*, quamvis vocetur ab apostolo (Eph 5, 32) sacramentum, tamen *non fuit sacramentum presse dictum*. Vocatur sacramentum, non quia conferebat ullam sanctificationem, sed quia significabat ex intentione Dei futuram Christi cum ecclesia unionem; quod autem haec significatio nunc coniuncta est cum gratiae collatione, hoc est ex peculiari indole novi testamenti, ut postea videbimus. Ita longe communior sententia theologorum.

Prop. IV. In statu legis naturae exstitit remedium a Deo institutum ad liberandos infantes a peccato originali, quod remedium probabilius fuit sacramentum.

43. *Nota. Status legis naturae* opponitur legi sinaicae vocaturque lex naturae, quia praeter illa praecepta, quae ex ipsa natura humana et ex supernaturali elevatione conaturaliter sequuntur, nulla positiva Dei praecepta habebat, quibus homines in colendo Deo ordinarie regerentur. Lex igitur naturae hic a theologis aliter intellegitur atque a philosophis in ethica naturali. Complectitur autem status legis naturae omne tempus inde a lapsu Adae usque ad legem sinaicam. Tunc pro iudaeis cessavit, non vero pro ceteris hominibus. Hi enim permanebant in statu legis naturae usque ad Christi adventum. — De statu legis naturae duo ostendemus :

a) exstitisse in eo remedium contra peccatum originale pro infantibus ;

b) hoc remedium probabilius fuisse sacramentum.

I. Exstitit in lege naturae remedium pro salute infantium.

44. *Arg. 1.* Ex voluntate Dei salvifica.

Deus habet voluntatem salvificare universalem, ut probatur in tract. De Deo Uno (II, n. 337 sqq). Ergo debet ut provisor generalis aliquod remedium instituere, a quo nemo ratione sui status eximatur. Si enim certi homines, praecise quia tales homines sunt, i. o. quia usum rationis non habent, a salute excluduntur, non potest stare quod apostolus docet: „Deus omnes homines vult salvos fieri (1 Timi 2, 4). Nam quibusdam nullum remedium neque in genere neque in specie providere idem est atque hos excludere a salute.

45. *Arg. 2.* Ex SS. Patribus.

SS. Patres eandem doctrinam disertis verbis proponunt. *S. Augustinus*: „Nec credendum est et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem iis inerat mediatoris fides, nullo sacramento eius opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis, quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluit (Contra Julian. 1. 5, c. 11, n. 45; *M* 44, 809). Idem alibi: „Eadem fides mediatoris salvos iustos faciebat antiquos pusillos cum magnis (De nupt. et concup. 1. 2, c. 11, n. 24; *M* 44, 450). — *Auctor librorum „De vocatione gentium* (1. 2, c. 23; *M* 51, 702): „Non irreligiose arbitror credi neque inconvenienter intellegi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiae partem, quae semper universis est impensa nationibus, qua utique, si bene uterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem iuvarentur.’ — *S. Gregorius Magnus*: „Quod apud nos valet aqua baptismalis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahae stirpe prodierant, mysterium circumcisionis (Moral. 1. 4, c. 3; *M* 75, 635).

46. *Arg. 3.* Ex auctoritate theologorum.

Suarez ait: „Omnino affirmandum est in ea lege fuisse aliquod remedium ad infantium salutem a Deo institutum. Ita docent omnes theologo absque ulla controversia aut opinionum varietate, quod est signum dogma hoc certum ac indubitatum apud illos fuisse (disp. 4, sect. 1, n. 5). Neque post Suaresium res mutata est. Ita e. g. *Vazquez* de eadem re scribit: «Quae Patrum opinio usque adeo in schola iam diu inveteravit et invaluit, ut nullus asserere audeat parvulos eo tempore omni remedio suae salutis caruisse. Ducuntur autem ea ratione omnes, quam expressisse videtur *Innocentius III* in cap. *Maiores* De baptismo (disp. 165, c. 1, n. 7). In quo capite *Innocentius III* ait: „Absit, ut universi parvuli pereant, quorum cotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem (*Denz.* n. 410). Quae ratio ut est universalis, ita pro omnibus temporibus valet. Constat

ergo argumentis theologicis de hac veritate, ut absque temeritate in dubium vocari nequeat (*Franzelin, De sacram, th. 3, η. I, p. 16*).

II. Hoc remedium probability fuit sacramentum,

47. Omnia enim, quae ad constituendum sacramentum requiruntur, videntur inveniri in illo remedio:

a) *Illud remedium significat gratiam Christi.*

Etenim „non aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri" (Act 4, 12). Nemo igitur potest liberari a peccato originali nisi virtute passionis Christi. Ergo requiritur aliqua relatio eius, qui curari debet, ad Christum mediatorem et caput omnium salvandorum. Medium autem, quo haec relatio efficitur, est fides futuri redemptoris. „Justitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum; non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu" (Rom 3, 22 sqq). Ergo etiam in lege naturae infantes debebant tamquam membra in corpus Christi capitis futuri per fidem inseri; ergo remedium ad hoc adhibitum significabat gratiam Christi.

48. b) *Illud remedium erat signum externum.*

Ipsi enim infantes non poterant actum fidei in redemptorem futurum elicere. Ergo eorum vices supplere debebant ii, quibus cura infantium a Deo commissa erat, et imprimis parentes. Hi igitur nomine infantium eliciebant actum fidei requisitum, ut ita infans, qui per alienam actionem peccato obnoxius erat, etiam ope alienae actionis a peccato liberaretur. Non autem probabile est suffecisse mere internum actum fidei, tum quia contrarium suadet analogia legis mosaicae et novi testamenti; tum quia naturale est, quod is qui nomine alterius agit, hoc extrinsecus manifestet; tum quia per illum actum fidei infantes aggregandi erant ecclesiae Christi, quae est corpus eius visibile; tum quia cultus, quem parentes pro infantibus Deo exhibebant, non restringebatur ad cultum internum, sed complectebatur etiam externum; et sicut adultis, ita etiam infantibus non interna tantum fides, sed externa quoque fidei professio necessaria erat. Hae igitur sunt rationes, ob quas *S. Thomas* (3, q. 61, a. 3), *Scotus*, *Suarez, de Lugo* et omnino maior theologorum numerus censet, requisitum fuisse actum fidei externum, dum *S. Bonaventura* (In 4, diet. 1, pars 2, a. 1, q. 2), *Vazquez*, quidam alii contrarium docent. Si nonnulli SS. Patres dicunt fidem tunc suffecisse, intellegunt fidem internam et externam (cf. *Suarez* disp. 4, sect. 2, n. 3).^{VIII},

¹ Qualis fides Christi redemptoris necessaria fuerit, docetur in track De fido VIII, n. 448 sqq.

49. c) *Hoc signum sanctificationem aliquam efficiebat.*

Nam tali signo infans aggregabatur populo Dei et fiebat etiam exterius pars ecclesiae Christi. Quia enim ab ecclesia nemo excludebatur, sed omnes ad eam vocati erant, eo ipso quod quis voluntatem seriam ad eam accedendi manifestabat, erat etiam secundum externam acceptionem pars huius ecclesiae. Haec autem externa aggregatio erat aliqua sanctificatio, qua infans ad cultum veri Dei destinabatur.

50. d) *Hoc signum erat a Deo institutum.*

Nam solus Deus, utpote unicus dominus gratiarum suarum, medium assignare potest, quo posito infallibiliter gratia sanctificans sequatur. Ergo ex ipsa rei natura certum est Deum, cum post lapsum Adae ordinem gratiae restauraret, tradidisse hominibus aliquod signum, quo ad sanctificationem parvulorum uterentur.

Consequenter omnia in illo remedio salutis aderant, quae necessaria sunt ad constitutionem sacramenti.

51. *Schol. 1.* Cur nihil revelatum sit de illo ritu.

Quia in lege naturae constitutio ecclesiae Christi erat in primo statu incohationis ideoque minus ordinata et perfecta quoad externam connexionem membrorum et cultum Dei, etiam ritus minus perfectus et determinatus in genere signi poterat sufficere ad homines ecclesiae adiungendos. Quare mirum non est, quod nusquam quicquam legimus de exacta huius signi determinatione. Neque enim erat signum determinatum, sed sufficiebat quilibet actus externus aptus ad significandum id, quod significandum erat. Sicut ipsa fides Christi tunc erat magis obscura, ita neque erat necessaria fidei huius professio per signum aliquod perfecte determinatum; quia, quo imperfectior status gratiae, eo quoque imperfectiora media et signa gratiae. Unde sicut sacramenta novae legis sunt magis determinata quam veteris legis, ita sacramenta veteris legis sunt magis determinata quam legis naturae (S. Thomas 3, q. 61, a. 3 ad 2).

52. *Schol. 2.* Num melior fuerit condicio infantium in lege naturae.

Putandum non est in lege naturae infantes fuisse simpliciter melioris condicionis, quam nunc sunt, quia tunc faciliore remedio sanctificari poterant. Nam quo magis determinatus est ritus, alioqui simplex, eo facilius constat revera praestita esse ea, quae necessaria sunt. Temporibus igitur legis naturae multo facilius fieri poterat, ut signum illud propter suam indeterminationem aut oblivioni daretur, praesertim genere humano in dies in peiorem statum religiosum ruente, aut non debito modo usurparetur. Per accidens autem potest utique contingere, ut nunc aliquis particularis infans difficilius possit a peccato liberari, quam tunc poterat.

53. *Schol. 3.* Num iu lege naturae etiam alia fuerint sacramenta.

De hac re nihil constat. *S. Thomas* videtur affirmare (3, q. 65, a. 1 ad 7), quem thomistae sequuntur, ut *Gonetus* (disp. 2, a. 2, § 2, n. 59); contra alii, ut *Suarez, Vazquez, de Lugo*, negant, quia tunc non dabantur communiter nisi necessaria ad salutem. Sed ad salutem requiritur tantum sacramentum pro infantibus et contritio vel caritas pro adultis (cf. *de Lugo* disp. 3, sect. 2, n. 60).

Prop. V. In lege vetere vera sacramenta exsistebant.

54. *Lex vetus* intellegitur positiva illa Dei institutio, quae a Moysis temporibus usque ad Christi mortem omnibus et solis iudaeis servanda erat (cf. V, n. 464 sqq). Ergo gentes non iudaicae non pertinebant ad legem veterem sed ad legem naturae. — Propositionem in duas partes ita dividimus, ut prius generatim ostendamus fuisse in vetere lege sacramenta, et secundo inquiramus, quaenam fuerint.

I. Fuerunt in vetere lege sacramenta.

55. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Constat Deum instituisse multas caerimonias sacras, quae ad sanctificationem legalem cultorum Dei spectarent (cf. Lv12sqq). Atqui *S. Paulus* docet (1 Cor 10. Hebr 9 et 10) omnes has caerimonias fuisse praefigurativas gratiae Christi. Ergo fuerunt in vetere lege signa sensibilia gratiae, efficientia alicuius sanctificationis, seu fuerunt vera sacramenta.

56. *Arg. 2.* Ex SS. Patribus.

£ *Augustinus* docet: BPrima sacramenta, quae observabantur et celebrabantur ex lege, praenuntiativa erant Christi venturi; quae cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt, et ideo ablata, quia impleta; non enim venit solvere legem sed adimplere; et alia sunt instituta virtute maiora, utilitate meliora, actu facilia, numero pauciora, tamquam iustitia fidei revelata et in libertatem vocatis filiis Dei iugo servitutis ablato, quod duro et carni dedito populo congruebat" (Contra Faust. l. 19, c. 13; M 42, 355; cf. supra n. 16). Similia docent *Ambrosius* (In Ps. 38, n. 25; 3/ 14, 1051; De sacram. l. 1, c. 4 et 6; Jf 16, 420 sq), vulg. *Dionysius* (De eccl. hierarch, c. 5, n. 2; M 3, 502), *Bruno Astens.* (Hom. 34; 3f 165, 792), alii.

57. *Arg. 3.* Ex theologis.

Theologi unanimiter consentiunt in propositionem, prout generaliter a nobis statuta est. Unde sufficiat audire *S. Thomam*, qui has *rationes convenientiae* pro institutione specialium sacramentorum veteris legis affert: „*Per incrementa temporum et peccatum coepit in homine magis*

dominari in tantum, quod ratione hominis per peccata obtenebrata non sufficerent homini ad recte vivendum praecepta legis naturae, sed necesse fuit determinari praecepta in lege scripta et cum his quaedam fidei sacramenta. Oportebat etiam, quod per incrementa temporum *magis explicaretur cognitio fidei*. . . . Et ideo etiam necesse fuit, quod in vetere lege quaedam sacramenta fidei, quam habebant de Christo venturo, determinarentur; quae quidem comparantur ad sacramenta, quae fuerunt ante legem, sicut determinatum ad indeterminatum, quia sci. ante legem non fuit determinate praefixum homini, quibus sacramentis uteretur, sicut fuit per legem" (3, q. 61, a. 3).

Simul per has caerimonias *maceries exstruebatur*, qua a gentilibus separarentur iudaei tamquam Dei populus (Eph 2, 14). Ipsi vero iudaei intellegebant se *impares esse adipiscendae iustificationi* per observationem legis tam difficilis: „quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo" (Rom 3, 20), et ita lex subintravit, ut abundaret delictum (Rom 5, 20), et homines peccatores se videntes desiderio redemptoris inflammarentur (cf. V, n. 484 sqq).

58. *Arg. 4.* Ex doctrina conciliorum.

Cone, flor.: „Novae legis sacramenta . . . multum a sacramentis differunt antiquae legis . . ." (*Denz.* n. 695). *Cone. trid.* (sess. 7, can. 2 de sacram.): „S. q. d. novae legis sacramenta a sacramentis antiquae legis non differre . . . A. S.“ (*Denz.* n. 845).

II. Quenam fuerint sacramenta veteria legis.

59. Veteres doctores scholastici et theologi posteriores fatentur omnes *circumcisionem fuisse sacramentum* {*De Augustinis, De sacram. I, thes. 3, p. 35*). Nam ipsa est a Deo instituta in signum foederis, quod inierat cum Abraham et posteris eius (Gn 17, 10 sqq. Lv 12, 3. los 5, 2 sqq), quo signo masculus admittebatur ad populum Dei et segregabatur a gentibus (Gn 17, 14. Ex 12, 44 48: cf. 19, 5 6. Rom 9, 4 5). Circumcisionem autem significasse gratiam Christi ex iis, quae antea dicta sunt, constat, quare baptismus vocatur circumcisio spiritualis (Coi 2, 11 12; cf. Dt 10, 16; 30, 6, ubi indicatur corporali circumcisio significari spiritualem circumcisionem). Nam, inquit 8. *Augustinus*, „circumcisio fuit illius temporis sacramentum, quod praefigurabat nostri temporis baptismum" (*De anima* l. 2, c. 11, n. 15; *M* 44, 504). „Circumcisio per remotionem carnalis pelliculae in membro generationis factam significabat spoliationem vetustae generationis, a qua quidem vetustate liberamur per passionem Christi" (8. *Thomas* 3, q. 37, a. 1 ad 1).

Significatio igitur proxima circumcisionis erat professio fidei, insertio in populum Dei (Gn 17, 10. Ex 12, 48), renuntiatio peccati. Typica

vero significatio erat ablatio corruptionis per Christum efficienda; quae, quia perfecto complebitur in octava mundi aetate, ideo circumcisio fiebat die octavo, quamvis hoc tempus etiam esset praescriptum ratione habita teneritudinis infantis.

60. Sicut per circumcisionem totus populus consecrabatur ad Dei cultum, ita speciali modo consecrabantur Aaron et filii eius *sacerdotum consecratione*, quae describitur Ex 29, 29 et Lv 8, 2 12; 21, 10. — Eratne haec consecratio sacramentum? Ritus erat a Deo praescriptus ad conferendam sanctificationem specialem. Porro ille ritus simul praefigurabat gratiam per nostrum sacramentum ordinis dandam. At quaestio est, utrum Aaron tantum et primi sacerdotes ita consecrati sint an etiam posteriores sacerdotes. Nam ritus non perenniter institutus non est sacramentum. *Schegg* (Bibi. Archaeol. 550) negat consecrationem posteriorum sacerdotum; *P. Scholz* (Die heiligen Altertümer des Volkes Israel I 52) eam probabilius admittendam esse censet (cf. Ex 29, 29).

61. Alii ritus spectabant ad ipsum exercitium divini cultus, et quidem *esus agni paschalis* pertinebat ad totum populum. Erat hic ritus institutus ad commemorationem beneficii redemptionis ex Aegypto (Ex 12, 26) et ad separandos iudaeos a ceteris populis (Ex 12, 24 43). Figurabat autem pascha nostrum Christum (1 Cor 5, 7). Unde, quamvis nonnulli theologi dubitent, tamen plerique merito docent esum agni paschalis fuisse sacramentum. Idem docet *S. Thomas* de *esu panum propositionis* et aliorum, quae erant usui sacerdotum deputata (1, 2, q. 102, a. 4). Solis sacerdotibus licebat vesci his panibus et quidem in loco sancto (Lv 24, 9). Possunt hi panes propositionis considerari ut typus eucharistiae.

62. Tandem variae erant *expiationes a peccatis et immunditiis legalibus*, quibus immunditiis iudaei impediabantur a cultu divino (Lv 12 sqq. Nm 19 sqq). Quae omnia baptismata et iustitiae carnis erant usque ad tempus correctionis imposita (Hebr 9, 10), quorum loco in novo testamento unicum sacramentum paenitentiae institutum est.

63. Tribus vero sacramentis novae legis, i. e. confirmationi, matrimonio, extremae unctioni, non respondet sacramentum veteris legis. — Ratio est, quia confirmatio est sacramentum plenitudinis gratiae Spiritus Sancti, quae plenitudo nondum erat data in vetere lege. — Matrimonium autem est sacramentum unionis factae inter Christum et ecclesiam, quae unio tunc nondum erat consummata. — Extrema vero unctio est immediata praeparatio ad introitum gloriae, cuius aditus non patebat ante Christum (cf. *S. Thomas* 1, 2, q. 102, a. 5).

64. *Schol.* Sicut pro infantibus gentilium, ita enim pro puellis iudaeorum et pro pueris ante octavum diem morientibus perseverabat sacramentum legis naturae in expiationem peccati originalis (8. *Thomas* 8, q. 70, a. 4 ad 3. *Dom. Sotus*, In 4, dist. 2, q. 1, a. 3. *Suarez* disp. 5, sect. 1, η. 16).

Prop. A I. In lege nova existunt sacramenta.

65. Quia ea, quae postea dicenda sunt, existentiam sacramentorum novae legis probant, hic rationes tantum convenientiae afferemus, quae ostendunt, cur religio Christiana suis sacramentis carere non debeat.

66. *Rationes convenientiae:* a) Nova lex naturam non destruit, sed supponit. Atqui naturale est homini non internam tantum religionem habere, sed eam etiam per signa externa manifestare.

b) Quia ecclesia Christi est societas visibilis et arta unitate membrorum constituta, huius unitatis etiam signa sensibilia esse convenit.

c) Quia ecclesiae caput visibile est Christus, qui sensibiliter passione sua gratiam meruit, ideo eius memoria sensibilibus signis renovetur oportet.

d) Per sacramenta sensibilia sapientia, potentia, liberalitas Christi magis commendatur, siquidem corporeis rebus, quibus cotidie utimur, quasi via facillima, salutem nostram efficere voluit.

e) Augetur spes salutis nostrae, quia sacramenta et pignora quaedam aspectabilia nostrae sanctificationis sunt et ultra meritum nostrarum actionum gratiam conferunt.

f) Ex altera autem parte ostenditur divina iustitia, quia non sufficit, ut Christus pro nobis passus sit, nisi etiam fructus huius passionis nobis cooperantibus applicetur, et quia sensibilibus creaturis nos subicere debemus ad sanctificationem, quibus abusi sumus ad peccandum. — Ergo „status novae legis medius est inter statum veteris legis, cuius figurae implentur in nova lege, et inter statum gloriae, in qua omnis nude et perfecte manifestabitur veritas; et ideo tunc nulla erunt sacramenta; nunc autem, quamdiu per speculum et in aenigmate cognoscimus (1 Cor 13, 12), oportet nos per aliqua sensibilia signa in spiritualia devenire, quod pertinet ad rationem sacramentorum⁸ (8. *Thomas* 3, q. 61, a. 4 ad 1).

SECTIO II.

DE NUMERO SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS.

Prop. VII Septem sunt novae legis sacramenta.

67. Sicut pauci tantum haeretici fuerunt, qui sacramenta omnia plane reiciebant, ut e. g. quidam spiritualistae medii aevi (cf. *Denz.* n. 367), ita omnes fere haeretici nostrae aetatis discrepant a doctrina catholica circa rem sacramentariam in compluribus quaestionibus essentialibus, quarum prima est de *numero* sacramentorum.

Et *Lutherus* quidem ab initio suae apostasiae septem sacramenta admittebat, de quibus inter alia loquitur in «Sermone de novo testamento» (n. 24) anno 1520 habito. Sed eodem anno initio libri „De captivitate babylonica“ scribit: «Principio neganda mihi sunt septem sacramenta, et tantum tria pro tempore ponenda: baptismus, paenitentia, panis/ Nihilominus in hoc ipso libro circa hanc rem omnino contraria statuit. Anno deinde 1523 in tractatu «De adoratione sacramenti» docet duo esse sacramenta: baptismum et cenam Domini.

Melanchthon in prima editione «Locorum» (1522) duo tantum sacramenta admittebat, in posterioribus editionibus adiecit «Absolutionem» et inclinabat ad admittendam ordinationem, «quia haec etiam evangelico mandato praecipitur, et addita est promissio». Postea etiam matrimonium inter sacramenta recensendum putabat.

Zwinglius et *Calvinus* duo tantum sacramenta admittunt: baptismum et cenam, qui numerus binarius apud protestantes post multas mutationes tandem constans esse videtur (cf. *Bellarmin.*, De sacram. l. 2, c. 23; *Winer*, Compar. Darst. d. Lehrbegr., ed. 4, 171 sq).

68. Contra hos omnes haeticos probandum est *septenarium numerum sacramentorum esse traditionem apostolicam*. Quod ita fieri potest, ut aut ostendamus directe singula sacramenta contineri verbo Dei scripto et antiquissima traditione; aut indirecte ostendamus numerum septenarium *praescriptionis argumento*. Hanc alteram viam solam hic sequemur, quia tractatus de singulis sacramentis postea veniet, ubi videndum erit, num et quomodo directa probatio ad singula sacramenta adhiberi possit.

69. *Arg. I.* Ex diserta professione ecclesiae catholicae inde a saeculo XII.

Inde a saeculo XII septenarius numerus sacramentorum erat in diserta professione ecclesiae catholicae. Atqui hoc factum ostendit apostolicam traditionem. Ergo . . .

70. *Prob. mai.*: Prima conumeratio septem sacramentorum invenitur in *statutis synodalibus S. Sonnacii*, episcopi remensis (saec. VII; Ƴ 80, 443). Sed genuinitas huius documenti non est extra dubium posita.

In vita S. *Otonis*, episcopi bambergensis et apostoli pomeranorum (circa annum 1139), a sociis et comitibus Tiemone et Sefrido scriptori vitae Herbordo narrata, tribuitur ei catechesis, qua sanctus episcopus discessurus fidelibus dicitur reliquisse breve doctrinae compendium, in quo inter alia haec leguntur: „Discessurus a vobis trado vobis, quae tradita sunt nobis a Domino, arrham fidei sanctae inter vos et Deum, septem sci. sacramenta ecclesiae, quasi septem significativa dona Spiritus Sancti“, quae sacramenta dein enumerat (*Bolland.* tom. I Iui. 396 sqq et *Monum. Germ. hist., Script.* XX 732; cf. 700 sqq).

Gregorius, episcopus bergamensis (1133—1146), in opusculo de veritate corporis Christi scripto contra doctrinam Berengarii haec habet: „Verum ne quis occasione dictorum existimet tot esse sacramenta, quot sunt quibus congruit sacramenti vocabulum, scire debemus ea solum esse ecclesiae sacramenta, a servatore nostro Iesu instituta, quae in medicinam nobis tributa fuere, et haec numero adimplentur septenario“ (cf. *Zeitschrift fur kath. Theol., Innsbruck* 1878, 800).

Scriptor anonymus opusculi, quod inscribitur „Sententiae divinitatis“ (probabiliter ante 1147; ed. *Bern. Geyer*, Munster 1909), ita dividit sacramenta (p. 108 sq): „Sacramentorum quaedam sunt communia, quaedam minime. Non communia competunt in laicali professione permanentibus, ut coniugium, quaedam vero divino officio mancipatis, ut sacri ordines. . . . De communibus prius videndum est . . . quorum haec sunt nomina: baptismus, impositio manus, paenitentia, corpus et sanguis Christi, unctio sollemnis infirmorum.“

Magister *Dolandus* (Bandinellus), postea Alexander III, in *BSententiis*, quas circa annum 1150 composuit, septem nostra sacramenta ex ordine enumerat (*Die Sentenzen Rolands. Herausgeg. v. A. M. Gietl, Freiburg* 1891, 154 sqq cum nota, 194 sqq).

Petrus Lombardus (f 1164) in 4, dist. 1 sacramentum definit: **S**acramentum proprie dicitur, quod ita signum est gratiae Dei et invisibilis gratiae forma, ut ipsius imaginem gerat et causa existat. Dein dist. 2: „Iam ad sacramenta novae legis accedamus, quae sunt baptismus, confirmatio, panis benedictio, i. e. eucharistia, paenitentia, unctio extrema, ordo, coniugium.“ Post Lombardum scholastici omnes aperte docent septenarium numerum sacramentorum nullo vel minimum dubitante.

71. *Accedunt ecclesiae sollemnes professiones* sive a summis pontificibus editae sive a conciliis provincialibus sive a conciliis generalibus statutae. Huc pertinent professio fidei ab *Innocentio III* (1208) waldensibus praescripta (*Denz.* n. 424) et articuli, de quibus ex mandato

Martini V' interrogandi erant ii, qui suspecti erant errorum Wiclif et Hus (*Denz.* n. 665 sqq).

Porro *concilia jn-ovincialia* ex saeculo XIII, ut *dunelmense* (Durham) anno 1217 (*Mansi* XXII 110), *oxoniense* anno 1222 (ib. 1173), *londincnse* anno 1273 (ib. XXIII 448) idem docent. Hoc ultimum e. g., quod habitum fuit praeside legato apostolico, haec statuit: "Sacramenta principalia [i. e. stricte dicta], quae et quot sunt, propter simpliciores duximus exprimenda: sunt enim baptismus, confirmatio, paenitentia, eucharistia, extrema unctio, matrimonium et ordo."

In *decreto pro armenis* legitur: „Novae legis sacramenta sunt septem, videlicet baptismus . . .“ (*Denz.* n. 695). Tandem doctrina definita est a *concilio tridentino* sess. 7, can. 1: „S. q. d. sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet baptismum . . . aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, A. S.“ (*Denz.* n. 844).

72. *Prob. min.: Hic consensus iis insignitus est characteribus, ut certo nobis manifestet apostolicam traditionem.* Nam per multa saecula ecclesia catholica tam theoretice quam practice et usu tum privato tum publico ut dogma fidei profitetur septem esse sacramenta, et quidem exclusa omni dubitatione et omni controversia.

Porro numquam apparet haec doctrina ut nova et antea inaudita, sed potius omnes declarant se velle stare iis, quae tradita sunt, quaeque ipsi iam diu stabilita in ecclesia invenerant. Quare veteres scholastici ne agitant quidem quaestionem, num sint septem sacramenta, sed solum, num convenienter sint septem; id quod recte notat *Dom. Soto*: „Non quaeritur de numeri [sacramentorum] certitudine; illa siquidem ecclesiae traditione et usu citra disputationem constantissima est; sed de eius convenientia“ (In 4, dist. 1, q. 6, a. 1).

Quae si quis diligenter consideraverit, sane cum *Suaresio* fatebitur: „Hoc [quod septem sunt sacramenta] non est aliquid novum in ecclesia, sed potius tam antiquum, ut praeterita tempora usque ad Christum repetendo nullum eius initium vel in aliquo concilio vel in alicuius pontificis decreto reperiatur; ergo signum est, a Christo per apostolos et eorum successores usque ad nos pervenisse“ (In 3, q. 65, a. 1, n. 4).

73. *Aperte autem falsum est, quod quidam protestantes dicunt, numerum septenarium inde ortum esse, quod Petrus Lombardus ea sacramenta, quae apud Hugonem Victorinum, et ea quae apud Robertum Pullum invenerit, combinaverit* (cf. *G. L. Hahn*, Die Lehre von den Sacramenten, Breslau 1864, 112).

Nam S. Otto et Gregorius Bergamensis iam ante Hugonem et Pullum numerum septenarium docent ut articulum fidei ab ecclesia traditae.

Praeterea in opere „De caerimoniis, sacramentis, officiis et observationibus ecclesiasticis⁸ diserte statuitur: nSeptem sunt principalia sacramenta, quae in ecclesia ministrantur, quorum quinque generalia sunt, quia ab iis neuter sexus, nulla aetas, condicio nulla excluditur, videlicet baptismus, confirmatio, eucharistia, paenitentia, unctio infirmorum. Duo particularia sunt, eo quod non tribuantur omnibus sed quibusdam hominibus, ordines sci. et coniugium" (l. 1, c. 12; *M VII*, 388). Hoc opus a quibusdam tribuitur Hugoni Victorino, ab aliis Roberto Paululo. Tandem „Sententiae divinitatis", Hugo Victorius in libro 2 de sacramentis et Sententiae, quae ei adseribi solent, omnia septem sacramenta distincte enumerant (*Ji* 176, 127 sqq 421 sqq 441 sqq 479 sqq 549 sqq).

74. Ergo ex hoc consensu constanti et universali totius ecclesiae recte concluditur adesse traditionem apostolicam, primo quia ecclesia infallibilis non potuit tali modo doctrinam non revelatam docere, secundo quia, etsi res mere historice consideratur, non potest ostendi, quando post apostolorum aetatem haec doctrina introducta sit, et omnia tentamina, quae hucusque fecerunt protestantes, cum factis manifestis pugnant.

75. *Artj. 2.* Ex consensu ecclesiarum orientalium.

Omnes ecclesiae orientales, etiam eae, quae iam per multa saecula ab ecclesia catholica defecerunt, unanimiter docent septenarium numerum sacramentorum. Atqui hoc factum signum est traditionis apostolicae.

76. *Prob. mai.:* Quoties actum est de reconciliatione ecclesiae graecae cum catholica, *numquam vel minimus dissensus apparuit in doctrina de numero sacramentorum;* contra graeci unitatem doctrinae quoad hanc partem explicite professi sunt. Huc pertinet „*professio fidei*" *Michaelis Palaeologi*, ipsi a Clemente IV proposita et ab ipso anno 1274 Gregorio X oblata, in qua dicitur: „Tenet et docet eadem sancta romana ecclesia septem esse ecclesiastica sacramenta, unum sci. baptisma ..." (*Denz.* n. 465).

77. *Eandem fidem graeci contra protestantes polemicè quoque statuerunt.* Saepius enim protestantes conati sunt graecos schismaticos in suas partes trahere, sed in vanum. Primus omnium *Melanchthon* anno 1559 epistulam misit ad *Ioasaph II*, patriarcham constantinopolitanum, simul cum versione graeca Confessionis augustanae, ut patriarchae persuaderet inter doctrinam protestantium et graecorum non esse essentiali differentiam. Sed patriarcha responsum non dedit.

78. Postea vero *professores quidam tubingenses*, inter quos imprimis *Mart. Crusius*, nova pericula fecerunt et ad patriarcham *Ieremiam* aliosque graecos litteras, sermones, Confessionem augustanam eiusque

explicationem simul cum pecunia aliisque donis transmiserunt. Anno 1576 patriarcha longa epistula respondit, quae inter alia haec habet: „Respondebimus nihil nostrum afferentes, sed ex sanctis septem oecumenicis synodis et ex sententia ss. doctorum interpretumque divinitus inspiratae Scripturae, quos catholica Christi ecclesia unanimi consensu recepit.“ — In c. 7 sermo est de sacramentis: „Sacramenta vero ritusque in hac ipsa catholica recte sentientium Christianorum ecclesia sunt septem: baptisma . . . Quod vero haec sola sint nec plura numero, etiam divisione constat“, i. e. ostendit, quomodo haec septem sacramenta ad omnes necessitates sufficiant (*Schelstrate*, Acta orient, eccl. I 151 et 154).

Cum vero proximo anno protestantes nova epistula doctrinam suam defenderent, patriarcha iterum respondit anno 1579 et, postquam eandem de sacramentis doctrinam repetiit, in fine ait: „Omnia autem sacramenta haec Christus tradidit et divini eius discipuli. . . . Haec brevi compositione de septem ecclesiae mysteriis dicta sufficiant, quae nos pie retinemus“ (l. c. 202 sqq).

Cum iam tertio protestantes insisterent, indignatione motus patriarcha anno 1581 doctrinae capita breviter repetiit et turingensibus obiecit: „E sacramentis quaedam admittitis, sed cum errore, quippe pervertentes et mutant in his etiam antiquae et novae doctrinae dicta ad scopum vestrum, quaedam vero ne sacramenta quidem esse dicitis . . . indeque vosmet theologos vocatis“; tandem in fine addit: „Rogamus itaque vos, ne posthac labores nobis exhibeatis neque de iisdem scribatis et scripta mittatis. Nam theologos, qui ecclesiae lumina fuerunt, alios aliter tractatis, et verbis quidem honoratis eos extollitisque, factis vero reicitis. . . . Vestram igitur viam ineuntes, ne amplius de dogmatibus, sed amicitiae tantum causa, si volueritis, scribite“ (l. c. 246 sq 249).

79. His igitur lutheranorum conatibus effectu frustratis, quinquaginta circiter annis post *calviniani* meliore successu patriarcham *Cyrillum Lucarim* in suam haeresim pertrahere studuerunt. Sed hic cum doctrinam calvinianam spargere coepisset et inter alia duo tantum esse sacramenta docuisset, tribus synodis habitis Constantinopoli anno 1638 et anno 1642 et Ierosolymis anno 1672 haeresis damnatus est. *Petrus Mogilas*, metropolitanus russiacus, non solum adta synodi anni 1642 admisit, sed etiam „confessionem orthodoxae fidei“ scripsit, quae a synodo Ierosolymis anno 1672 approbata et usque ad nostra tempora apud „orthodoxos“ in summa veneratione est. Sed sicut in illa synodo anni 1642 de septem sacramentis dicitur: „quae omnia ut sacra et divinam gratiam conferentia nobis antiqua reliquit traditio“ (*Mansi* XXXIV 1634; cf. 1714 1743); ita Mogilas in „Confessione“ fuse agit „de septem sacramentis, quae sunt baptismus...“ (*Schelstrate* l. c. 504). Notandum est autem patriarcham *Parthenium*, sub quo habita est

synodus anno 1642, fuisse inimicum ecclesiae romanae, unde apparet eum certe non ex studio et amore ecclesiae latinae ita locutum, sed simpliciter traditionem graecorum secutum esse (cf. Theol. Quartalsclir., Tübingen 1843, 541 sqq, ubi *Hefele* hanc rem exponit).

80. Similiter *theologi graeci schismatici* in libris, quos scripserunt de re sacramentaria, sine ulla controversia docent numerum septenarium sacramentorum, ut *Simon Thessalonicensis*, *Gabriel Philadelphensis*, *Meletius Syrigus*, alii (*Arcudius*, De concord, eccl. occid. et orient. l. 1, c. 2. *Schelstrate* l. c. 125 139 262 273 etc.). Cum his consentiunt graecorum *libri liturgici* vetustissimi, qui omnes septem sacramenta cum suis ritibus et caerimoniis exhibent. Hos ritus collegerunt *Eusebius Renaudot*: „Liturgiae orientales *Goar*: „Eucho-logium graecorum alii.

Manifestum quidem est formalem enumerationem septem sacramentorum apud graecos non minus quam apud latinos factam non esse nisi medio aevo. Non ex hac sola formali enumeratione argumentamur, sed ex eo, quod orientalium libri liturgici septem sacramenta continent. Quare etsi fieri potuit, ut enumerationem a latinis discerent, at certe liturgias suas non a latinis receperunt, sed eas potius maxima cum aemulatione contra latinos custodierunt et defenderunt. Vix autem meliores testes fidei primitivae sunt quam hi libri, in quibus inde a SS. Patrum temporibus practica et cotidiana quasi fidei exhibitio habetur.

Nisi omnia septem sacramenta in his libris exstitissent, graeci sine dubio non minus contra septenarium numerum sacramentorum pugnassent, quam pugnarunt contra multas alias consuetudines et doctrinas latinorum, quae longe minoris momenti sunt.

81. *Reliqui quoque haeretici orientales*, qui iam inde a saeculo V ab ecclesia separati sunt, eandem doctrinam de numero septenario sacramentorum servarunt, ut de *monophysitis* ostendit *Assemani* (Bibliotheca orientalis II, Romae 1721, Dissert, de monophysitis, fol. e, n. 5), item de *nestorianis* (III, P. 2, c. 7, § 8, p. 240 sqq). Idem apparet ex opere „Perpétuité de la foi (III, l. 8, c. 18 sqq; ed. *Migne* III 639 sqq et II 1234 sqq), ubi habentur professiones fidei *syrorum*, *coptarum*, *armenorum*. De coptis (monophysitis) exstat dissertatio *Ioan. Sollerii* apud Bolland. tom. V lun. 140 sqq. — Coptorum, syrorum, armenorum ritus collegit *Denzinger*: „Ritus orientalium 2 vol., Wirceburgi 1863 sq.

Ex his igitur aliisque fontibus de consensione schismaticorum et haeticorum graecorum, russorum omniumque slavicae et rumaenicae linguae nationum, tum syrorum, Chaldaeorum, armenorum, aegyptiorum, de horum, inquam, omnium consensione quoad septenarium numerum sacramentorum certo constat.

82. *Prob. min.* : *Hic consensus est signum traditionis apostolicae.* Nam hi haeretici et schismatici tanta aversione prosequuntur ecclesiam latinam, ut, nisi ante apostasiam hanc doctrinam habuissent; certo certius eam ab ecclesia romana non accepissent. Multis enim aliis rebus, fide, ritibus, disciplina, moribus et a latinis et inter se quam maxime differunt. Praeterea tam tenaces suarum consuetudinum et opinionum se praestiterunt, ut non raro levissimas differentias ut iustas causas separationis praetenderent. Quomodo ergo rationabiliter supponi potest in hac re sane gravissima eos subito suarum consuetudinum oblitos ad ecclesiae romanae fidem accessisse et huius inventum tamquam traditionem apostolicam praedicare coepisse? Quod si prorsus admitti nequit, fatendum est iam temporibus *Photii* (saec. IX), *Dioscori*, *Eutychetis*, *Nestorii* (saec. V) doctrinam de septenario numero sacramentorum in omnibus omnino ecclesiis viguisse. Proinde cum *Tertulliano* concludamus: „Ecquid verisimile est, ut tot ac tantae [ecclesiae] in unam fidem erraverint! Nullus inter multos eventus unus est exitus; variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum" (Praescript. c. 28; *M* 2, 40).

A fortiori hoc dicendum est, quia nullum vel minimum ullius innovationis vestigium exstat, quod sane exstare debuit in re ad usum cotidianum et cultum publicum pertinente.

Ergo tam historice quam dogmatice constat de traditione apostolica, cuius contrarium apparet in haeticorum dissidio et aperto rerum novarum studio.

83. *Schol. 1.* Cnr S. Scriptura non loquatur de numero septenario.

Quod quidam protestantes obiciunt, *S. Scripturam non loqui de numero septenario*, est valde absurdum; nam non magis loquitur de numero binario vel ternario, et sic omnino nullum numerum liceret assignare. S. Scripturae non est doctrinam de sacramentis in systema et methodum redigere. Ceterum quid possit ex Scriptura erui in hac materia, postea in tractatu de singulis sacramentis videndum est.

84. *Schol. 2.* De convenientia numeri septenarii.

Numerum septenarium sacramentorum esse convenienter institutum variis rationibus explicari solet. Baptismo enim homo spiritualiter generatur, confirmatione ad virilem et perfectum statum roboratur, eucharistia nutritur, paenitentia sanatur a morbo, extrema unctione infirmitates ex morbo contractae abiguntur. Ordine fiunt magistratus ad res publicas in ecclesia gerendas, coniugio vero genus cultorum Dei conservatur (S. *Thomas* 3, q. 65, i. 1. *Catech. Rom.* P. 2, c. 1, n. 20).

Alia ratio est, quia sacramenta instituta sunt *ad septiformem morbum spiritualem, i. e. peccatum expellendum*, BscI. contra originalem

baptismus, contra mortalem paenitentia, contra venialem extrema unctio, contra ignorantiam ordo, contra malitiam eucharistia, contra infirmitatem confirmatio et contra concupiscentiam matrimonium".

.Rursus, quia perfecta curatio non potest esse sine restitutione integra sanitatis et sanitas animae integrae consistit in *usu septeni virtutum*, trium sci. theologiarum et quattuor cardinalium, hinc est, quod ad harum usum sanum restituendum institui oportuit septiforme sacramentum. Nam baptismus sanando disponit ad fidem, confirmatio ad spem, eucharistia ad caritatem, paenitentia ad iustitiam, unctio extrema ad perseverantiam, quae est fortitudinis complementum et summa, ordo ad prudentiam, matrimonium ad **temperantiam conservandam**" (*S. Bonaventura*, Brevil. P. 6, c. 3).

Aliae praeterea ab aliis rationes afferuntur, sed notandum est, in bis congruentiis et proportionibus non esse petendam exactam similitudinem neque absolutam demonstrationem, quae ostendat id, quod factum est, esse ita conveniens, ut non possit alio convenienti modo fieri; constat enim hoc non esse necessarium, quia facile est Deo variis atque infinitis modis convenientibus atque infinitae sapientiae eius consentaneis hominibus consulere" (*Suarez*, In 3, q. 65, a. 1, n. 9). Plura de hac re habet *Oswald*, De sacram. P. 1, c. 7, § 12.

85. *Schol. 3.* De ordine enumerationis sacramentorum.

Ordo enumerationis sacramentorum varius quidem esse potest et reapse est apud veteres scriptores secundum varium considerandi modum; sed iam inde a saeculo XII constans ordo enumerationis solet esse hic: baptismus, confirmatio, eucharistia, paenitentia, extrema unctio, ordo, matrimonium, quem ordinem etiam *Eugenius IV, conc. trid., catech. rom.* sequuntur. Huius ordinis ratio perspicitur ex iis, quae dicta sunt supra n. 7 (cf. *S. Thomas* 3, q. 65, a. 2).

Quia autem septem *sacramenta non sunt omnia inter se paria* (*conc. trid. sess. 7, can. 3*), sub vario respectu inter se comparari et coordinari possunt. Ita *interna dignitate* omnibus praestat eucharistia, ad quam propterea alia sacramenta tamquam radii ad solem referri possunt. Paenitentia vero sub hoc respectu est infimum sacramentum (*£ Thomas* 3, q. 65, a. 3).

Uatione necessitatis pro singulis, ut vitam spiritualem accipiant, cohaerent baptismus et paenitentia (sacramenta mortuorum); pro communitate vero requiruntur ordo et matrimonium; cetera sacramenta non sunt ita necessaria.

Uatione iterationis ex una parte habentur baptismus, confirmatio, ordo; ex altera reliqua. Tria illa characterem imprimunt, reliqua non imprimunt.

Uatione specialis relationis ad virtutes inter se nectuntur baptismus, confirmatio, eucharistia ex una et reliqua sacramenta ex altera parte.

86. *Schol. 4.* Non omnia sacramenta sunt singulis hominibus necessaria.

Quamvis septem sacramenta ad salutem hominum sint instituta, nulla existit necessitas, ut singuli homines ad salutem consequendam omnia sacramenta recipiant; neque ea, quae singulis necessaria sunt, omnia eodem modo necessaria sunt. Quae vero sit singulorum sacramentorum necessitas, postea dicitur in tractatu de sacramentis in specie (cf. *conc. trid.* sess. 7, can. 4; *S. Thomas* 3, q. 65, a. 4).

Prop. VIII. Ex modo, quo SS. Patres de sacramentis loquuntur, seria difficultas contra septenarium sacramentorum numerum moveri non potest.

87. *Quod SS. Patres numquam diserte de septenario numero sacramentorum loquuntur*, neque mirum est neque quicquam contra veritatem propositionis praecedentis probat. Esset enim ad summum argumentum ex silentio, quod tamdiu inefficax est, quamdiu non probatur SS. Patres debuisse explicite docere septem esse sacramenta. Hoc autem non potest probari, quia sufficit Christianos de singulis sacramentis in specie instruere, licet non expresse addatur haec, si enumerentur, esse numero septem. Immo quia talis enumeratio supponit theologiae scientiam iam in systema quoddam scientificum redactam et res singulas in suprema quaedam genera collectas esse, nemo, qui methodum SS. Patrum noverit, exspectabit se tales descriptiones apud eos inventurum esse. Itaque quod SS. Patres non assignant septem sacramenta, nullo modo ostendit eos non novisse septem sacramenta. Secus deberemus dicere SS. Patres nulla sacramenta novisse, quia nullum numerum assignant. Ergo si protestantes obiciunt SS. Patres non loqui de numero septenario, haec obiectio aequae contra ipsos pugnat, quia SS. Patres non magis loquuntur de numero binario.

II.

88. *SS. Patres reapse novisse septem nostra sacramenta negari nequit.* Pro singulis enim sacramentis argumentum traditionis in sequentibus tractatibus afferetur. Aliqua tantum difficultas est quoad *extremam unctionem*; de qua raro mentio occurrit apud SS. Patres; ratio est, quia eam saepe cum sacramento paenitentiae coniungunt. Ita e. g. *Origenes* (In Lev. hom. 2, n. 4; *M* 12, 419) loquens de paenitentia dicit: „In quo impletur et illud, quod apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros ecclesiae...” (Iac 5, 14). Similiter *S. Ioan. Chrysostomus*: „Neque tantum, cum nos regenerant [sacerdotes], sed etiam post generationem admissa peccata condonare possunt. Nam: Infirmatur, inquit, quis in vobis, advocet presbyteros...”

(De sacerdotibus. l. 3, n. 6; *M* 48, 644). Ex modo, quo *Innocentius I* et *Decentius* episcopus loquuntur, patet unctionem infirmorum iam diu fuisse sacramentum ecclesiae (*Denz.* n. 99). Cetera autem sacramenta SS. Patres dare indicant, utique modo haec modo illa. Ita *Tertullianus* testatur baptismum et confirmationem: «Egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione de pristina disciplina.... Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum Sanctum" (De bapt. c. 7 sq; *M* 1, 1206). Testatur eucharistiam: «Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur" (De resurr. c. 8; *M* 2, 809). De paenitentia scripsit specialem libellum, in cuius altera parte (c. 7 sqq) ostendit lapsos post baptismum, si debita paenitentia functi sint, per ecclesiam reconciliari (*Ai* 1, 1241 sqq). De matrimonio ait: «Unde sufficimus ad enarrandam felicitatem illius matrimonii, quod ecclesia conciliat et confirmat oblatio et obsignat benedictio" (Ad uxor. l. 2, c. 9; *M* 1, 1302). Ordines sacros fuisse tunc in ecclesia supponit, quoties loquitur de episcopis, presbyteris, diaconis (e. g. De bapt. c. 17; *M* 1, 1217). Alibi ait: Diabolus «ipsas quoque res sacramentorum divinorum in idolorum mysteriis aemulatur. Tingit et ipse quosdam . . . Mithra signat illic in frontibus milites suos, celebrat et panis oblationem, et imaginem resurrectionis [remissionis peccatorum] inducit. . . . Quid quod et suum pontificem unius nuptiis statuit. . . . Habet et virgines, habet et continentes. . . . Qui ergo ipsas res, de quibus sacramenta Christi administrantur, tam aemulanter affectavit exprimere in negotiis idololatriae . . ." (Praescript. c. 40; *M* 2, 54 sq). *S. Augustinus* inducit sacerdotem «deprecantem vel super aquam baptismi vel super oleum vel super eucharistiam vel] super capita eorum, quibus manus imponitur" (De bapt. l. 5, c. 20, n. 28; *M* 1/ 43, 190). Hic igitur commemorat quatuor sacramentalia. Alibi de ordine et baptismo ait: «Utrumque sacramentum est, et quadam consecratione datur; ideoque in catholica utrumque non licet iterari" (Contra ep. Parm. l. 2, c. 13, n. 28; *M* 43, 70 sq). Itaque ordo est quintum sacramentum. Sextum est matrimonium, de quo ait: «Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est et in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti. . . . Nec ea re non subséquente, propter quam fiunt, solvitur vinculum nuptiale nisi coniugis morte. Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinis" (De bono coniug. c. 24, n. 32; *M* 3/ 40, 394). Num *S. Augustinus*, quando de sacro oleo loquitur,

1 Manus impositio apud Latinos est absolutio paenitentium, apud Graecos confirmatio. Paenitentium, quae fit per manus impositionem, *Augustinus* comparat cum baptismo: „Si a catechumeno factum est [crimen], baptismate abluitur; et si a baptizato, paenitentia et reconciliatione sanatur" (De coniug. adult. l. 2, c. 16, n. 16. *M* 40. 482).

etiam intellegat oleum extremae unctionis, non potest cum certitudine decidi. Cf. *S. Basil.*, De Spiritu Sancto c. 27 (*M* 32, 187). *S. Isidor.*, Etymol. l. 6, c. 19 (*Af* 82, 255 sqq).

III.

89. Ex his exemplis manifestum est *SS. Patres saepe per incidens et exempli gratia quaedam sacramenta enumerare*. Sin autem data opera certa sacramenta simul nominant et tractant, ea sunt, quae catechumenis proxime suscipienda erant, i. e. baptismus, confirmatio, eucharistia, quibus interdum addunt sacramentum ordinis, quia neophyti scire debent, quid sit sacerdotium in ecclesia. — Ita *S. Cyrillus Hieros.* in Catech. myst., ita *S. Ambrosius*, De mysteriis, etc. Quia igitur *SS. Patres non secundum methodum scientificam, sed secundum respectus practicos*, prout occasio postulabat, de sacramentis agebant, certe mirum non est, quod eorum loquendi ratio multum differt a modo, quo eadem res in scientifico theologiae systemate tractari solet. Sicut genèratim methodica theologiae tractatio magnus progressus erat in explicandis et intellegendis dogmatis, ita in specie doctrina de sacramentis apud posteriores theologos multo magis apparet ut aliquod totum in se conclusum et omnibus numeris absolutum.

IV.

90. Sed praeterea in re sacramentaria *duae praecipue difficultates* erant, quae impediabant, quominus tractatus de sacramentis ad suam perfectionem perduci posset. Nam

a) *Nomine sacramenti illis priscis temporibus significabantur res maxime variae et inter se satis dissimiles*. Itaque cum iam per se sit quaestio difficilis et usque ad nostra tempora disputationibus obnoxia, quae sit definitio maxime apta sacramentorum, ita multo difficilius erat ex ingenti multitudine earum rerum, quae aetate Patrum sacramenta vocabantur, eligere clare et distincte proprietates communes sacramentorum presse dictorum. Sufficiebat igitur Patribus suo loco explicare hoc vel illud signum esse sacrum et ex institutione Christi gratiae collativum. Cum progressu vero temporum et vox sacramenti restricta et, necessitate postulante, tractatus de sacramentis in genere institutus est. Eo autem ipso, quod communis notio omnium sacramentorum in genere definiebatur, enumeratio sacramentorum sua quasi sponte sequebatur. Cum *SS. Patres* potius sacramenta singula consideraverint, secundum quod inter se differunt, posteriores theologo per analysim et synthesim sacramenta omnia secundum communes notas in unum genus redegerunt. Itaque res est eadem sed forma alia.

91. b) Tandem *disciplina arcani* obstabat, quominus de tota re sacramentaria integros tractatus haberent *SS. Patres*. Postulabat enim haec disciplina, ut summa cautio adhiberetur, ne sacramentorum

doctrina infidelibus proderetur. „Obscure de mysteriis divinis loquimur propter non initiatos; iis vero semotis perspicue initiatos docemus" (*Theodori*, In Num. interrog. 16; *M* 80, 367). Quare apud SS. Patres, cum de sacramentis loquuntur, saepissime occurrunt formulae illae: „Norunt ðnitiati „Non audeo dicere propter non initiatos", quae quidem formulae praecipue adhibentur de eucharistia (cf. infra n. 619), non tamen de hac sola. Nam de baptismo e. g. *S. Ioan. Chrysostomus* ait: „Volo quidem aperte hoc dicere, verum non audeo propter non initiatos" (In 1 Cor. hom. 40, n. 1; *M* 61, 348). Idem de ordine: „Acclamant fideles, quae norunt initiati; neque enim fas est coram non initiatis omnia detegere" (In 2 Cor. hom. 18, n. 3; *AI* 61, 527). De confirmatione *Innocentius I* interrogatus a Decentio episcopo respondet se non audere omnia litteris consignare, „ne magis prodere videar quam ad consultationem respondere" (Ep. 25, n. 6; *Jf* 20, 555). Sic vero *S. Cyrillus Hieros.* de catechesibus suis, in quibus agit de nonnullis sacramentis, monet lectores: „Catecheses has illuminatorum iis quidem, qui accedunt ad baptisma, et fidelibus, qui iam suscepere lavacrum, legendas exhibere potes; catechumenis vero et aliis quibuslibet, qui christiani non sunt, prorsus ne dederis. Et si harum exemplar transcripseris, per Dominum rogo, hoc monitum praefigas" (Post Procatech.; *M* 33, 366)h De disciplina arcani conferri potest *Schelstrate* dissert, de discipl. arcani in opere citato: Acta orient, eccl.

Olim quidem multi ambitum et vetustatem disciplinae arcani exaggerabant, eamque ab ipsis fortasse apostolis vel non multo post institutam esse volebant. Sed ultimis decenniis opposita opinio vigere coepit, secundum quam initio circiter saeculi quarti tantum vel non multo ante usus huius disciplinae obtinuit. Inter catholicos maxime *P. Batiffol* illam sententiam priorem impugnavit putatque disciplinam arcani non fuisse nisi rationem quandam paedagogicam tractandi catechumenos, quae cum institutione catechumenatus paulatim introducta sit, eamque non magnum influxum habuisse in scripta SS. Patrum de re sacramentaria (*Études d'histoire et de théologie positive* I, 5e éd., Paris 1907, 3 sqq). Contra vero *F. X. Funk* negat probationem doctoris Batiffol esse efficacem, cum disciplina arcani usque ad saeculum secundum ascendat, et ratio huius disciplinae nequaquam fuerit paedagogica tantum, sed potius reverentia sacramentorum, quorum notitia catechumeni nondum digni habebantur (*Theolog. Quartalschrift*, Tübingen 1903, 69 sqq). Hoc diserte *Basilius* (De Spiritu Sancto c. 35, n. 66; *iV* 32, 189) testatur. Non est huius loci in hanc quaestionem ingredi. Nobis sufficit, quod disciplina arcani ab iis Patribus, qui maxime de re sacramentaria scripserunt, servata est et ita secundaria quaedam ratio esse potuit, cur non clarius locuti sint.

† Interdum christiani apertius loquebantur, ut *Iustinus M.*, ad calumnias gentilium refutandas, do quibus cf. *yiignr*, P. G. 11, 651 ia nota 91.

Ex hac enim disciplina arcani intellegitur, cur Patres de sacramentis satis parce loquantur, et ubi loquuntur, non raro verbis obscurioribus utantur; cur integros tractatus de sacramentis non ediderint, sed res singulas, in quantum necessarium erat, explanaverint; cur denique catechumenis ea sola exposuerint, quae ad susceptionem sacramentorum requirebantur.

Quae omnia simul sumpta clare ostendunt, quomodo SS. Patres eandem potuerint habere fidem sacramentorum, quam hodie ecclesia profitetur, licet de numero septenario numquam diserte loquantur.

92. *Schol. 1.* De quibusdam scriptoribus orientalibus male sacramenta enumerantibus.

„*Vartanus armeniis* monophysita saec. XIII (apud *Galanum* in .Conciliat, ecclesiae armenae† II 440), *Ebed lesu* sobensis nestorianus saec. XIII labente et XIV ineunte (apud *Assemanium*, Bibi, orient. III, P. 2, 240), *Iob* monachus et *Damascenus Thessalonicensis* monachus Studita (apud *Arcudium*, De concord. l. 1, c. 2, et *Leonem Allât.*, De consensu etc. l. 3, c. 16, n. 4, p. 1256 1258), omnes quidem diserte et ex ordine numerant septem sacramenta ecclesiae, atque adeo in numero sacramentorum plene consentiunt scriptores hi omnes tam inter se quam cum universali doctrina ecclesiae orientalis et occidentalis. — In determinatione tamen singulorum sacramentorum est aliquid, in quo doctrinae ecclesiae repugnant, sin minus subtractione, certe additione. Graeci illi monachi *Iob* et *Damascenus Thessalonicensis* sextum sacramentum ponunt ‚habitum sacrum⁴, i. e. monasticum; ne vero numerum septenarium excedant, confundere videntur vel potius coniungunt paenitentiam et sacrum oleum. Haec eadem confusio paenitentiae et sacri olei committitur etiam a *Variano armeno*, qui, ut omnium persuasione ratum numerum septenarium expleat, ponit septimum sacramentum ‚funus super defunctos⁴. Adhuc longius aberrat *Ebed lesu nestorianus*. Sacramenta enim extremae unctionis et matrimonii non collocat in numero septenario; ut hunc tamen servet integrum, substituit sextum, ‚sacrum fermentum⁴, et septimum, signum vivificae crucis[#] (*Franzelin*, De sacram, in gen. th. 20, ubi ipsa horum scriptorum verba affert).

93. Itaque a) ipsum studium horum scriptorum retinendi numerum septenarium ostendit universalem omnium ecclesiarum hac de re persuasionem. — b) Quod vero discrepant in enumerandis sacramentis, in eo nullius sunt auctoritatis, tum quia particularis scriptor nihil valet contra traditionem communem, tum quia illi orientales nihil ostendunt nisi crassam ignorantiam. — c) Haec autem ignorantia saepe apparet in communionibus orientalibus ab ecclesia iam diu separatis. Ita e. g. de *coptis* scribit *Sollerius*: „Bernato teste, neminem unum, etiam inter sacerdotes, reperias, qui septem sacramenta ordine

enumeret, si eos solos excipias, qui a latinis eum numerum didicere, Itaque si ea mysteria ab iis percuncteris, unum, alterum et forte tria edisserunt aliqui, alii haerebunt ferme ad singula. Si quaeras ulterius, utrum, quae ab iis omissa sunt, v. g. confirmatio et matrimonium, sacramenta sint, mox respondebunt affirmative, tandemque fatebuntur septem esse numero. Coptorum, ut alias dixi, infortunium est, quod catechismis careant seu brevibus Christianorum dogmatum compendiis, qualia nobis abunde suppetunt (*Bolland.* tom. V Iunii p. 140). Quare merito monet *Assemani* disciplinam sacramentariam orientalium potissimum ex libris eorum liturgicis discendam esse. — d) Unde mirum non est, quod orientales in hac parte nullam sentiunt difficultatem admittendi doctrinam catholicam, et quod e contra doctrinam protestantium ut novitatem detestantur.

94. *Schol. 2.* De lotionem pedum ut caerimonia sacra.

S. Ambrosius commendans ritum servari solitum in ecclesia medianensi lavandi pedes eorum, qui modo baptizati erant, ait: «Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat; habebat enim primi parentis de successione peccatum, quando eum supplantavit serpens et persuasit errorem. Ideo planta eius abluitur, ut hereditaria peccata tollantur; nostra enim propria per baptismum relaxantur (De mysteriis c. 6, n. 32; *M* 16, 398).

Haec verba s. doctoris, sicut multa alia dicta eius, satis obscura sunt, sed lucem accipiunt ex verbis ignoti auctoris librorum «De sacramentis qui loquens de eadem re ait: «Quare hoc [lotio pedum]? Quia in baptisate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa, sed quia Adam supplantatus est a diabolo et venenum eius effusum est super pedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis (l. 3, c. 1, n. 7; *M* 16, 433).

Ex his verbis apparet lotionem pedum habitam fuisse ut sacramentale quoddam, quo, culpa peccati per baptismum deleta, „maius subsidium contra venenum serpentis i. e. concupiscentiam peccato contractam, a Deo impetraretur. Eodem modo obscura *S. Ambrosii* dicta interpretanda sunt. Nam si dicit pedes *S. Petri* fuisse lotos, ut eius «hereditaria peccata tollerentur utique non loquitur de culpa originali, sed de concupiscentia, quae interdum dicitur peccatum (*Denz.* n. 792). Ita s. doctor ipse rem explicat In *Ps.* 48, n. 9: „Lavemus et pedes, ut calcanei lubricum possimus auferre, quo fida statio possit esse virtutum . . .“ (*M* 14, 1159). Recte advertit card. *Franzelin*: Si *S. Ambrosius* forte cogitavit de deletionem culpae, «ablutio pedum consideratur ut unum aliquid cum baptismo, per se vero et seorsum non ut causa sed ut signum peccati remissi per baptismum (De sacram. 291).

95. Ceterum illam caerimoniam consideratam esse sacramentale, non sacramentum, indicat auctor librorum „Do sacramentis”; refert enim in ecclesia romana lotionem pedum non fuisse in usu, „non quod alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem” (l. c. n. 5; *M* 16, 433). Sed certe ecclesia mediolanensis non putabat se habere aliquod sacramentum proprie dictum, quod ex usu aliarum ecclesiarum, praecipue romanae, disparuisset. Immo *S. Ailgustinus* dicit multos hunc usum mediolanensem vel noluisse recipere vel abrogasse, „ne ad ipsum sacramentum baptismi videretur pertinere (Ep. 55, vel 119, c. 33; *M*. 33, 220).

96. *S. Bernardus* in sermone in Cena Domini habito (n. 4; *M* 183, 273) dicit tria sacramenta baptismi, eucharistiae, lotionisque pedum [quae in hebdomada sancta celebrantur] esse sacramenta remissionis peccatorum et sanationis vulnerum spiritualium. „Ut de remissione cotidianorum minime dubitemus, habemus eius sacramentum, pedum ablutionem. . . . Et unde scimus, quia ad diluenda peccata, quae non sunt ad mortem, et a quibus plane cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo plane, quod . . . responsum est: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.”

Haec verba sine ulla difficultate recte intellegi possunt. Nam nomen sacramenti istis temporibus ad multas res applicabatur, ut patet ex Hugone Victorino et ex hoc ipso sermone. Ergo non licet verbis *S. Bernardi* attribuere eum sensum, ut videatur *S. doctor* ignorasse doctrinam de septenario numero sacramentorum, quae illa aetate iam erat in tam aperta ecclesiae confessione, sed dicendum est proponi in illo sermone lotionem pedum ut signum quoddam remissionis peccatorum venialium, quo et excitetur contritio de bis peccatis et spes veniae augeatur ob exemplum Christi et apostolorum. Itaque lotio pedum erat Bernardo sacramentum, quia, ut ipse explicat, est sacrum signum, sive sacrum secretum, seu sacramentum latiore sensu vel sacramentale.

97. *Schol. 3.* Lotionem pedum a Christo non fuisse institutum sacramentum novae legis.

Quamvis ex iis, quae *S. Ioannes* narrat, possint videri in lotionem pedum omnia elementa adesse, quae ad constituendum sacramentum requiruntur, sci. praeter signum externum collatio gratiae (Io 13, 8 10) et institutio a Christo facta (Io 13, 14), tamen certum est hoc non esse sacramentum. Nam imprimis, si sacramentum esset, deberet qua tale apparere in Christiana traditione. At neque in ecclesia catholica neque in ulla secta haeretica huius rei vestigium invenitur. Ceterum facile quisque concesserit verba illa apud Ioannem posse ita intellegi, ut nihil significant nisi exercitium humilitatis; esse autem ita intellegenda Christus ipse satis clare indicat: „Si ego lavi pedes

vestros, Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes“ (Io 13, 14): ubi certe non instituit sacramentum, quod alter alteri indiscriminatim administrare debeat. & *Augustinus*: sNon ergo ad sacramentum tamquam mundationis pertinebat, quod lavit iis pedes, sed ad exemplum humilitatis (In Ps. 92, n. 3; *M* 37, 1184). Porro verba illa: „Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, et est mundus totus“ (Io 13, 10), sunt allusio ad morem istius regionis lavandi totum corpus ante cenam festivam, ita ut immediate ante cenam solos pedes ex via pulvere aspersos lavare sufficeret (cf. *Mc* 7, 3 4 et *Lc* 7, 44). — Similiter, ait Christus, vos spiritualiter mundi estis, quia me diligitis, sed ut plane mundi sitis, pulveres cotidianarum imperfectionum removendi sunt. Hoc sensu textus a SS. Patribus explicatur.

SECTIO III.

DE EFFICACIA SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS.

ART. I.

DE PRIMARIO EFFECTU SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS, QUI EST GRATIA.

Prop. IX. Omne signum, quod in nova lege ex praecepto Dei hominibus applicandum est ad significandam gratiam, est etiam efficax ad producendam gratiam.

98. In prima propositione vidimus sacramentum esse signum sensibile, quod ex praecepto divino hominibus applicandum est, ut gratiam significet et hac sua significatione homines aliquo modo sanctificet. Iam quaeritur, num in nova lege Deus eiusmodi signa instituerit, quae gratiam significant, non vero conferant. Respondemus negative. Possumus quidem hanc thesim probare enumerando singula signa sacramentalia a Deo instituta. Hoc postea fiet in tractatu de singulis sacramentis. Nunc potius *ex indole specifica novae legis probamus signa sacramentalia gratiae non efficacia a Deo christianis non esse praecepta*. Unde conversa argumentatione concluditur signum sacramentale, si quod a Deo sit institutum in nova lege, esse efficax gratiae. Nondum quaeritur de modo, quo sacramenta gratiam producant, sed de re tantum.

99. *Arg. I.* Ex S. Scriptura.

S. Paulus saepe maiorem in modum inculcat Christianis a Deo nullas impositas esse caerimonias, quales in vetere lege fuerint institutae. Ita cum galatae a quibusdam iudaeis inducti essent, ut varios ritus veteris legis observarent, apostolus eos acriter reprehendit: „O insensati galatae, quis vos fascinavit non oboedire veritati?“ (Gal 3, 1.) Cur hoc tam insensatum sit, duas rationes affert: a) quod veteres ritus promittebant Christum futurum; ergo postquam Christus

venit, eorum observatio non iam habet sensum. «Itaque lex paedagogus noster fuit in Christo [Christum]. . . . At ubi venit Christus, iam non sumus sub paedagogo" (Gal 3, 24 25); b) quod veteres ritus erant inefficaces ad iustificandos homines; ergo indignum est Christianis et a voluntate Dei alienum se iterum subicere inefficacibus illis caerimoniis. «Dico autem: Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt a servo . . . sed sub tutoribus et actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre. Ita et nos, cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. . . . Nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cogniti sitis a Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis? . . . State et nolite iterum iugo servitutis contineri. . . . Vos enim in libertatem vocati estis" (Gal 4, 1 sqq; 5, 1 sqq).

Atqui haec argumentatio apostoli nihil valeret, si Deus etiam in nova lege praescripsisset inefficaces caerimonias, «quae non possunt iuxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis et potibus et variis baptismatibus et iustitiis carnis" (Hebr 9, 9 10). Ergo hae iustitiae carnis erant solum impositae «usque ad tempus correctionis", i. e. novae legis (Hebr 9, 10). «Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litterae" (Rom 7, 6). Haec est una ex rationibus, ob quas nova lex dicitur lex libertatis (2 Cor 3, 17. Gal 5, 13).

100. *Dices:* Sufficit, ut novum testamentum etiam habeat sacramenta efficacia gratiae, quibus vetus testamentum carebat. Haec enim prerogativa non tollitur, etsi Deus instituerit quaedam signa sacramentalia non efficacia gratiae.

Resp.: Haec est illa ipsa opinio, quam S. Paulus impugnat in epistula ad galatas. Nam galatae non negabant sacramenta novae legis, sed praeter ea volebant observare alias quasdam caerimonias ut ex divina institutione ad perfectionem conferentes. Ob quam opinionem ab apostolo nominantur insensati et fascinati.

101. *Arg. 2.* Ex constanti traditione.

Ne res nimis amplificetur, satis sit ex variis saeculis testimonia quaedam apponere.

S. *Augustinus* saepe repetit hanc doctrinam: In nova lege sacramenta «alia sunt instituta, virtute maiora, utilitate meliora, actu facilia, numero pauciora, tamquam iustitia fidei revelata, et in libertatem vocatis filiis Dei, iugo servitutis ablato, quod duro et carni dedito populo

* In epistula ad galatas τὰ στοιχεῖα τοῦ νόμου aut exclusive aut principaliter sunt leges caerimoniales; quid aliis locis significant (Coi 2, 8 20), disputant docti.

congruebat (Contra Faustum l. 19, c. 13; 1/42, 355). Rationem, cur ita factum sit, hanc reddit, quod in novo testamento non convenit gratiam praesentem iisdem inefficacibus ritibus significari, quibus in vetere testamento gratia absens promittebatur. „Nam eadem res aliter enuntiatur facienda, aliter facta (l. c. l. 19, c. 16; *M* 42, 356).

102. *Bruno Astensis* (f 1123) in hom. 34 considerans tria tabernacula iuxta doctrinam apostoli (Hebr 9), quorum primum est sanctum, secundum sanctum sanctorum, tertium caelum: „Primum igitur (inquit) est synagoga, secundum ecclesia, tertium caelum. . . . Prius in umbra fuit et figura, secundum in figura et veritate, tertium in veritate sola. In primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidetur. Non enim sacramenta ecclesiae, ut sacramenta synagogae, medicinam docent et ostendunt, sed ipsa potius sunt medicina et remissio peccatorum . . .; in tertio vero, caelo, nihil est in figura, omnia sunt ibi in veritate (*M* 165, 790 sq).

103. *S. nomas* distinguit tres ordines operum exteriorum. Ad primum ordinem pertinent opera, quibus gratia confertur, haec sunt sacramenta; ad secundum ordinem pertinent opera, quae necessariam convenientiam vel contrarietatem ad gratiam habent, haec sunt obiecta praeceptorum moralium; ad tertium ordinem pertinent opera, quae sunt pure caerimonialia. Opera primi et secundi ordinis etiam in novo testamento praecepta aut prohibita sunt a Deo. Opera vero tertii ordinis „non sunt in nova lege praecepta vel prohibita ex prima legis institutione, sed relicta sunt a legislatore unicuique, secundum quod aliquis alicuius curam gerere debet. . . . Unde etiam quantum ad hoc dicitur lex evangelii lex libertatis; nam lex vetus multa determinabat et pauca relinquebat hominum libertati determinanda⁸ (1, 2, q. 108, a. 1). „Sic igitur lex nova nulla alia exteriora opera determinare debuit praecipiendo vel prohibendo nisi sacramenta et moralia praecepta, quae de se pertinent ad rationem virtutis (ib. a. 2). „Haec differentia est inter legem utramque, quia lex vetus determinabat multa tam in praeceptis caerimonialibus pertinentibus ad cultum Dei quam etiam in praeceptis iudicialibus pertinentibus ad iustitiam inter homines conservandam. Sed lex nova, quae est lex libertatis, huiusmodi determinationes non habet, sed est contenta praeceptis moralibus naturalis legis et articulis fidei et sacramentis gratiae; unde et dicitur lex fidei et lex gratiae propter determinationem articulorum fidei et efficaciam sacramentorum. Cetera vero, quae pertinent ad determinationem humanorum iudiciorum vel ad determinationem divini cultus, libere permisit Christus, qui est novae legis lator, praelatis ecclesiae et principibus christiani populi determinanda; unde huiusmodi determinationes pertinent ad ius humanum, in quo Papa potest dispensare (Quodl. 4, a. 13; cf. De ver. q. 27, a. 4).

104. Hanc doctrinam, sci. nulla esse in nova lege praecepta divina addita fōgi naturali nisi fidei et sacramentorum, vocat *Suarez* „axioma theologorum" (De leg. 1. 10, c. 3, n. 20). Ex aliis theologis cf. e. g. *Alexander Hal.* (S. th. 4, q. 5, membr. 2, a. 2, § 1), *Scotus* (In 4, dist. 40, q. 1, a. 4, § ^Quemadmodum"), *Gregorius de Valentia* (IV, disp. 10, q. 5, punct. 3), ex moralistis *Thomas Sanchez* (De matrim. 1. 7, disp. 52, η. 3), ex canonistis *Covarruvias* (In 4 decr., P. 2, c. 6, § 10, η. 1).

105. *Arg. 3.* Ex definitionibus ecclesiae.

Ecclesia saepe definivit omnia sacramenta novae legis esse efficacia gratiae et hac efficacia essentialiter differre a sacramentis veteris legis. Ita *conc. flor.*, decreto pro armenis (*Denz.* n. 695), ita *conc. trid.* sess. 7, can. 2 et 6 d& sacram. (*Denz.* n. 845 849). Atqui haec doctrina non esset universaliter vera, si etiam in nova lege a Deo praecepta essent signa gratiae non efficacia. Nam haec signa eodem sensu essent sacramenta quo similes ritus veteris legis, et sic non omnia sacramenta essent efficacia gratiae. Praeterea illa doctrina ecclesiae non potest ita explicari, ut sacramentum, quod est subiectum enuntiationis, intellegatur sensu strictissimo. Sic enim sensus esset: Omne signum efficax gratiae in nova lege est efficax gratiae. Haec autem est inanis tautologia. Ergo sententia ita exponenda est: In nova lege omnis ritus, qui a Deo institutus est ad significandam gratiam, est etiam efficax gratiae; quae expositio postulatur quoque ex comparatione, quae locis citatis inter sacramenta novae et veteris legis instituitur. Atqui sententia sic exposita est ipsa propositio nostra.

106. Porro ecclesia semper censuit se posse abrogare et mutare omnes ritus praeter essentiam sacramentorum (*Denz.* n. 931 943). Atqui si Christus praeter sacramenta alios ritus instituisset, ecclesia eos non posset abrogare. Ergo Christus nullos alios ritus instituit. Ideo multae ecclesiae, ut supra (n. 95) S. Augustinum testantem audivimus, ritum lotionis pedum non receperunt vel abrogarunt, ne ad sacramenta pertinere videretur.

107. *Dices:* Si fuisset contra libertatem novae legis, quod Christus praecepta caerimonialia dedisset, cur non pugnant cum eadem libertate tot praecepta caerimonialia ab ecclesia data?

Resp.: Lex divina ligat homines vinculo artissimo, quod ab ipsis hominibus solvi nequit; lex vero humana ab ea auctoritate abrogari potest, a qua statuta fuit. Ideo Christus hac in re libertatem hominum restringere noluit lege divina, sed ecclesiae potestatem dedit, ut ipsa pro ratione temporum caerimonias institueret, abrogaret, mutaret. Ecclesia autem hac potestate usa est, quia caerimoniae ad cultum publicum divinum non solum utiles sed etiam necessariae sunt. Simi-

41

Sî i
.l'.

liter ne in novo quidem testamento humana societas sine ullis legibus judicialibus subsistere potest. Nihilominus has leges non ipse Christus dedit, sed hominibus dandas reliquit. Cf. *Suarez*, De sacram, disp. 7, sect. 2, n. 2, et disp. 15, sect. 3, n. 2.

108. *Schol* De sacramentis vivorum et mortuorum.

Licet omnia sacramenta novae legis conferant gratiam, tamen non sequitur, ut omnia etiam dent *primam gratiam*. Quaedam enim sacramenta, ut rite suscipiantur, iam supponunt statum gratiae, et eatenus gratiam conferunt, quatenus *gratiae augmentum* seu *secundam gratiam* dant. Haec vocantur *sacramenta vivorum*, quia vitam spiritualem in suscipientibus praesupponunt. Alia vero sacramenta instituta sunt ad removenda ex animo peccata, quibus homo est spiritualiter mortuus; haec sunt baptismus et paenitentia, quae vocantur *sacramenta mortuorum*. Attamen haec quoque sacramenta, si inveniunt hominem iam in statu gratiae, augmentum gratiae dant; ergo in omni casu sunt signa efficacia gratiae. Num vero sacramenta vivorum possint in quibusdam condicionibus primam gratiam conferre, est quaestio, quae communiter a theologis affirmatur, tum sci. cum homo est in peccato mortali, cuius conscientiam non habet, et cum ex altera parte est attritus. Nam tum est dispositus ad recipiendam gratiam per sacramentum sive baptismi sive paenitentiae. Atqui non est minor virtus aliorum sacramentorum, quia non est minus gratiam augere quam primo infundere. Ergo omnia sacramenta possunt in hoc casu infundere gratiam, sicut etiam in casu opposito sacramenta mortuorum possunt augere gratiam (cf. *Suarez* disp. 7, sect. 2, n. 11). Sed de hac re plura postea dicentur, cum de singulis sacramentis agetur.

Porro quia cum gratia sanctificante alia dona supernaturalia, ut virtutes infusae, inseparabiliter nexa sunt, haec etiam in susceptione sacramentorum vel primo infunduntur vel augentur (cf. *Denz.* n. 799).

Prop. X. Sacramenta novae legis gratiam sanctificantem conferunt ex opere operato.

109. *Nota.* *Opus operatum* (sensu passivo) *intellegitur ipsum signum sacramentale*, e. g. ipsa infusio aquae in caput baptizandi simul cum pronuntiatione verborum: Ego te baptizo etc. Opponitur igitur opus operatum operi operantis, i. e. merito sive ministri sive subiecti sacramentorum, ita ut sensus propositionis sit: Quando homo debito modo sacramentum suscipit, gratiam sanctificantem (aut primam aut secundam) accipit, non quia ipse aut minister sacramenti hanc gratiam meretur, sed vi talis signi a Christo instituti.

Hic nondum probare volumus singula septem sacramenta conferre gratiam ex opere operato, sed potius in genere ostendimus in Scriptura et traditione sacramentis hanc efficaciam adscribi. De singulis

sacramentis postea videbimus et solvemus speciales, quae fortasse in uno alterove sacramento sunt, difficultates. Nunc maxime respicimus baptismum tamquam typicum sacramentum, cui saepius et clarius quam multis aliis sacramentis invenimus in fontibus revelationis specificam efficaciam sacramentalem attributam. Si res in hoc sacramento fuerit bene intellecta, multo facilius erit postea applicatio ad cetera sacramenta.

110. Per opus operatum *non excluduntur varii actus ministri et suscipientis*, immo includuntur. Nam opus sacramentale ab aliquo operandum, i. e. signum (materia et forma) ab aliquo ponendum est, et praeterea hoc signum applicandum est subiecto, quod est capax gratiae suscipiendae. Defectus autem dispositionis, quo est aliquis suscipiendae gratiae sanctificantis incapax, solet vocari *obex* (cf. S. August., Ep. 98, n. 10; M 33, 364), et sic dicuntur sacramenta gratiam conferre „non ponentibus obicem. Obex invenitur in solis adultis et est *defectus voluntatis*, fidei, paenitentiae, non vero quaelibet ineptitudo recipiendi sacramentum, sicut baptizatus non est aptus, ut iterum baptizetur. De qua re postea plura.

111. Quod ecclesia catholica docet sacramenta seu ipsa signa sacramentalia conferre gratiam, quicumque ratione utitur, per se statim intellegit hac locutione *non excludi interventum Dei*, quasi sacramenta possint ut causa principalis gratiam producere. Haec diserte notanda non essent, nisi quidam protestantes obiecerint secundum doctrinam catholicam Spiritum Sanctum „vices suas resignasse sacramentis! Itaque solus Deus innata sua vi et per virtutem naturae suae potest conferre gratiam, et ideo *Deus est causa principalis gratiae*; sacramenta vero non habent ullam virtutem naturae suae proportionatam producendi gratiam, sed Deus iis utitur ad hunc effectum ponendum, sicut artifex utitur instrumentis ad faciendam statuam, et ideo *sacramenta sunt causa instrumentalis*,

112. Itaque quando homo v. g. baptismo iustificatur, huius *iustificationis causae* sunt *finalis* quidem gloria Dei et Christi et vita aeterna; *efficiens* vero misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat; *meritoria* autem dilectissimus unigenitus suus Dominus noster Iesus Christus; *instrumentalis* item sacramentum baptismi ...; denique unica causa *formalis* est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit/ Ita *conc. trid.* sess. 6, c. 7 (*Denz.* n. 799).

113. *Protestantes*, qui soli fidei tribuunt iustificationem neque admittunt internam gratiam sed solam externam imputationem\ *reiciunt*

† Protestantes, ut catholicam doctrinam de gratia et de efficacia sacramentorum in contempionem adducant, saepe eam vocant „magicam* superstitionem. Sed theologo indignum est talibus cantilenis sive terrere sive terreri.

doctrinam de opere operato. Lutherus anno 1518 in sermone de sacramentis et anno 1519 in sermonibus de baptismo et de sacramento corporis Christi docet sacramenta nihil aliud esso nisi signa mere theoretica, quae ut efficiant quae significant, sola fide suscipientium fieri. Sacramenta igitur constant signo, significatione et fide, quae utrumque iungit. Quamvis concedat in eucharistia Christum esse realiter praesentem, Lutherus tamen docet receptionem in communitatem Christi et sanctorum, quae eucharistia significetur, non effici praecise sumptione corporis Christi sed fide suscipientis. Ab anno vero 1520 (Serm. de novo testamento n. 8 11 17 31) non iam putat fidem esse partem constituentem sacramenti, sed docet sacramenta esse promissiones Dei sicut ipsa verba evangelii, Deum vero verbis suis haec signa externa addidisse ad iuvandam nostram infirmitatem. Ergo qui satis firmiter credere potest sine sacramento, sine sacramento salvatur; qui vero non potest, adeat sacramenta, quia signa fortius agunt in animam quam sola verba et facilius fiduciam excitant. Ab anno 1525 praeter rationem promissionis divinae addit rationem praecepti, ita ut sacramenta consistant ex signo, promissione Dei, praecepto Dei (Sermo contra .caelestes prophetas”). Attamen praecipua pars semper manet .verbum Deis in sacramento contentum.

114. *Zwinglio* sacramenta sunt „signa vel caerimoniae, quibus se homo ecclesiae probat aut candidatum aut militem esse Christi, reduntque ecclesiam totam potius certam de tua fide quam te“ (De vera et falsa religione: Op. III 231; cf. IV 55: De sacram, virt.).

115. *Calvinus* partim cum Luthero consentit, quatenus docet sacramenta esse sigilla promissionum Dei, quibus fiducia nostra excitetur magis quam solis verbis; dein vero addit esse simul symbola, quibus pietatem nostram coram Deo, angelis, hominibus profiteamur. Verumtamen ipsa sacramenta nullam in se virtutem sanctificantem habent, sed, quando exterius adhibentur, Spiritus Sanctus in cordibus excitat fidem et per fidem solam iustificat (Inst. 1. 4, c. 14).

116. *Confessio August*, (art 13): .Damnant illos, qui docent, quod sacramenta ex opere operato iustificant’ (*Millier*, Die symbol. Bücher 42). *Apologia Confess*, (art. 13, n. 18): „Damnamus totum populum scholasticorum doctorum, qui docent, quod sacramenta non ponenti obicem conferant gratiam ex opere operato sine bono motu utentis. Haec simpliciter iudaica opinio est sentire, quod per caerimoniam iustificemur sine bono motu cordis, hoc est, sine fide (l. c. 204). Alia vide apud *IFiner*, Compar. Darstell. 173 sqq.

117. *Protestantes nostrae aetatis* sacramenta partim considerant ut pignora unionis cum Christo et ecclesia, partim iis attribuunt mysticam

aliquam efficaciam immutandi corpus et animam hominis uniendique cum gloriosa Christi humanitate, partim satis prope accedunt ad catholicam doctrinam (cf. *Herzog*, *Realenzyklopadie*, ed. 3, XVII 379 sq).

Quomodo protestantes saepe «opus operatum" theologorum catholicorum plane falso interpretati sint, iam apparet ex praecedentibus; alia vide apud *Bellarminum*. l. 2, c. 1; *Franzelin* p. 67.

118. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Homines iam credentes et paenitentes interrogant, quid debeant facere ad salutem consequendam. Respondet S. Petrus: «Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum" (Act 2, 38). Ergo praeter fidem et paenitentiam baptismus efficit remissionem peccatorum.

119. Baptismo abluuntur peccata (Act 22, 16. 1 Cor 6, 11). Quare baptizati dicuntur renasci «ex aqua et Spiritu Sancto" (Io 3, 5), ubi particula «ex" significat causalitatem Spiritus Sancti, ergo etiam causalitatem aquae. Eadem causalitas exprimitur praepositione «per": Christus «salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti" (Tit 3, 5). Cf. Act 8, 17 sq; Eph 5, 26; 1 Petr 3, 21; Hebr 10, 22; Io 6, 56 sq. Quibus textibus causalitas sacramentorum «declaratur omnibus loquendi formis, praeter quas vix aliae excogitari posse videntur ad exprimendam efficientiam causae instrumentalis" (*Franzelin* p. 60).

120. S. Scriptura maximam differentiam statuit inter sacramenta veteris et novae legis (supra n. 99), similiter inter baptismum Christi et Iohannis (Mt 3, 11. Io 1, 24 sq. Act 19, 3 sqq).

Atqui si sacramenta solum valent ad fidem excitandam vel sunt sola pignora divinae misericordiae, nulla est differentia inter sacramenta utriusque testamenti. Revera Lutherus sermone de adoratione sacramenti corporis Christi (anno 1523) omnem differentiam negavit. Idem negat Calvinus (Inst. 1. 4, c. 14, § 23).

121. *Arg. 2.* Ex SS. Patribus.

Tertullianus in libro De baptismo c. 2: «Nonne mirandum est lavacro dilui mortem? Atqui eo magis credendum, si, quia mirandum est, non creditur. Qualia enim decet esse opera divina nisi super omnem admirationem?" (3/ 1, 1201); c. 4: «Supervenit Spiritus de caelis et aquis superest sanctificans eas de semetipso, et ita sancti-

1 „Es ist kein Unterschied zwischen alten und neuen Sakramenten, es geben weder diese noch jene die Gnade Gottes, sondern der Glaub allein auf Gottes Wort und Zeichen gab dort und gibt hier Gnade.

Pesch, *Praelectiones dogmaticae*. VI. Ed. 4.

ficatae vim sanctificandi combibunt- (If 1, 1204). & *Cyrillus Hieros.*: „Eodem momento [baptismi] et mortui et nati estis, iliaque unda salutaris et vobis sepulcrum et mater effecta est“ (Catech. myst. 2, c. 4; *AI* 33, 1079). Nam, inquit *S. Chrysostomus*, „quod est matrix embryoni, hoc est aqua fidei, in aqua enim fingitur et formatur. . . . Ex quo Iordanis fluensa ingressus est Dominus . . . animas racionales Spiritum Sanctum ferentes aqua producit“ (In Io. hom. 26 vel 25, n. 1; *J/* 59, 153). Eadem comparatione utuntur *S. Gregorius Nyss.* (Orat. in bapt. Christi; *AI* 46, 588), *S. Ambrosius* (De myst. n. 59; *AI* 16, 410), *S. Leo* (Serm. in nativ. Dom. 4, c. 3, et Serm. 5, c. 5; *AI* 54, 206 211).

Maxime efficaciam sacramentorum inculcat *S. Augustinus*, ut iam audivimus (n. 30 56); immo licet verbum operis operati non habeat, rem tamen ita descripsit, ut definitionem dedisse videri possit: „Non eorum meritis, a quibus ministratur, nec eorum, quibus ministratur, constat baptismus, sed propria sanctitate atque veritate propter eum, a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem“ (Contra Crescon. 1. 4, c. 16, n. 19; *AI* 43, 559).

122. Ceterum *ipsi haeresiarchae optime intellexerunt doctrinam Patrum suae doctrinae repugnare*. Quomodo igitur se extricant e difficultate? Arrogantia! *Lutherus* enim (libr. Contra Cochlaeum) respondet: „Hominum sunt dicta sibi ipsis saepius pugnantium, pleraque humano sensu extra Scripturas docentium.“ *Calvinus* vero vult omnes istas locutiones esse „dicendi figuras hyperbolicas“ (Inst. 1. 4, c. 14 in fine). Vere, ut ait *Bellarminus*, „ruinosum effugium“ (De sacram. in genere 1. 2, c. 7, ubi multo plura testimonia Patrum videri possunt).

Cum porro ad Patres accedat *theologorum auctoritas* eandem doctrinam ut fidei dogma semper proponentium, sine dubio hic habetur illud criterium: Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus *tyinc. Lir.*).

123. *Ary. 3* Ex symbolis et conciliis.

In *symbolis* profiteamur: „Credo unum baptisma in remissionem peccatorum“ (cf. *Denz.* n. 9 86).

Conc. milevit. 11 can. 2: „Parvuli . . . ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt“ (*Denz.* n. 102).

Conc. trid. sess. 7, can. 6 de sacram.: „S. q. d. sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel iustitiae, et notae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, A. S.“ (*Denz.* n. 849); can. 8: „S. q. d. per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam

fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, A. S.“ (Denz. n. 851). Sacramenta dicuntur *continere* gratiam, sicut causa continet effectum.

124. *Arg. 4.* Ex ratione theologica.

Non solum inde a primis temporibus in ecclesia catholica baptizabantur infantes, sed etiam haeretici eandem praxim secuti sunt, et credunt talem baptismum esse fructuosum. Atqui infantes non possunt fructum baptismi habere ex opere operantis. Ergo ex opere operato. Idem valet de iis, qui sensibus destituti vel mente capti baptizantur.

Ipsi haeretici docent sacramenta institui non posse ab hominibus. Atqui mera signa theoretica institui possunt ab hominibus.

Sacramenta non habent effectum, nisi applicantur. Atqui si essent nuda signa, possent suum effectum habere, si audiuntur, leguntur, considerantur (cf. *Bellarm.* 1. 2, c. 8).

125. *Schol. 1.* Quo sensu fides sit causa iustificationis.

His, quae dicta sunt de efficacia sacramentorum, non negatur fidem esse causam iustificationis.

a) Si sermo est de *-fide obiectiva* seu de evangelio, per se patet fidem sic acceptam sanctificare (Rom 1, 16); haec enim fides nihil aliud est nisi tota oeconomia novae legis, quae complectitur etiam sacramenta et alia media iustificationis. Solum id notandum est, vocabulum fidei hoc modo numquam accipi in S. Scriptura.

b) Etiam *fides subiectiva* est causa iustificationis, sed in alio genere causalitatis atque sacramenta.

Potest primo haec fides considerari, prout operatur *extra sacramenta*. Itaque cum homo nondum iustificatus, gratia tamen adiutus, elicit actum fidei, ponit primum initium et fundamentum suae iustificationis; nam „sine fide impossibile est placere Deo“ (Hebr 11, 6), et simul de congruo meretur ulteriorem gratiam, qua ad iustificationem perveniat. Cum vero homo iam iustificatus actum fidei elicit, de condigno meretur augmentum gratiae. Ergo *fides est causa dispositiva et meritoria* sive proxima sive remota infusionis gratiae; et gratia per fidem causatur ut ex opere operantis secundum proprium huius operis supernaturalem valorem.

Si vero fides subiectiva consideratur, prout in adultis requiritur ad accipiendam iustificationem *per sacramenta*, fides est *dispositio* necessaria, sine qua subiectum non est aptum ad gratiam in se recipiendam. Haec autem causalitas revocatur ad *causam materiale*m; nam ut materia informari possit aliqua forma, requiritur certa dispositio. In hoc tamen casu sacramentum ex opere operato confert gratiam, i. e. non eam, quam homo fortasse meretur suis actibus subiectivis sive de congruo sive de condigno, sed aliam, quam praeter

meritum signum sacramentale operatur ut causa efficiens instrumentalis ex divina institutione.

126. Ergo et fides et sacramenta iustificat, sed diverso modo; inimo fides sola iustificat hoc sensu, quod in adultis nulla iustificatio esse vel concipi potest sine fide; non vero hoc sensu, quod praeter fidem nihil requiratur. Eodem modo in certamine solus cursus est causa bravii, quia nemo bravium accipit, nisi qui cucurrit; tamen praeter cursum requiritur, ut meta attingatur.

Fides vero, qualem protestantes postulant, qua firmiter teneamus nobis in individuo imputari merita Christi ad iustificationem, non tantum non sola iustificat, sed immo nullo modo iustificat, verum est inane figmentum, ut docetur in tract. de gratia V, n. 352 sqq (cf. *Denz.* n. 822 sq).

127. *Schol. 2.* Quomodo theologi explicaverint opus operatum.

a) *Vocabulum „operis operati“* in terminologia theologica non apparet ante saec. XII. *Petrus Pictaviensis* distinguens inter peccata materialiter et obiective sumpta et peccata formaliter vel subiective sumpta, illa vocat „opera operata, ut dici solet, non opera operantia“ (Sent. 1. 5, P. 1, c. 16). Ipse hunc terminum cum quadam excusatione ad rem sacramentariam transfert: Baptizatio active sumpta „est aliud opus quam baptismus, quia est opus operans, sed baptismus est opus operatum, ut ita liceat loqui“ (P. 5, c. 6). Quamvis autem et *Innocentius III* (De missa 1. 3, c. 5) et *Gulielmus Altissiodorensis* (Summa aurea 4, dist. 1, a. 2 et 3) eodem modo loquantur, tamen temporibus *S. Thomae* haec locutio nondum erat universaliter recepta: „Ipsium sacramentum dicitur a quibusdam opus operatum“ (In 4, dist. 1, q. 1, a. 5). Invenitur apud *Alexandrum Ilalensem* (P. 4, q. 3, membr. 4, a. 1), *Albertum M.* (In 4, dist. 1, a. 5), *S. Bonaventuram* (In 4, dist. 1, P. 1, a. 1, q. 5).

128. b) Iam si protestantibus credimus, hi quidem doctores omnes requirebant bonum motum ex parte suscipientis, ut sacramentum efficax esse posset ex opere operato, *Scotus* vero et posteriores theologi, maxime vero *Gabriel Biel*, omnem bonum motum excluderunt, sed occasione „reformationis“ lutheranae catholici, praeeuntibus Groppero et Bellarmino, hanc laxam sententiam iterum mitigare et suas etiam cooperationi humanae partes tribuere studebant (*F. C. Baur*, *Der Gegensatz des Katholizismus und Protestantismus*, ed. 2, Tiibingen 1836, 430 sqq et 362 sqq; *Herzog*, *Realenzyklopädie*, ed. 3, XVII 365 sqq).

Haec protestantium dicta sunt aut fructus ignorantiae aut malignae cavillationes. Nam sicut praecedentes doctores numquam dixerunt gratiam sacramentalem dari propter meritum hominis, ita *Scotus* non

excluit bonum motum in eo, qui sacramentum suscipit, nisi in quantum hic motus sit meritorius gratiae sacramentalis. ^Sacramentum novae legis ex virtute operis operati confert gratiam, ita quod non requiritur ibi bonus motus interior, qui *mereatur* gratiam, sed sufficit, quod suscipiens non ponat obicem" (In 4, dist. 1, q. 6, § „De potentia" in fine).

Alibi autem clarissime docet peccatorem ne per sacramenta quidem posse iustificari, nisi habeat displicentiam de peccatis et propositum cavendi de cetero et velit suscipere sacramentum. Scotus enim cum aliis scholasticis docet peccatorem posse iustificari aut per contritionem ante susceptionem sacramenti paenitentiae aut per sacramentum paenitentiae cum attritione saltem susceptum. Sed alium habet modum loquendi. Vocabulis enim contritionis et attritionis interdum promiscue utitur, et docet aliam esse contritionem vel attritionem perfectam, quae iam per se de congruo *mereatur* iustificationem, aliam vero minus perfectam, quae solum sufficiat ad remissionem peccatorum per sacramentum paenitentiae obtinendam. Itaque apud Scotum non est eadem constans distinctio inter contritionem et attritionem, quae nunc a theologis recepta est, sed apud eum distinguitur inter actum, qui per se mereatur de congruo iustificationem, et actum, qui non per se mereatur iustificationem. Sed bonum motum paenitentiae Scotus non minus requirit ad sacramentum fructuose recipiendum quam ad iustificationem extra sacramentum obtinendam.

„Deus requirit dispositionem de congruo ad hoc, ut peccatori conferat gratiam per sacramentum. . . . Concedo ergo, quod ante perceptionem dignam paenitentiae oportet suscitari [peccatorem e sepulcro peccati] vel simpliciter, et tunc per paenitentiae sacramentum non deletur peccatum, sed gratia quae infuit augetur; vel suscitari secundum quid, scilicet ut habeat aliqualem displicentiam de peccatis et propositum cavendi de cetero et velit suscipere sacramentum paenitentiae, in quo attritio fit contritio [i. e. bonus motus dignificatur per statum gratiae], et tunc suscitatur simpliciter per sacramentum" (In 4, dist. 14, q. 4, n. 6 et 9). Sacramentum enim iustificat, si recipitur „cum displicentia peccati commissi et cum proposito abstinendi a peccato" (In 4, dist. 14, q. 1, n. 22). Etiam peccator moribundus potest iustificari, si habet veram paenitentiam; nam „paenitentia vera, sive interior sola sive exterior cum susceptione sacramenti, sufficit ad salutem alicuius in extremis . . . quoniam Deus semper potens est etiam in morte praemiare, quibus placet; cum ergo opus sit non hominis sed Dei fructuosa paenitentia, inspirare potest eam, quandocumque vult sua misericordia". Solum valde difficile est homini, qui semper vixit in peccatis, tempore mortis instantis acquirere sibi debitam dispositionem, quia paenitentia debet esse „debite circumstantiate, et maxime ratione finis et principii activi principalis, ut scilicet sit voluntaria propter Deum", et ideo monendus est aegrotus, „ut nitatur habere displicentiam voluntariam propter debitum finem,

hi

4

9

C

i

i

scilicet propter Deum (In 4, (list. 20, q. I, n. 3 6). Vides, quantum absit Scotus a sententia ipsi imputata '.

Similiter Biel docet: .Praeter exhibitionem signi foris exhibiti non requiritur bonus motus interior in suscipiente, quo deo condigno vel de congruo gratiam meretur; sed sufficit, quod suscipiens non ponat obicem (In 4, dist. 1, q. 3, a. 1, nota 2). Sed hoc non impedit, quominus bonus motus poscat ut dispositionem. Ita dicit aliquando hominem non recipere gratiam sacramentalem in baptismo, ,aut quia non habet rectam fidem, aut quia habet peccatum mortale in actu vel in proposito, vel complacentiam vel nullam displicentiam de peccato (In 4, dist. 4, q. 2, nota 1; cf. dist. 14, q. 2).

Fuit potius Biel unus ex illis scholasticis, qui videntur consuisse requiri perfectam contritionem, ut peccator possit per sacramenta justificari; ergo si illi erraverunt, eo erraverunt, quod nimium boni motus postulaverunt, non vero quod omnem bonum motum reiecerunt.

129. c) Ceterum notandum est *in tractatu de sacramentis scholasticos non exponere totum processum iustificationis*, sed ea, quae hac de re dicenda sunt, iam alibi tractata supponere. At hic, ubi solum agitur de explicanda *efficacia sacramentorum*, recto potest et debet dici homo accipere in sacramentis gratiam, quam nullo bono motu mereatur.

Tandem nihil opus est quaerere apud Scotum vel Biel, quomodo secundum doctrinam catholicam homo justificetur per sacramenta, cum hac de re ecclesiae exstant definitiones, quibus omnia clarissime explicantur (conc. *trid.* boss. G, c. 5 6 7. Cf. C. v. Schüzler, Die Lehre von der Wirksamkeit der Sakramente, München 1860, 1. Abschnitt, § 1 2).

130. d) *Minus bene quidam recentes theologi sensum formulae opere operato" explicarunt*, ut Mohler, qui vult opus operatum esse opus, quod a Christo in cruce perfectum causa meritoria est omnis gratiae³. Attamen, quantumvis verum sit sacramenta habere suam efficaciam ex opere, quod Christus in cruce operatus est, nihilominus hoc non explicat id, quod sacramentis ratione efficaciae proprium est, quia omnis gratiae collatio hoc sensu iit ex opere operato, i. e. ex meritis Christi. Ergo communis theologorum explicatio retinenda est (cf. Schüzler 1. c. p. 38 sqq).

³ Cf. Zeitschrift für kath. Theologie XXV (1901) 231aqq, ubi Minget ostendit ab Harnack et Setberg doctrinam Scoti de hac re plano perverti.

⁴ ,Ex opere operato, scilicet a Christo, emanat, quod operatus est Christus', d. b. die Sakramente durch die von Gott gewirkte Kraft, die durch keine geistige Verfaulung und Anstrengung verursacht werden können, sondern von Gott allein Christi willen schlechthin im Sakramente gegeben wird. Es wird demnach durch die objektive Gnade festgehalten und verhindert, die Wirkungen der Sakramente ganz in das Subjektive herabgezogen (Symbolik § 28). Similiter Hiljert, Symbolische Theologie, Bonn 1841, 157.

131. *Coroll.* Ex tiio«i nostra, collatu propositione socunda, constat *verba sacramentalia esse consecratoria*, non tantum promissoria ot contio- natoria ad oxcitandam fldem suscipientium, ut protestantes saepe dixe- runt (*Calvin.*, Inst. 1. 4, c. 14. *Confess. Aug.* art. 13; apud *Muller* 41). Non negamus verba sacramentalia etiam esso apta ad fidem nutriendam, Bed negamus hunc esse solum vol principalem eorum effectum.

Ut interim abstrahamus ab eucharistia, in qua ip«a materia spe- ciali modo consecratur et manet sacramentalis, postquam verba transierunt, ita ut verba solum mediate significant et causent sancti- tatem hominis, in omnibus aliis sacramentis verba *dupliciter* sunt *consecratoria* :

a) quatenus materiam determinant et elevant, ut sit signurn sacra- mentalo gratiae efficax;

b) quatenus ipsa quoque verba pro sua parte sunt efficacia ad sanctificandum hominem.

Prior illa consecratio perit statim et adest in solo actuali usu sacramenti; altera vero manet etiam post usum.

132. *Immerito protestantes pro sua doctrina provocant ad verba S. Au- gustini:* «Undo ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur . . .“ (In Io. tract. 80, n. 3; *M* 35, 1840). Nam immediate ante s. doctor dicit: «Accedit verburn ad elementum, et fit sacramentum etiam ipsum tamquam visibile verbum/ Ergo verbum, utique non secundum materialem sonum sed secundum formalem significationem, quae est confessio Trinitatis, est consecratorium, undo virtute eius ipsa aqua tantam virtutem accipit, „ut cor abluat“, ita ut etiam «tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem cordo credere ad iusti- tiarn et oro confiteri ad salutem“ (ib.). Nullo autem modo dicit virtutem baptismi in eo consistere, quod verbo praedicationis excitet fidem suscipientis.

Plura do Augustino vide apud *Franzelin* p. 101, et de simili textu S. Ambrosii vide *de Augustinis*, De sacramentis p. 167. Aliao ob- jectiones habentur apud *Wirceburgenses* n. 48 sqq.

Prop. XI. Unum idemque sacramentum, quantum ex se, in omnibus suscipientibus causât aequalem gratiam; diversa vero sacra- menta diversas quoque dant gratias sacramentales, quae sunt ius quoddam ad auxilia actualia promoventia ad Unem specialem sacra- mentorum suo tempore accipienda.

Ir» *I*, Idem sacramentum, quantum ex se. in omnibus sus- cipientibus eandem causât gratiam.

133. Dicitur *quantum ex se*“, i. e. ox mera interna sua virtute ot abstractione facta a variis dispositionibus suscipientium. Undo si duo

infantes baptizantur, eandem accipiunt gratiam sanctificantem. Haec est doctrina *S. Thomae* (2, q. 69, a. 8) et omnium fere theologorum, paucissimis exceptis, qui aut contrarium docent, ut *Paludanus* (In 4, dist. 4, q. 1), aut dubitant, ut *Scotus* (In 4, dist. 4, q. 7) et *Bid* (In 4, dist. 4, q. 2, conci. 7).

Vazquez e. g. ait: ‚De effectu ipsius sacramenti ex opere operato apud scholasticos certum est in omnibus parvulis aequalem esse, tum etiam in adultis, si eodem modo dispositi sint’ (In 3, disp. 135, c. 4, n. 47).

134. *Latio* est, quia secus verum non manet quod docet *conc. trid.* sess. 6, c. 7: unumquemque in justificatione accipere iustitiam „*seundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem*” (*Denz.* n. 799). Nam si Deus suscipientibus gratiam pro suo arbitrio distribuit, potest accidere, ut minus dispositus maiorem gratiam accipiat. Nec favet oppositae sententiae, quod concilium addit: ‚Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult’; nam ne concilium sibi contradicat, haec voluntas intellegenda est antecedens, qua Deus in singulis sacramentis pro mensura dispositionis certum gradum gratiae statuit, cum potuisset alium statuere.

Praeterea Deus, ut homines ad cooperandum cum gratia suaviter alliciat, hanc legem in ordine supernaturali statuit, ut mensurae cooperationis mensura gratiae correspondent. Unde exceptio ab hac lege est privilegium, quod sine sufficiente ratione non est asserendum.

Porro ut sacramenta diversa convenienter instituerentur, debuit iis assignari certus et determinatus effectus, ut ad modum agentium naturalium hunc effectum producant. Atqui agentia naturalia in subiectis aequaliter dispositis eundem effectum producant.

SS. Patres saepe hanc nostram doctrinam inculcant, ut videri potest apud *Suarez* disp. 7, sect. 5, η. 4. Cf. *de Lugo* disp. 9, sect. 2, η. 18 sqq; *S. Thomas* 3, q. 69, a. 8.

135. *Para II.* Sacramenta specie diversa diversam dant gratiam, etiam aequae dispositis.

Et primo quidem *probabilius dant diversum gradum gratiae sanctificantis*, quamvis de hac re non una sit theologorum opinio. Nam agens perfectius effectum producit perfectiorem. Atqui sacramenta non sunt paria, sed aliud alio est perfectius (*Denz.* n. 846). Ergo ...

Potest tamen accidere, ut sacramentum dignius minorem effectum producat quam minus dignum propter minus bonam dispositionem suscipientis.

136. Quaeritur autem hic praecipue, *num sacramenta diversa praeter gratiam sanctificantem diversas sacramentales gratias conferant.* ‚In qua ro theologi omnes conveniunt habere singula sacramenta proprias sacramentales gratias, quas efficiunt- (*Suarez* disp. 7, sect. 3, η. 1).

Nam sacramenta ad distinctos lines ordinantur; ergo habent distinctos effectus. Hos enumerat *Eugenius IV* in decreto pro armenis (*Denz.* n. 695). Sine hac interna differentia sacramenta solis ritibus differrent, quod est aperte contra mentem *conc. trid.* (*Denz.* n. 846; cf. supra n. 84). Immo ritus ipsi non causarent, quod significant. Nam cum diversa signa solum assumantur ad diversa significanda, sacramenta, si plane idem causarent, non id causarent, quod significant. Cur igitur tot diversi ritus?

137. Iam vero nemo dicet ipsam gratiam sanctificantem in sacramento esse entitative aliam a gratia sanctificante, quae extra sacramentum detur, cum una tantum gratia nota sit ex revelatione. Pariter praeter gratiam non novimus ullos habitus infusos exceptis illis, qui cum gratia simul donantur. Ergo inane est, quod pauci quidam theologi finxerunt: gratias sacramentales esse speciales habitus infusos (*Aureolus, Paludanus*). Nam omnibus necessitatibus spiritualibus per gratiam, virtutes, dona sufficienter provisum est. Ergo alii habitus sunt superflui.

Consequenter gratia sacramentalis, cum non possit explicari per habitus, explicanda est per respectum ad actus. Aliis verbis: *Gratiae sacramentales non sunt aliud nisi ipsa gratia sanctificans, quatenus tali sacramento collata annexum habet ius ad specialia auxilia divina fini huius sacramenti correspondentia.* Ita baptismus confert omnia ea auxilia, quae pertinent ad spiritualem regenerationem, i. e. ad conformationem cum Christo et observantiam mandatorum; paenitentia dat efficacius auxilium ad detestanda peccata et satisfaciendum pro iis; ordo et matrimonium afferunt auxilia, quae requiruntur ad officia status melius adimplenda, et ita de ceteris. Haec autem auxilia non dantur in ipsa susceptione sacramentorum sed postea opportuno tempore, quoties occasio postulat. Si vero homo peccato mortali amittit gratiam, simul amittit ius auxiliorum huic gratiae annexum.

„Sicut igitur virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam quandam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam et super virtutes et dona quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem (*S. Thomas* 3, q. 62, a. 2).

Ergo gratia sacramentalis a non sacramentali non differt intrinsecus sed extrinsecus, sci. per conotationem specialium auxiliorum. Haec est communis doctrina theologorum (cf. *Suarez* disp. 7, sect. 3, η. 4).

Prop. XII. Sacramenta novae legis non sunt merae condiciones, sed verae causae gratiae, saltem morales.

138. Postquam probatum est sacramenta reapse conferre gratiam, idque ex opere operato, iam *quaeritur de modo, quo gratiam conferant.*

Hunc enim modum non eadem ratione explicant doctores catholici, quamvis omnes admittant opus operatum. Alii enim dicunt sacramenta esse „causam sine qua non⁸, alii esse causas tantum morales, alii esse etiam causas físicas. Iam hac thesi positive statuimus ea, quae hodie ab omnibus catholicis admittuntur; et si forte unus alterve dissentit, de hac singulari opinione nihil est curandum h

139. *Pars I.* Sacramenta non sunt merae condiciones gratiae.

Conditio est omne id, quod ita nectitur cum causa, ut eo posito causa agat. Non igitur in se habet ullam virtutem effectum producendi, sed tota efficientia est in causa. Conditio saepe eatenus convenit cum causalitate, quatenus sine ea effectus non ponitur; at non ideo effectus a condicione existentiam recipit sed a causa tantum, quae tamen causa non operatur, nisi posita condicione. Essent igitur sacramenta condiciones seu „causa sine qua non⁸, si ipsa nihil efficerent, sed ad eorum positionem Deus ex praestituta lege semper gratiam conferret. Quam opinionem *Doni. Sotus* (In 4, dist. 1, q. 3, a. 1) tribuit Alexandro Halensi, Scoto, Bonaventurae, Richardo, Durando; sed alii dicunt hos doctores reiecisisse physicam tantum causalitatem et docuisse moralem².

140. Quidquid id est, explicatio, qua sacramenta dicuntur condicio, certe non sufficit; nam ex S. Scriptura, traditione, definitionibus ecclesiae constat sacramenta esse *veras causas* gratiae, ut vidimus. Atqui condiciones non sunt verae causae. Ergo sacramenta non sunt merae condiciones. Quare *S. Thomas* negat ad explicandam sacramentorum efficaciam aptum esse exemplum „de illo, qui afferens denarium plumbeum accipit centum libras ex regis ordinatione; non quod denarius ille aliquid operetur ad habendam praedictae pecuniae quantitatem, sed hoc operatur sola voluntas regis. Sed si quis recte consideret, iste modus non transcendit rationem signi; nam denarius plumbeus non est nisi quoddam signum regiae ordinationis de hoc, quod pecunia recipiatur ab isto. . . . Secundum hoc igitur sacramenta novae legis nihil plus essent quam signa gratiae⁸ (3, q. 62, a. 1). Plano ita. Nam si sacramenta non plus proportionis haberent ad efficiendam gratiam quam nummus plumbeus ad collationem ponderis auri, revera nihil esset in sacramentis, quod valeret ad producendum

¹ Totam hanc quaestionem de efficacia sacramentorum historice et critice discutit *G. Reinhold* (Die Streitfrage über die physische oder moralische Wirksamkeit der Sakramente, Stuttgart 1899).

¹ *Durandus* omnino dicendus videtur illius opinionis patronus; ait enim: „In sacramentis non est aliqua virtus causativa gratiae . . . sed sunt causa sine qua non confertur gratia, quia ex divina ordinatione sic fit, quod recipiens sacramentum recipit gratiam, nisi ponat obicem, et recipit gratiam non a sacramento sed a Deo (In 4, dist. 1, q. 4).

effectum, sed solum per quandam concomitantiam, ubi essent sacramenta, ibi causaretur gratia.

Concilium tridentinum plura docet, quibus statuitur sacramenta esse causas instrumentales iustificationis sensu proprio. Imprimis hoc diserte dicit de baptismo, sess. 6, c. 7: „Iustificationis causae sunt . . . instrumentalis item: sacramentum baptismi" (*Denz.* n. 799). Cum ibi inter ceteras causas proprie dictas numeretur baptismus ut causa instrumentalis, nulla ratio est hanc causalitatem intellegendi sensu improprio. Immo hoc eo magis excluditur, quod causa improprie dicta seu condicio instrumentalis est contradictio in terminis; nam de conceptu purae condicionis est, quod nihil confert ad effectum producendum, et de conceptu instrumenti est, quod aliquid confert ad effectum producendum.

Praeterea concilium ait sess. 7, de sacram, in gen. can. 6: „sacramenta novae legis continere gratiam, quam significant" (*Denz.* n. 849). Condicio non continet effectum sed sola causa proprie dicta. Ideo statuitur can. 8: „per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato conferri gratiam" (*Denz.* n. 851); atqui condicio nihil confert ex opere operato sed sola causa proprie dicta. Similiter singulis sacramentis tribuitur causalitas proprie dicta, ut si dicuntur sess. 14, c. 2 homines «baptismo ablui" (*Denz.* n. 895); sess. 6, c. 14 „per paenitentiae sacramentum amissam gratiam recuperare" (*Denz.* n. 807); vel cura sess. 14, can. 2 de extr. unet, dicitur «sacram infirmorum unctionem conferre gratiam et remittere peccata" (*Denz.* n. 927); vel sess. 23, c. 3 «per sacram ordinationem gratiam conferri" (*Denz.* n. 959); can. 4 «per sacram ordinationem dari Spiritum Sanctum" (*Denz.* n. 965). Item concilium sess. 13, c. 3 docet corpus et sanguinem Christi in eucharistia vi verborum poni sub speciebus panis et vini (*Denz.* n. 876); ergo in forma sacramenti eucharistiae est vis efficiendi transubstantiationem, quod non valet de causa improprie dicta seu de pura condicione. Ergo sacramentis vera aliqua virtus inest effectum producendi, id quod concilium etiam diserte docet de confirmatione (*Denz.* n. 872).

Manifeste igitur errant, qui dicunt a concilio tridentino non doceri causalitatem sacramentorum proprie dictam. Neque alii fere hoc in dubium revocant nisi ii, qui solam intentionalem causalitatem sacramentorum admittunt (cf. infra n. 154 nota), quae utique non est causalitas proprie dicta. In concilio tridentino multum quidem disputatum est de causalitate physica sacramentorum, quam thomistae affirmabant, scotistae negabant; sed inter utrosque conveniebat, sacramenta esse causas gratiae proprie dictas. Etiam vetustiores scholastici plerique docent sacramenta esse veras causas gratiae, etsi in modo explicandi interdum ea proferunt, quae causalitatem proprie dictam non satis ostendunt. Similiter interdum utuntur comparisonibus minus aptis; non tamen ideo censendi sunt velle negare causalitatem sacramentorum, quam explicite affirmant.

<1

·1

2

M

·1

141. *Pars II.* Sacramenta sunt saltem causae morales.

Sacramenta ex institutione Christi significant hunc hominem respectu meritorum Christi esse gratia ditandum. Ergo formaliter, in quantum significant gratiam, sunt moraliter actio Christi propter merita sua petentis nobis gratiam, et sub hoc respectu continent in se tantam bonitatem et dignitatem, ut propter eam a causa physica producat effectus. Ergo sacramenta saltem eatenus sunt causa efficiens gratiae, quatenus ratione eorum datur gratia. Proinde sacramenta eo differunt a meris condicionibus, quod in iis dignitas quaedam inest postulans gratiam. Iam talis dignitas potest dupliciter in aliqua re inesse: aut ex propria eius natura, et est causa moralis principalis, aut ex solo influxu causae superioris, et est causa moralis instrumentalis. Ita rex est causa moralis principalis alicuius actionis, quae eius iussu fit; minister vero regis est causa moralis instrumentalis actionis, quam nomine regis fieri iussit.

Dices: Nulla est causa efficiens moralis, quia qualitas actionis, quae ita dicitur efficiens, non influit per modum operantis sed solum per modum obiecti et finis. *Resp.:* *Segeo assert.*, quia est contra communem hominum sensum. Nam si amicus amicum rogat, ut tertio cuidam conferat gratiam aliquam, certe haec petitio propter qualitatem amici moraliter operatur et efficit, ut tertio gratia concedatur. Neque haec causalitas referri potest nisi ad genus causae efficientis. Atqui sic Christus per sacramenta rogat Patrem, ut nobis gratiam conferat. Ergo sacramentum est causa efficiens moralis gratiae.

Dices: Talis petitio refertur ad causam finalem. *Resp.:* Nego assert. Nam finis movet, *ut sit*; haec vero causa movet, *quia est*. E. g. finis ultimus est glorificatio Dei efficienda et beatus adipiscenda. Ergo hic finis, qui in omnes alios fines influit, movet, ut sit, non quia est. Christi autem meritum movet, non ut sit, sed quia est. (Cf. Analecta eccl., Romae 1898, 130 sqq.)

142. *Porro omnes fere theologi catholici consentiunt sacramentis ex ordinatione Christi inesse eam dignitatem, ratione cuius a Deo gratia sanctificans conferatur.* Sunt quidem doctores, qui sacramentis plus efficaciae tribuunt, at non ideo hanc moralem efficaciam negant. Ita v. g. *Suarez* disp. 10, sect. 2, n. 7; *Gonet* V, disp. 3, a. 4, § 1.

143. *Restat igitur, ut haec causalitas moralis explicetur.* Duo hic supponimus: a) sacramenta esse instituta a Christo Domino; b) ministros sacramentorum non agere nomine proprio, sed personam agere Christi, ipsius mandato legatione fungentes (Mt 28, 18 sq. Io 20, 21—23. 1 Cor 4, 1. Eph 5, 25 sq etc.). Minister sacramenti e. g. dicit: „Hoc est corpus meum“; „Ego te absolvo“ etc. Quare *S. Augustinus*: „Hic [Christus] est, qui baptizat in Spiritu Sancto, nec, sicut Petilianus dicit, iam baptizare cessavit, sed adhuc id agit, non mini-

Art. 1. De primario effectu sacramentorum novae legis, qui est gratia. Prop. XII. β̄

sterio corporis sed invisibili opere maiestatis' (Contra litt. Petii. l. 3, c. 49, n. 59; *M* 43, 379; cf. In Io. tract. 6, n. 7. *Brev. Bom.* in Octava Epiphan. lect. 8). S. Augustinus et alii SS. Patres saepe repetunt nihil referre, Christusne ipse in proprio supposito sacramenta administret an per suos legatos, cum eadem prorsus dignitas iis insit in utroque casu, sicut idem est moraliter, sive rex per se petit aliquid sive per legatum (cf. infra n. 246). Similiter S. *Thomas*: „Agens principale in baptizando est ipse Deus per auctoritatem et ipse Christus secundum quod homo, cuius meritum operatur in baptismo, et ex plenitudine divinae bonitatis et gratiae Christi pervenit gratia ad baptizatum . . . sed baptizans est tantum agens instrumentale. . . . Baptismus non est instrumentum agens in virtute ministri, qui et ipse est instrumentum agens in virtute Christi et Deiß (In 4, dist. 5, q. 2, a. 2, sol. 2 et 3; item Contra gent. l. 4, c. 56). Cf. *Denz.* n. 899.

144. His suppositis facile apparet, quomodo sacramenta sint verae causae morales gratiae. Nam opera Christi sine dubio non sunt sola condicio sed vera causa nostrae sanctificationis. Atqui *sacramenta sunt opera Christi*, quia Christus per ministros sacramenta dispensat, et quia sacramenta fecit quodammodo depositum suorum mentorum. Non quidem per sacramenta nova merita acquirit, sed merita in cruce acquisita Patri offert ut pretium nostrae sanctificationis, et sic sacramenta non sunt nummus plumbeus sed aureus, et habent in se dignitatem moralem, cui gratia debetur. Sacramenta, utpote a Christo ex meritis suis instituta et ab ipso ut principali dispensatore confecta, non minore dignitate et virtute postulant gratiae collationem quam ipsa Christi merita et eius pro nobis in caelis intercessio (Hebr 7, 25). Merita Christi sunt causa universalis et remota gratiae, sacramenta vero causa particularis et proxima. Haec igitur causa proxima, quae in applicatione signi sensibilis consistit, habet in se aliquam virtutem fluentem ex meritis Christi, qua efficaciter in productionem gratiae influit. Sicut ipsum sacramentum est actio transiens, ita virtus eius non est quid fixum et permanens sed transiens et fluens (cf. infra n. 204 sqq).

145. Hanc sacramentorum dignitatem satis clare innuit *S. Scriptura*, ut Eph 5, 25 26: «Christus dilexit ecclesiam et semet ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae.» Ergo Christus morte sua meruit efficaciam baptismi ut medii sanctificationis, et consequenter baptismus obiective continet merita Christi, quae collationem gratiae exigunt. Quare S. Paulus Corinthios interrogat: «Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?» (1 Cor 1, 13.) Quibus verbis significat omnem baptismi virtutem esse ex meritis Christi crucifixi et sua auctoritate sacramenta instituentis.

U#

hu'

!ly

·

»

;;

Λ

146. Tandem moralis causalitas sacramentorum secundum communem et probabiliorem expositionem expressa est 1 Petr 3, 21: „Salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium sed conscientiae bonae interrogatio in Deum {συνειδήσεως ἀγάπη ἰπερώτημα εἰ θεό>} per resurrectionem Iesu Christi.⁶ Apostolus hic describit efficaciam sacramenti, quae non sit remotio sordium materialium e corpore (nec mere levitica mundatio) sed petitio bonae conscientiae. Nam ἐπερώτημα posse significare „petitionem“ patet ex Mt 16, 1, ubi ἐπερωταν significat „petere“; habere autem hoc loco hanc significationem eo ostenditur, quod altera significatio „interrogationis“ nullum bonum sensum habet. Nam quod quidam dixerunt de quaestionibus in susceptione baptismi fieri solitis, non quadrat, cum agatur de interna efficacia sacramenti. Significationem „sponsionis“, quam quidam volunt, ἐχερώτημα. non habet. Ergo sensus non est: in baptismo homo Deo vovet se conscientiam puram servaturum esse. Neque possunt illa verba significare „pactum bonae conscientiae cum Deo“, tum quia ἐπερώτημα non est „pactum“, tum quia συνειδήσεως ἀγάδη non est genetivus subiectivus sed obiectivus, nam hoc postulat parallélismes cum inciso ἀπόυεσι ρότ.οο, et praeterea bona conscientia baptismo accipitur, nec vero ad baptismi efficaciam confert. Ergo non remanet nisi ut sensus sit: *baptismus est obiectiva petitio*, qua per merita Iesu Christi a Deo bonam conscientiam flagitamus. Atqui haec est illa ipsa causalitas moralis, quam sacramentis vindicamus (cf. *Hundhausen et Reischl* in h. 1.).

147. In hanc sententiam intellegenda est *communis SS. Patrum doctrina*, quando dicunt sacramenta ex latere Christi, h. e. ex consummata eius passione fluxisse {*Ambros.*, *Chrysost.*, *August.* [In Io. tract. 15, n. 8; Jf 35, 1513], *Leo M.*, *Cyrill. Alex.* ... Cf. *Suarez*, In 3 P., t. I, disp. 39, sect. 3); sacramenta esse rubentia sanguine Christi: „Unde rubet baptismus Christi nisi Christi sanguine consecratus?6 {*August.*, In Io. tract. 11, n. 4; Af 35, 1477); constare sacramenta propria sanctitate propter eum, a quo sunt instituta (idem *Contra Crescon.* l. 4, c. 16; Ai 43, 559); baptizari nos in sanguine Christi per lavacrum regenerationis {*Hier.*, In Is. 1, 16; *M* 24, 35); in mysteriis Christum impertiri suam praesentiam (vulg. *Ambros.*, De sacram. l. 1, c. 4, n. 27; *M* 16, 397). Neque quisquam, qui S. Augustinum et alios illos SS. Patres inspexit, potest dubitare, quin illis verbis velint formalem dignitatem et causalitatem sacramentorum indicare (cf. *Franzelin* p. 109).

148. *Schol. 1.* Quomodo sacramenta sint instrumenta Dei.

Sacramenta, sicut sunt instrumenta Christi hominis, ita etiam sunt instrumenta Dei. Nam ipsa humanitas Christi per se spectata est instrumentum Verbi ad nobis merendam et conferendam gratiam,

„et ideo oportet, quod virtus salutifera a Christi divinitate per eius humanitatem in ipsa sacramenta derivetur" (*S. Thom.* 3, q. G2, a. 5). Ergo sacramenta sunt instrumentum proximum, humanitas Christi instrumentum remotum nostrae iustificationis, et sacramenta sunt instrumentum per coniunctionem cum altiore instrumento, quod est humanitas Christi. Quamquam igitur non omne id, quod movet alium ad agendum, instrumentum eius dici potest, prorsus tamen ita dicendum est, si virtutem movendi ab ipso accepit, sicut humanitas Christi est instrumentum Dei ad operandam nostram salutem, licet tam gratia quam lumen gloriae a solo Deo physice producat.

149. Porro Deus trinus, sicut auctor princeps est redemptionis, ita et omnium mediorum salutis, et sicut per Christum nos redemit, ita per sacramenta nos sanctificat. Ergo sacramenta etiam auctoritate Dei instituta sunt tamquam signa, quibus Deus voluntatem suam sanctificatricem exprimit. Habent se igitur signa sacramentalia ad sanctificationem sicut e. g. verba illa Christi: „Lazare, veni foras", et alia ad miraculorum patratiōem. Sicut cum his verbis speciali modo coniunxit potentiam suam ad efficiendum miraculum, ita *Deus cum signis sacramentalibus coniunxit speciali modo omnipotentiam ad producendam gratiam*. Ergo recte dicitur Deus speciali modo praesens esse et operari in sacramentis, et in sacramentis recte dicitur esse virtus fluens ex motione Dei ad sanctificandos homines. Ratio autem, cur Deus tali modo in sacramentis insit, est eorum dignitas ex institutione accepta. Si quis in hac re constituit causalitatem physicam sacramentorum, certe haec est admittenda (cf. *Hurter* III, η. 264).

150. Quia *sacramenta omni modo sunt Deo subordinate*, dicendum non est sacramenta agere per Deum sed Deum per sacramenta, quia particula „per" in hac locutione significat subordinationem. Licet enim plerumque causae physicae subordinentur aliquo modo causis moralibus, et ideo haec per illas agant, hoc tamen non necessario ita est. Deus nos redemit per merita Christi, non merita Christi per Deum. Ex altera vero parte sacramenta, quamvis non possint ullum realem influxum in Deum habere, possunt tamen esse et *sunt Deo ratio, cur gratiam largiatur*. Ergo gratia datur propter sacramenta, sed actus volitionis Dei, qua vult gratiam, non est entitative propter sacramenta. Et sic sacramenta sunt causa immediata gratiae, non quatenus excludunt operationem Dei, sed quatenus non operantur gratiam mediis subiectivis dispositionibus hominum.

Patet hanc *moralem dignitatem sacramentorum, quam habent ut instrumenta Dei et Christi, esse independentem a bonitate ministri humani*. Potest igitur administratio sacramenti, ut est opus operantis ministri, esse peccatum, et tamen dignitas operis operati manet prorsus intacta.

151. *Schol. 2.* Quid in sacramentis sit moraliter actio Christi.

Moralis actio Christi non in omnibus sacramentis eodem modo est explicanda. Nam ritus sacramentalis, quem minister nomine Christi ponit, interdum postulat, ut minister ipse et materiam applicet et verba pronuntiet. Quo in casu actio ministri, quae est moraliter Christi, duplici parte constat. Ita in baptismo, confirmatione, unctione, ordinatione. Interdum vero minister circa materiam iam suppositam solum verba profert, quo in casu etiam actio, quae est moraliter Christi, in solis verbis consistit, ut in consecratione eucharistiae et in absolutione. Itaque Christus non confitetur per paenitentem, sed absolvit per sacerdotem. Interdum eadem actio duplicem habet significationem moralem: unam ex natura rei, alteram ex impositione Christi. In hoc casu actio sub hac altera tantum significatione est actio Christi. Ergo matrimonium, quatenus est contractus, non fit ita nomine Christi, sed matrimonium, quatenus est actio nomine Christi. Idem valet de eucharistia moveri possunt, alibi

tem moralem admittenda non
ntorum.

thesi statuimus ea, quae ab
atem sacramentorum, hac thesi
sit sententia eorum, qui praeter
am sacramentis vindicant. *Cuius*
j omnes, praeterea *Bellarminus*
n. 14), *Gregor, de Valentia* (IV,
?, *Ysambertus* (De sacram, q. 62,
Drouin, nostra aetate *Schâzler*
12), *Oswald*, alii.

m propugnat *E. Hugon* (La cau-
ls 1907), qui nova non profert,
jponit modo magis populari et
juae manifeste falsa sunt. Ait
'gere" contra physicam causali-
l ex diversis „scholis" alii pro-
usalitatem, et recentes theologi,
sunt unius eiusdemque „scholae",
Ait causalitatem moralem esse
se „fictionem moralem" (p. 142).
usalitatem moralem esse veram,
ropriam, esse determinatam, non
nistarum, sed thomistae quoque

ipsi communiter agnoscunt. Ait in S. Scriptura non dici Deum bap-
tismo «sollicitari», i. e. rogari, ut det gratiam (p. 122). Sed con-
trarium potius admittendum esse iam demonstravimus (supra n. 146).
Ait concilium tridentinum distinguere inter causam moralem, i. e. me-
rita Christi, et causam instrumentalem, i. e. signa sacramentalia; ergo
haec signa esse causam physicam (p. 128 sq). Neque hoc est verum;
nam concilium distinguit solum inter causam meritoriam et instru-
mentalem. In nulla autem sententia signa sacramentalia sunt causa
meritoria, sed solum instrumentalis, qua applicantur merita Christi.
Utrum haec causalitas instrumentalis sit physica an moralis, in con-
cilio non docetur neque innuitur. Sic Hugon multa alia statuit, quae
statim primo aspectu inefficacia cognoscuntur. Loquitur tamen tam
confidenter, ut plane intellegi non possit, quomodo doctrinam tam
claram tot ac tanti theologi impugnent ac negent et doctrinam con-
trariam «satis miserabilem» (quelque peu mesquine, p. 125) defendant.
Talis modus loquendi convenit fortasse scripto populari, neque vero
hac ratione argumenta fiunt validiora ad rem theologice probandam.

Oppositam sententiam defendunt: scotistae fere omnes, ex thomistis
Canus (Relect. de sacram. P. 4), qui primus dicitur in hanc quaestionem
introduxisse terminum «causae moralis», *Martinus* et *Bartholom.*
Ledesma, *Vazquez* (disp. 132, c. 3), *De Lugo* (disp. 4, sect. 4, n. 32),
Amicus (disp. 4, sect. 11, n. 197), *Lessius*, *Arriaga*, *Coninck*, *Hurtadus*,
Becanus, *Platel*, *Antoine*, *Wirceburgenses*, *Franzelin*, *Duhamel*, *Toumely*,
alii (cf. *Aligne*, *Cursus theol.* XX 1283 sqq). At in modo explicandi
causalitatem moralem non omnes plane consentiunt.

153. *Quod veteres scholasticos attinet*, numquam formaliter hanc quae-
stionem posuerunt, utrum efficacia sacramentorum esset physica an
moralis. Attamen multi ex iis ea dixerunt, cum quibus efficacia
physica quoad gratiam constare nequit, ideoque pro nostra doctrina
recte citantur. Ita *Alexander Hal.* (P. 4, q. 5, m. 3, a. 5), *S. Bona-*
ventura (In 4, dist. 1, p. 1, a. 1, q. 4 5), *Scotus* (In 4, dist. 1, q. 5), alii.

154. *Multi veteres thomistae* sententiam secuti, quam S. Thomas in
prioribus suis operibus tradiderat (In 4, dist. 1, q. 1, a. 4), docebant
sacramenta non immediate producere gratiam sanctificantem sed *quan-*
dam dispositionem animae, qua mediante produceretur gratia. Haec
dispositio in tribus sacramentis est character sacramentalis, in aliis
«ornatus quidam», quem characterem vel ornatum *physice sacramentis*
produci putabant. Ita *Capreolus*, *Paludanus*, *Deza*. Haec sententia
postea derelicta est, quia solido fundamento caret. Utrum vero

1 Si iste ornatus intellegitur physica qualitas, sententia non videtur esse tuta,
quia sic destruitur essentialis differentia inter sacramenta, quae imprimunt charac-
terem, et ea quae non imprimunt. Sin ornatus intellegitur moralis tantum de-
nominatio in eo consistens, quod homo est consecratus per ritum, qui postulat

S. Thomas in posterioribus scriptis moralem tantum an etiam physicam efficaciam sacramentorum docuerit, non convenit inter doctores; postea nonnullos textus afferemus.

155. In solvenda quaestione procedimus ab hoc principio, quod card. *de Lugo* recte statuit: „Non debemus res nostrae fidei absque necessitate difficiliore et obscuriore reddere sed potius, quantum fieri potest, faciliores et ad captum vulgi et infidelium magis accommodatas" (De sacram, disp. 4, sect. 4, n. 35). Hoc enim principium ab omni cordato theologo admitti debet (cf. *Suarez*, De Trin. l. 2, c. 12, n. 15; *Ruiz*, De scientia Dei disp. 49, sect. 1). Nam si agitur de *explicatione* dogmatis, sane praeferenda est ea explicatio, quae intellegi potest, illi explicationi, quae intellegi nequit. Mystera libenter credimus Deo revelanti, non theologo opinanti. Neque cum quibusdam putandum est omnem doctrinam, quo obscuriorem, eo etiam esse perfectiorem et profundiorum.

156. *Causa physica ea dicitur, quae immediate effectum* producit, non movendo intentionaliter causam aliam, ut haec effectum ponat. Ita et artifex et instrumentum eius sunt causa physica statuae. Similiter sacramenta sunt causa physica, si ut instrumenta Dei immediate attingunt animam in eaque gratiam producant.

157. Si quis vult cum *Patre Viva* (Curs, theol. P. 7, disp. 2, q. 2, n. 5) et aliis dicere sacramenta eatenus esse causas physicas, quatenus omnipotentia Dei ita cum sacramentis uniat, ut agat tamquam virtus propria eorum, hic solo modo loquendi a nobis recedit. Nam res est vera, sed non quaeritur hoc loco, quomodo sacramentum et Deus simul agant, sed quomodo signum sensibile ut instrumentum Dei et ut

gratiam, sane talis ornatus est admittendus, at sic nihil aliud est nisi moralis illa causalitas, quam explicavimus. Nam haec consecratio est objectiva exigentia gratiae, quam Deus propter ritum sacramentalem applicatum producit, nisi adest obex.

S. *Thomas* in Summa, ubi causalitatem sacramentorum de industria explicat, ne minimam quidem mentionem 'ornatus' facit. Ergo, sive doctrinam prius propositam retractavit, ut vult *Caietanus* (In 3, q. 62, a. 1), sive non retractavit, certe non censuit eam esse necessariam ad causalitatem sacramentorum explicandam. Neque enim ulla videtur veri nominis differentia in eo esse, quod dicitur aut ritus sacramentalis homini impensus esse titulus gratiae, aut moralis denominatio ex ritu sacramentali in hominem derivata. Immo si ritus sacramentalis in comparatione gratiae recte diceretur nummus plumbeus, multo magis ita dicenda esset denominatio ex ritu sacramentali in hominem derivata. Ergo nisi moralis dignitas ritus sacramentalis sufficit ad causalitatem sacramentorum explicandam, multo minus sufficit ornatus, qui ob ritum sacramentalem est titulus gratiae. Ista igitur causalitas intentionalis qua sacramenta solum efficiunt in recipiente titulum moralem, ob quem Deus producit gratiam, revera non tribuit sacramentis causalitatem proprie dictam respectu gratiae sed solum improprie dictam et remotam, ut eius defensores ipsi concedunt. Hoc autem videtur non posse conciliari cum doctrina Scripturae et traditionis; ergo aliud addendum est, quemadmodum in thesi XII explicavimus.

distinctum ab eius omnipotentia in efficiendam gratiam influat, id quod iam recte notavit *S. Bonaventura* (In 3, dist. 40 in expos, textus dub. 3 circa finem). Hac ratione etiam *Bahtesii* et *Caietani* doctrina optime cum nostra reconciliari potest (*Franzelin* p. 115 sq). Multo minus pugnamus hic contra eos, qui, ut *Berti*, docent cum physica applicatione sacramentorum productionem gratiae per Spiritum Sanctum esse coniunctam, et hoc sensu sacramenta esse gratiae causas physicas indirectas. Solum hic modus loquendi ideo displicet, quia nullam veram causalitatem sacramentorum ostendit (cf. *Franzelin* p. 131).

158. Ergo his et similibus modis loquendi omissis impugnamus eam tantum sententiam, qua statuitur physica sacramentorum operatio sensu proprio, ita ut dicatur ipsum signum sensibile elevari a Deo, sive qualitate infusa (ita thomistae) sive per concursum mere externum una cum potentia oboedientiali (ita Suarez) ad producendam gratiam in anima physica sua actione. Concedimus igitur in sacramentis esse virtutem divinam ad physice producendam gratiam; negamus in iis esse virtutem creatam, quae sit causa physica gratiae.

159. *Arg, 1.* Ex defectu argumentorum, quibus probatur physica causalitas.

Illa sententia non est admittenda, quae sine sufficienti ratione rem valde difficilem et extraordinariam statuit. Atqui talis est sententia docens physicam causalitatem sacramentorum. Ergo.

Prob. min.: a) *Res est valde extraordinaria et difficilis ad intellegendum* signa materialia elevari ad physice producendum ens spirituale et supernaturale. Haec difficultas multis doctoribus iisque gravissimis tanta visa est, ut rem plane repugnare censeant. Ita e. g. *Scotus* (In 4, dist. 1, q. 5), *scotistae* (cf. *Bosco*, De sacram, disp. 1, sect. 4, conci. 2, n. 56 57), *Vazquez* (disp. 132, c. 3 4, n. 40 41), alii. — Ipsi vero defensores causalitatis physicae sudant et algent ad inveniendum aliquem probabilem modum explicationis, sed quod ab uno statuitur, ab altero ut plane falsum reicitur. Ita e. g. quam *Suarez* tamquam unice veram explicationem affert (disp. 9, sect. 1, n. 23), hanc *Gonetus* censet "ficticiam esse, contradictionem involvere, totum ordinem gratiae evertere virusque pelagiani erroris continere" (disp. 3, a. 2, § 6, n. 114).

160. b) *Haec res tam difficilis nulla sufficiente ratione probatur. Nam argumentantur ex Scriptura*, in qua homines dicuntur regenerari ex aqua et Spiritu Sancto. Atqui Spiritus Sanctus est causa physica. Ergo et aqua. Similiter aliis particulis et loquendi modis indicatur causa physica.

Resp.: Cum adversarii concedere debeant haec omnia posse recte explicari per causalitatem moralem (*Gonetus* l. c. § 3, n. 42), haec

?

e i h

4

argumenta non sufficiunt ad probandam rem tam difficilem, sine novis miraculis impossibilem, quae miracula non requiruntur pro causalitate morali. Praeterea particulae „ex“, -per“, similia saepe adhibentur de causis moralibus (1 Petr 1, 23. Iac 1, 18. Rom 5, 10 etc.); et ex natura materiae subiectae pendet, utrum istae particulae explicandae sint de causa physica an morali. Sacramentum autem, utpote signum, est ens morale, hinc, ut vidimus, S. Petrus describens efficaciam baptismi, nihil commemorat nisi moralem causalitatem.

161. *Argumentantur ex Patribus*, qui adeo exaltent virtutem sacramentorum, ut eorum dicta intellegi nequeant nisi de physica causalitate sacramentorum. Nam, inquit *Drouin*, in opinione eorum, qui contendunt sacramenta moraliter tantum operari, „nec minima admirandi superest causa: quis enim, quaeso, eius simplicitatem non rideat, qui sic exclamaret: Quae est tanta virtus syngraphae, ut ea exhibita statim pecunia numeretur. . . . Ne igitur parvis simplicitatis et imperitiae Patres accusemus, fatendum ex eorum mente sacramenta virtutem habere acceptam divinitus ad gratiam physice conferendam" (De sacram, q. 4, c. 2, prob. 2 in fine; *Aligne*, *Cursus theol.* XX 1298). Simili modo argumentatur *Billuart* (dist. 3, a. 2), immo est palmare argumentum apud omnes asseclas huius opinionis (cf. *Hugon* p. 122 sqq).

Resp.: Hoc est summe admirandum, quod sacramenta tantae sunt dignitatis, ut exigant a Deo et, quantum ad ipsa, infallibiliter impetrent gratiae collationem. Quod vero adversarii nihil admirandi in causalitate morali vident, inde est, quia eam falso explicant et ad rationem merae condicionis deprimunt. Discant a S. Paulo etiam causalitatem moralem posse vere esse admirandam (2 Cor 4, 17). Porro SS. Patres docere causalitatem moralem sacramentorum vidimus in prop, praecedenti (n. 147). Quoties vero non de qualibet vera causalitate sed de physica efficientia gratiae loquuntur, eam aut complexo integro ex signo visibili et omnipotentia Dei aut soli Deo adscribunt. Ita *S. Basilius*: „Si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquae natura sed ex Spiritus praesentia" (De Spiritu Sancto c. 15, n. 35; *AI* 32, 131). *Hippolytus*: „Haec est aqua cum Spiritu Sancto coniuncta . . . per quam regeneratus homo vivificatur" (Serm. in Theophan. n. 8; *AI* 10, 859). *S. Cyrill. Hier.:* „Visibili quidem unguento corpus ungitur, Sancto autem et Vivifico Spiritu anima vivificatur" (Cat. myst. 3, n. 3; *AI* 33, 1091). *S. Augustinus*: „Aqua exhibens forinsecus sacramentum gratiae et Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiae . . . regenerant hominem in uno Christo" (Ep. 98, n. 2; *AI* 33, 360). *S. Gregor. Nyss.:* „Hoc beneficium non aqua largitur (esset enim omni creatura sublimior) sed Dei praeceptum et Spiritus, qui mystice ad nostram libertatem venit, accessus. Aqua vero subservit ad ostendendam purgationem" (Serm. in bapt. Chr.; *M* 46, 582). Simili modo SS. Patres constanter physicam productionem

Art. 1. De primario effectu sacramentorum novae legis, qui est gratia. Prop. XIII. 09

gratiae soli Deo in oppositione ad signum sacramentale adscribunt, et ex altera parte omni modo causalitatem moralem sacramentorum efferunt; unde tantum abest, ut sententiae de physica causalitate faveant, ut eorum doctrina obvio sensu intellecta cum hac sententia evidenter pugnet. Cf. *De Augustinis*, De sacram. 253 sq; *Franzelin*, De sacram. 127 sq.

162. *Argumentantur ex declarationibus ecclesiae.* Sed quia ea, quae ecclesia docet de efficacia sacramentorum, vera manent in nostra sententia, ut patet ex propositione XII, ex iis nihil contra nos probari potest. Concedimus enim sacramenta continere gratiam et esse veras causas gratiae, sed moraliter, ideoque ex virtute creata ipsis indita.

163. *Arg. 2,* Ex eo, quod causalitas physica sacramentorum plane intellegi nequit.

Res non potest operari physice, quae physice non existit. Atqui sacramenta (excepta eucharistia), quando operantur, physice non existunt. Ergo sacramenta non operantur physice.

Prob. min.: Sacramenta operantur, ubi primum forma perfecta est. Atqui forma formaliter ut forma non existit in ordine physico. Nam forma nihil aliud est nisi verba secundum sensum suum. Sensus autem verborum non est ens physicum sed morale. Ergo non intellegitur, quomodo res, quae formaliter ut signum sacramentale non habet physicam existentiam, tamen formaliter ut signum sacramentale physice operari possit. Est de ipso conceptu signi, ut qua signum operari non possit nisi per intentionalem apprehensionem agentis physici rationalis. Ergo idem valet de sacramento, quod qua signum operatur.

Porro quando effectus producitur, forma ne materialiter quidem physice existit; est enim ens successivum, quod qua totum numquam habet existentiam in ordine physico, sed si una pars existit, aliae partes aut nondum aut non iam existunt. Sed sacramenta non producant gratiam nisi qua totum et integrum signum, non vero per partes, ita ut suscipiens aliquid gratiae accipiat, si minister dicit: „ego“, dein aliquid plus, si dicit „te“, et rursus plus, si dicit „baptizo“ etc.; aut aliquid ad primam litteram „a“, aliquid ad secundam litteram „g“ etc. Haec enim sunt ridicula. Ergo dicenda est gratia produci in instanti. In hac suppositione *Gonetus distinguit* nostrum argumentum: Quod non est nec immediate antea fuit, non potest physice agere, conc. Quod immediate antea fuit et est ens instrumentale et successivum, nego.

Sed hoc responsum non valet, nam ens, quod immediate ante fuit, id hoc instanti iam est absolute nihil in ordine physico; ergo in ordine physico absolute nihil operari potest. Adde quod una pars sacramenti potest iam diu transiisse physice, sicut si aegrotus heri confessus, hodie

vero sensibus destitutus absolvitur, in quo casu secundum sententiam adversariorum hesternae confessio utpote pars constituens sacramenti hodie physice agit, id quod plane repugnat.

164. Quidam omnem effectum sacramentalem attribuunt ultimae syllabae vel ultimae parti ultimae syllabae. Ita *Suarez* (disp. 8, sect. 2, n. 15) et alii. Quod cum iam per se appareat satis mirum, cogita praeterea formam sacramentalem physice nihil esse nisi vibrationem aeris aut vibrationem organorum loquelaes inservientium. Sed haec altera actio subiectum sacramenti omnino non attingit physice. Ergo in illud physice non operatur, nisi forte admiseris operationem in distans. Ergo totum, quod physice operatur, quando gratia datur, est aliqua undulatio aeris. Ergo in hac undulatione aëris est integra virtus sacramenti, et consequenter ex una parte falsum est totum sacramentum physice causare gratiam, et ex altera parte manifestum est, quantum hoc explicandi modo derogetur dignitati sacramentorum. „Etenim ridiculum profecto apparet totam sacramentorum vim et efficientiam ad extremum quoddam soni aut motus indivisibile revocare, quod physico concursu gratiam producat. Et sane Christum redemptorem nostrum in sacramentorum institutione harum subtilitatum curam aliquam habuisse plane videtur commenticium. Quocirca cavendum est, ne, dum hoc modo virtutem sacramentorum explicamus, haereticis praebeamus occasionem irridendi nostrae fidei mysteria atque iactandi ad huiusmodi angustias nos esse redactos pro defendenda eorum efficacia, quam ipsi impugnant, cum tamen possit multo faciliori ac solidiori modo explicari et defendi (*Vazquez* disp. 132, c. 6, n. 11). Nam simpliciter dicendum est: Ubi primum signum sacramentale perfectum est, Deus intuitu dignitatis, quae huic signo inest, gratiam largitur. Habent igitur sacramenta similem operandi modum ac passio Christi, quae iam diu praeteriit, et missae sacrificium, quod sane effectum gratiae non physice operatur. Sed sacramentis tantam efficaciam adscribere quantam passioni Christi et sacrificio missae, utique sufficiens est ad servandam eorum dignitatem et efficaciam.

165. *Arg. 3.* Ex reviviscentia sacramentorum.

Si quis fecte, i. e. cum obice gratiae suscipit e. g. sacramentum matrimonii vel extremae unctionis, adversarii nostri concedunt gratiam postea produci, si obex removeatur. Atqui postea sacramentum nullo modo physice existit. Ergo non potest producere gratiam physice.

¹ *Hugon* (La causalité instrumentale 146 sq) de hac difficultate ait: „Obiectio non est formidabilis, immo nec valde seria. Ritus efficax existit in termino et complemento suo definitivo, quando ultima syllaba est pronuntiata. Cum significatio

Adversarii varii varia respondent; sed aliis responsis reiectis *Gonetus* dicit: «Verior et probabilior est solutio ac doctrina aliorum thomistarum asserentium sacramenta, quae non imprimunt characterem recedente fictione, non causare physice sed moraliter" (disp. 3, a. 3, § 2, n. 81). Idem docet *Suarez* (disp. 9, sect. 2, n. 20).

Resp.: Si semel dignitas et efficacia sacramentorum sufficienter servatur per causalitatem moralem, cur non semper? Alia multa vide apud *De Augustinis*, De sacram. I, thes. 18.

166. *Schol.* De doctrina S. Thomae.

S. Thomas in tractatu De efficacia sacramentorum id tantum ex professo efficere nititur: sacramenta esse veras causas gratiae, et quidem instrumentales, non signa tantum neque meras condiciones. Sed ut haec ostendat, varia dicit, quibus partim moralem partim physicam causalitatem docere videtur. Ita factum est, ut alii aliter haec dicta interpretentur. Primus, qui S. Thomae explicite adscripsit sententiam de causalitate physica sacramentorum ad producendam gratiam, est *Caietanus*. Thomistas posteriores nihil in eius verbis videre nisi doctrinam physicae causalitatis per se patet. Immo *BiUuart* recitato articulo primo q. 62 exclamat: «Sit caecus aut praeiudiciis occupatus, qui hic non agnoscit causalitatem physicam esse de mente S. Thomae" (diss. 3, a. 2). Sed si nulla alia dicta S. Thomae existerent, possemus tuto negare eum ullis verbis innuere causalitatem physicam.

Praecipuus textus, in quo videtur S. Thomas docere causalitatem physicam, est q. 62, a. 6, ubi dicit sacramenta veteris legis non causasse gratiam nisi per fidem suscipientium, et rationem reddit hanc: «Passio Christi in lege vetere nondum exsistebat. Ergo non poterat tunc agere nisi intentionaliter, i. e. per actum, animae. Non vero poterat agere per usum exteriorum rerum." His verbis s. doctor videtur innuere «usum exteriorum rerum" in sacramentis novae legis continere in se plus quam moralem efficaciam, quia moralis efficacia est intentionalis tantum, neque ulla videtur repugnantia, cur non id, quod nondum existit, moraliter iam agat, quod accidit in omni causa finali, quae nondum existit. Ergo ex hac parte nulla apparet difficultas, cur passio Christi non potuerit in sacramentis veteris legis eodem modo agere quo in sacramentis novae legis, nisi supposita causalitate physica sacramentorum. Attamen si quis diligentius modum

formae sit simplex, etsi non omnia verba simul proferuntur, etiam virtus sacramentalis est simplex et effectum suum physicum producit in ultimo instanti. Sed qui ita loquitur, non perpendit *significationem* verborum non esse ens physicum, sed morale. Ergo sacramenta, si significatione sua tantum operantur, sine dubio moraliter tantum operantur, cum ens morale ut morale non possit habere causalitatem physicam.

consideraverit, quo sacramenta sunt causae morales, videbit hanc causalitatem ante Christi passionem non potuisse existere, quod proxima thesi exponemus¹.

167. Ex altera parte s. doctor non minus clare videtur indicare moralem tantum causalitatem. Nam hoc ipso loco *vocat sacramenta ^continuationem" quondam passionis Christi* et dicit per sacramenta „virtutem passionis Christi copulari nobis „Unde manifestum est, quod sacramenta ecclesiae specialiter habent virtutem ex passione Christi, cuius virtus nobis quodammodo copulatur per susceptionem sacramentorum (ib. a. 5). „Sacramenta habent virtutem per conjunctionem ad Christum crucifixum et passum (Quodl. 12, q. 10, a. 14). Atqui passio Christi moraliter operatur. Ergo etiam sacramenta.

Praeterea docet: „Vis spiritualis est in sacramentis, in quantum ordinantur a Deo ad effectum spirituale" (3, q. 62, a. 4 ad 1). „Sacramentum consequitur spiritualem virtutem ex benedictione Christi et applicatione ministri" (ib. ad 3). Sacramenta operantur ad gratiam, prout sunt quasi mota a Deo ad hunc effectum, qui quidem motus attenditur secundum institutionem, sanctificationem et applicationem ad eum, qui accedit ad sacramentum" (De verit. q. 27, a. 4). Atqui ordinatio, benedictio, institutio sunt motus non physicus sed moralis.

Tandem s. doctor docet sacramenta *^significando causare"* (ib. ad 13 et 17), „sicut in ipsa voce sensibili est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit a conceptione mentis" (3, q. 62, a. 4 ad 1). Atqui significandi vis in vocibus non est physica sed moralis.

168. His igitur et aliis dictis permoti *Vazquez* (disp. 132, c. 5), *De Lugo* (disp. 7, n. 98), *Franzelin* (thes. 11, schol. 1), *De Augustinis*

¹ Cum omnes defensores causalitatis moralis doceant sacramenta esse veras causas easque instrumentales, quae ex motione divina habeant virtutem non permanentem sed fluentem, i. e. non in qualitate aliqua sed in ipsa actione consistentem, ad producendam gratiam, non apparet, cur *Reinhold* cum tanta fiducia dicat S. Thomam haec eadem docentem manifeste exprimere causalitatem physicam (*Wirksamkeit der Sakramente* 140). Tota quaestio est, quid in sacramentis sit illa virtus fluens a Deo accepta, utrum sit aliquid morale an physicum. Copulatio cum passione Christi, ordinatio Dei, benedictio, applicatio, alia, quibus S. Thomas hanc virtutem explicat, in sacramentis (si abstrahimus ab eucharistia) non insunt, nisi quando actualiter administrantur, ergo per modum virtutis fluentis, sicut significatio spiritualis in voce sensibili (quo exemplo ipse S. Thomas utitur). Quomodo inde colligitur hanc virtutem esse rem physicam, non moralem? *Reinhold* quidem ait: Quaestio, quomodo virtus spiritualis in re corporea esse possit, non habet ullum sensum, si agitur de sola causalitate morali. At cur haec quaestio nullum sensum habet? nam eadem quaestio in multis rebus psychologicis et moralibus recurrit.

(thes. 18, schol. 2), alii putant S. Thomam omnino doctrinae de causalitate morali favere. Sed quidquid id est, in re, quam S. Thomas non de industria tractavit, licebit omnino tuto sequi posteriorum doctorum sententiam, qui in hanc rem accuratius inquisiverunt, et hoc eo magis, si rationes solidae id suadent.

Aliam expositionem huius rei invenies apud *Scheeben* (Dogm. l. 5, n. 1090 sqq), qui docet secundum S. Thomam sacramenta cum Deo organice coniungi ita, ut virtus divina per ea transeat ad hominem; hanc autem organicam coniunctionem fieri sine ulla interna qualitativa et substantiali immutatione sacramentorum per solam voluntatem Dei, et vocandam esse potius mysticam quam moralem (n. 1106).

Hanc sententiam satis obscuram *Reinhold* suam fecit eamque eo explicare conatur, quod minister administrans sacramentum non sit moraliter alius nisi ipse Christus; iam si Christus ipse visibiliter administraret sacramentum, haec quidem physica actio nullum haberet obiectivum valorem, quo Deum moveret ad conferendam gratiam, sed esset solum instrumentum, quo Christus designaret personam, cui hic et nunc conferret gratiam, Deus autem non propter hanc actionem sed unice propter opus redemptionis gratiam daret; unde cum minister humanus vices Christi in administrandis sacramentis gerat, actio eius eodem modo explicanda est (*Wirksamkeit der Sakramente* 130 sqq).

At hac ratione efficacia sacramentorum non explicari sed negari videtur. Tota enim quaestio est de opere operato seu de signo sacramentali obiectivo. Ergo si quis dicit: Hoc signum nullam efficaciam habet ad gratiam producendam, sed tota efficacia est in ministro applicante signum, signum vero ipsum solum determinat personam, cui gratia confertur — hic simpliciter negat efficaciam ex opere operato. Sententia Dr Scheeben, prout a Reinhold exponitur, non obscura sed falsa esse videtur.

Prop. XIV. Efficacia ex opere operato nulli sacramento veteris legis adscribenda est; ex altera tamen parte circumcisio erat pro pueris iudaeis remedium peccati originalis, quia in eius susceptione per protestationem fidei in futurum Messiam gratiam accipiebant.

169. *Pars I.* Sacramenta veteris legis non habebant efficaciam conferendi gratiam ex opere operato.

Quamvis propter ea, quae dicta sunt in propositionibus I et IX, haec doctrina ab omnibus theologis, maxime post concilia florent, et trident., facile concedatur quoad cetera sacramenta, tamen *scotistae contrarium admittunt pro circumcisione* (et sacramento naturae). Dicunt enim a S. Paulo et conciliis non negari nisi efficaciam sacra-

mentorum veteris legis, circumcisionem vero non pertinere ad veterem legem, cum iam antea fuerit instituta. Ita *Mastrius* (De sacram, disp. 1, q. 2, a. 2, n. 86), *Bosco* (disp. 1, sect. 2, conci. 6, η. 65). Has rationes excogitarunt, quia iis *Scoti* rationes non placebant, qui dicit ideo circumcisioni negari illam efficaciam, „vel quia parvam gratiam contulit circumcisio respectu baptismi, vel quia non contulit gratiam ut dispositionem immediatam ad gloriam, quia non aperuit ianuam [caeli], vel tertio modo non contulit gratiam, quia non universaliter cuicumque suscipienti⁸, si scii, hic iam erat iustificatus (In 4, dist. 1, q. 6, § .respondeo dupliciter⁸). Hae utique rationes non sunt valde probabiles, at ratio Mastrii et aliorum scotistarum non est melior.

170. Nam *S. Paulus*, ut galatas retrahat maxime a circumcisione (Gal 5, 2), negat ullis sacramentis veteribus inesse virtutem sanctificatricem, cum fuerint solae umbrae et figurae: .Circumcisio nihil est (1 Cor 7, 19). Neque enim ipsum Abrahamum iustificavit, sed signum tantum fuit iustitiae eius antea acceptae (Rom 4, 9 sqq); Abraham autem fuit prototypus omnium justificandorum.

Eandem esse doctrinam *S. Augustini* iam vidimus (n. 16 56 101). In eiusdem epistula 82 ad Hieronymum (n. 15 20; *M* 33, 281 sqq) habetur longa expositio de eadem re. Speciatim quoad circumcisionem idem docent *S. Justinus* (in Dial, cum Tryph. n. 23 42 sqq; *M* 6, 527 566), *S. Irenaeus* (Contra haer. 1. 4, c. 16; *M* 7, 1015), *S. Ioan. Chrysostomus* (Horn, 27 in Gen. n. 2 3; *M* 53, 242 sq), *Tertullianus* (Adv. iud. c. 3 et 6; *M* 2, 602 608. Cf. *Bellarmin.*, De sacram. 1. 2, c. 15). *S. Thomas*: .Sacramenta veteris legis non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam sanctificantem. Et ideo melius dicendum videtur, quod circumcisio sicut et alia sacramenta veteris legis erat solum signum fidei iustificantis (3, q. 62, a. 6, c. et ad 3).

Neque, si quis sine praeiudicio iudicaverit, negabit *conc. -florent, et trident*, sacramentis novae legis efficaciam gratiae exclusive adscribere ad ostendendam excellentiam novae legis prae omnibus temporibus, quae fuerunt ante Christum.

171. *Pars II.* Circumcisio pro pueris iudaeorum erat remedium peccati originalis.

Quamvis multi theologi hanc doctrinam negent, ut *Bellarminus* (De sacram. 1. 2, c. 17), *Vazquez* (In 1, 2, disp. 184, c. 3 et 4), *Toumely* (De sacram, q. 3, a. 3, conci. 3), alii, nihilominus satis certa videtur et affirmatur a *Suarez* (De sacram, disp. 5, sect. 1), *Gregorio de Valentia* (In 3, q. 70, punct. 2), aliis multis.

Hi imprimis provocant ad *Gn 17, 14*: .Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Quae verba *Lamy* cum multis aliis sic

interpretatur: «Exscindetur anima illa de populo suo, i. e. non pertinebit ad populum Dei, non recensebitur inter filios Abrahae, non erit particeps eius fidei et iustitiae nec heres mearum promissionum; non nanciscetur spiritualem cordis circumcisionem, quae fit per gratiam, quia scii, remanet in peccato originali, quod circumcisione tollendum est' (Comment, in libr.. Gen. II, Mechl. 1884, 76). Sed alii aliter hunc textum explicant, quas tamen explicationes hic proponere et discutere longum est (cf. *Suarez*, De sacram, disp. 5, sect. 1, n. 12; *De Augustinis*, De sacram. 39 sq; *Franzelin*, De sacram. 21 sqq).

172. Longe maiorem vim accipit hic textus ex verbis *Innocentia III* (cap. «Maiores' de bap.): «Cum circumcisio tam adultis quam parvulis ex praecepto Domini conferretur, ne baptismus, qui successit loco ipsius et generalior tamen existit, cum tam viri quam feminae baptizentur, minoris videatur effectus, tam adultis quam parvulis est conferendus. Sicut enim sine distinctione qualibet mosaica lex clamabat: ‚Anima, cuius praeputii . . .‘, ita nunc indistincte vox intonat evangelica: ‚Nisi quis renatus fuerit . . ? Dictum est in fine praedictae auctoritatis inductae de vetere lege: ‚peribit de populo suo‘; in evangelica vero veritate subiunctum est: ‚Non intrabit in regnum Dei; quoniam, etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium et damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum caelorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum' (3 deer., tit. 42, c. 3). Quibus verbis Innocentius suam mentem de circumcisione clare manifestat, licet rem non definiat, sed incidenter tantum tangat.

173. Saepissime *SS. Patres* docent in susceptione circumcisionis remissum esse peccatum originale. *S. Augustinus*: «Certe antiquus populus Dei circumcisionem pro baptismo habuit' (Contra litt. Petii. 1. 2, c. 72; *M* 43, 309; De nuptiis et cone. 1. 2, c. 11, n. 24; *M* 44, 450; Ep. ad Dard. 187 vel 57, c. 11; *M* 35, 845; Contra Iui. 1. 2, c. 6, n. 18; *M* 44, 686; 1. 6, c. 7, n. 19; *M* 44, 834), *Gregor. M.* (supra n. 45). Alios Patres affert *De Augustinis* (De sacram. 44 sq).

174. Accedunt *doctores scholastici*. *S. Thomas*: «Ab omnibus communiter ponitur, quod in circumcisione peccatum originale remittebatur. . . . Dicendum, quod in circumcisione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiae effectus' (3, q. 70, a. 4); *S. Bonaventura*: «Circumcisio fuit data in remedium contra originale peccatum' (In 4, dist. 1, p. 2, a. 2, q. 2); *Scotus*: «Supponendum tamquam certum, quod per circumcisionem peccatum originale debebatur, quod patet per auctoritatem sanctorum' (In 4, dist. 1, q. 6, § «Hic supponendum est!); *Suarez*: «Sententiam hanc secuti sunt omnes scholastici sine ulla opinionum diversitate' (De sacram, disp. 5, sect. 1, n. 10).

175. *Pars III.* Circumcisio justificabat. quateenus erat protestatio fidei in futurum Messiam.

Est ostendendum, quomodo duae priores partes thesis inter se concilientur: scilicet, ex una parte circumcisionem nullam per se habuisse veram causalitatem ad gratiam conferendam, ex altera vero parte infantes in circumcissione sine proprio opere operantis iustificatos esse.

Dicunt quidam circumcisionem iustificasse ut causam moralem, non vero ut causam physicam. Ita *Gonet* (V, disp. 3, a. 4, § 1, n. 182), *Toletus* (In 3, q. 70, a. 4), alii. Sed hoc responsum falsum esse patet ex propositione praecedenti. Immo ipse *Suarez*, strenuus causalitatis physicae defensor, de hac sententia iudicat: «Opinio illa de causalitate physica est valde incerta et ad hominum sanctificationem non multum referens. Unde non videbitur credibile ex ea pendere doctrinam de inefficacia sacramentorum veteris legis ad causandam gratiam (disp. 10, sect. 2, n. 7).

Ergo simpliciter dicendum est circumcisionem non dedisse gratiam ex opere operato. Hoc tamen non impedit, quominus in circumcissione data sit gratia. Nam vidimus (n. 43 sqq) iam in sacramento legis naturae parvulos iustificatos esse posita re aliqua externa, qua parentes vel alii nomine infantis fidem internam significabant. Hoc signum externum postea in lege mosaica a Deo determinatum est ita, ut pro pueris iudaicis non iam valeret ad hanc rem ullum aliud signum nisi circumcisio. Itaque circumcisio erat unicum signum, quo adulti nomine infantis poterant fidem exterius hoc modo profiteri, ut eo ipso infans aggregaretur ad populum Dei electum et gratiae messianicae particeps fieret. Quamvis igitur circumcisio in se nullam haberet dignitatem, quae postularet gratiam, tamen assignata erat a Deo condicio, sine qua non daretur gratia. Et quia secundum communem loquendi modum conditioni non raro adscribimus effectum causae proprium, circumcisio aliquando a Patribus dicitur iustificasse homines, cum tamen iidem Patres alibi negent circumcissionei veram causalitatem convenisse.

Itaque aggregatio ad populum Dei pro israelitis erat condicio sanctificationis, circumcisio vero erat instrumentum aggregationis ad populum Dei; et sic perviam circumcisionis homo perveniebat ad iustitiam.

176. Haec est doctrina *S. Thomae*: ‚In circumcissione conferebatur gratia non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio; ita scilicet, quod homo, qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se vel alius pro parvulo’ (3, q. 70, a. 4; cf. In ep. ad Rom. c. 4, lect. 2). Clare et breviter idem exprimit *Maldonatus*: «Circumcisio peccatum originale debebat, non quod vi sua daret gratiam, sed propterea, quod peccatum originale remittebatur per professionem fidei Abrahae. Deus autem instituit, ut hanc professionem

facerent filii Abrahae masculini non aliter quam per circumcisionem" (De sacram, c. 3, § „Qua in re magister"). Similiter card. *Franzlin*: „Aggregatio infantis ad populum Dei fiebat signo visibili sacramentali; in hac aggregatione fides ecclesiae applicabatur infanti ita, ut hic etiam coram Deo iam inter fideles reputaretur; haec fides dispositio erat sufficiens ex divinis promissis ad sanctificationem per merita futura Christi impertiendam" (De sacram. 27).

Hoc modo et hoc solo modo dicta Patrum specietenus inter se pugnantia conciliari possunt et debent. Immo hic conciliandi modus apud ipsos SS. Patres iam satis clare expressus invenitur (cf. *S. August.*, De nupt. et cone. l. 2, c. 11; *M* 44, 449 sq, et De pecc. orig. n. 36 37; *M* 44, 403).

177. *Coroll.* Ergo falsa est haec conclusio: Circumcisio neque sanctificabat ex opere operato neque ex opere operantis; ergo nullo modo. Datur enim tertium: scilicet, per fidem Christi Messiae, quam ecclesia veteris legis per circumcisionem, ad hoc ex instituto Dei ordinatam, nomine infantis profitebatur. Quem quidem modum sanctificationis si quis vult dicere esse ex opere operato, potest hoc dicere sensu mere negativo ad excludendum opus operantis, non vero sensu positivo, quasi circumcisio habuerit ex se aliquam efficaciam ad conferendam gratiam, sicut habet baptismus.

Deerat enim circumcisioni dignitas ex institutione et merito Christi; ideoque non erat neque poterat esse moraliter actio Christi, quia Christus et merita Christi nondum existebant. Poterat quidem Deus respectu meritorum futurorum Christi aliquod signum eligere, ad cuius praesentiam ipse gratiam conferret, sed non poterat efficere, ut in signo inesset moralis dignitas, quae est in nostris sacramentis, quia non poterat efficere, ut Christus ageret, antequam esset. Ideo sacramenta veteris legis erant nuda signa, a Deo pro libitu electa; sacramenta novae legis sunt continuata actio Christi et qua talis postulant gratiam. Ita intellegenda est ratio *S. Thomae*, quam supra (n. 166) audivimus.

ART. II.

DE SECUNDARIO EFFECTU TRIUM SACRAMENTORUM QUI EST CHARACTER.

Prop. XV. Sacramenta baptismi, confirmationis, ordinis non solam gratiam conferunt, sed etiam signum quoddam spirituale et indelebile animae imprimunt, quod vocatur character.

178. *Nota.* *Nomine characteris* ecclesia et theologi vocare solent signaculum spirituale, quod in susceptione trium sacramentorum baptismi, confirmationis, ordinis animae indelebiliter imprimitur Cha-

1 Cf. *O. Laake*, Über den sakramentalen Charakter, München 1903.

racter enim dicitur omne id, quod vel ex influxu alicuius agentis ei configuratur, ut sigillum, vel aliquod signum, quo unum ab altero distinguitur, ut nota homini vel animali inusta. Priore illo sensu Christus dicitur *χαρακτηρ τη υζοστάσεω αυτού (πατρό)*, Hebr 1, 3. Cf. *S. Thomas* 3, q. 63, a. 1 ad 2.

179. *Negarunt characterem post Widifium* haeresiarchae saeculi XVI; et *Chemnitius* quidem (*Exam. cone. trid. P. 2 in can. 9 de sacram., ed. francoford. 1578, p. 27 sqq*) dicit characterem esse commentum scholasticorum, ab Innocentio III excogitatum. Sed tantum abest, ut Innocentius hanc rem excogitaverit, ut incidenter tantum de hac re locutus sit, interrogatus ab archiepiscopo arelatensi: „Utrum dormientibus et amentibus sacramenti saltem character in baptisate imprimatur? Ad quam quaestionem pontifex respondet: „Dormientes et amentes, si, priusquam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione persisterent, . . . characterem non suscipiunt sacramenti . . .“ (*Dem. n. 411*). Ergo et a summo pontifice et ab archiepiscopo doctrina de caractere sacramentali ut omnino nota et communiter recepta supponitur, et accidentaliter tantum quaestio de ea agitur.

180. *S. Thomas* affirmat characterem admitti ab omnibus theologis suae aetatis, „sed in modo ponendi ipsum in anima partim differunt, partim conveniunt (In 4, dist. 4, q. 1, a. 1). Quia igitur constat et ab adversariis admittitur hanc doctrinam fuisse universalem in ecclesia catholica, eo ipso habetur argumentum praescriptionis pro veritate rei. Hoc igitur argumento supposito, id hic agemus, ut perspiciamus evolutionem huius doctrinae a primis initiis usque ad saeculum XII.

Contra haereticos doctrina definita est a *conc. trid. sess. 7, can. 9* (*Denz. n. 852*) et iam antea armenis proposita ab *Eugenio IV* (*Denz. n. 695*).

181. De doctrina S. Scripturae.

In S. Scriptura tres loci occurrunt, qui ad nostram quaestionem referri possunt.

2 Cor 1, 21-22: „Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus; qui et signavit (*σφραγισάμενο*) nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

Eph 1, 13: „Credentes signati estis (*εσφραγισθητε*) Spiritu promissionis Sancto.

Eph 4, 30: „Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis (*ἰσφραγισθητε*) in diem redemptionis.

Hi tres textus possunt ita considerari, ut nondum supposita veritate characteris sacramentalis ipsi ad probandum characterem afferantur; aut ita, ut supposita veritate characteris quaeratur, num in hac suppositione textus de hoc caractere interpretandi sint.

182. *Si textus afferuntur ad probandum characterem, est fortasse argumentum probabile.* Apostolus enim in epistula ad Cor. distinguit unctionem, quae est gratia creata, Spiritum Sanctum, qui est gratia increata, et tertium, quod vocat sigilli impressionem {σφραγιβάμενο[^]. Ergo secundum apostolum christiani praeter gratiam creatam et incitatum tertium aliquod donum spirituale accipiunt, quod sigillum seu character merito vocari potest.

Sed hoc argumentum limites probabilitatis non excedit, quia *textus alio modo explicari possunt* et reapse a catholicis doctoribus explicantur.

5. *Thomas* illud signum intellegit signum fidei et crucis vel Spiritum Sanctum: „Signavit nos signo fidei Christi. Item signum crucis . . . et ideo speciale et certum signum est vitae aeternae configurari Christo. Vel signavit signo vitae per pignus vere maximum, quia Spiritus Sancti" (In 2 Cor. c. 1, lect. 5).

P. Iustiniani explicat unctionem de dignitate prophetica, sacerdotali, regia Christianorum, vel de charismatibus: „Obsignare nihil aliud est quam gratiam et Spiritum largiri", quod ideo fit maxime in baptismo, quia in eo character imprimitur. „Possis etiam interpretari obsignavit, hoc est sigillo suo munivit, vocatione sua efficaci et, quod caput est, aeterna sua dilectione et praedestinatione."

Estius: „Qui et signavit nos . . ., i. e. tamquam sigillum quoddam nobis impressit Spiritum Sanctum largiendo varia eius charismata, quae sigilli instar nos probent veros Dei nuntios ac ministros."

Comely: „Vocationem igitur et praeparationem ad munus apostolicum vel potius muneris apostolici collationem eamque Spiritus Sancti communicationem, quae ad illud rite obeundum requiritur, intellegit. . . . Obsignationem apostolicam collatione charismatum Spiritus Sancti factam esse rectissime dicemus" (In 2 Cor. 1, 22; cf. ibi nota ultima p. 50).

Iam vero si textus ille ex epistula ad Cor. non habet vim stricte probandi, neque alii loci ex epistula ad Eph. eam habent, nam ibi signatio potest apte intellegi de gratia sanctificante. (Cf. *Suarez*, In 3, q. 63, a. 3 in commentario, *Wirceburgenses* n. 97.)

183. *Si vero quaeritur de sola exegetica expositione illorum textuum, concedendum est quosdam SS. Patres et multos theologos explicasse eos de caractere sacramentali, et ipsam appellationem et descriptionem characteris ad loquendi modum S. Pauli reducendam esse.* Ita e. g. 5. *Ambrosius*: „Si qua in aqua gratia, non ex natura aquae, sed ex praesentia est Spiritus Dei. Numquid in aqua vivimus, sicut in Spiritu? numquid in aqua signamur, sicut in Spiritu? In ipso enim vivimus et ipse est pignus hereditatis nostrae, sicut apostolus scribens ad Ephesios ait: „In quo credentes signati estis. . . ." Sancto igitur Spiritu signati sumus non natura, sed a Deo; quia scriptum est: „Quia

unxit nos Deus, et qui signavit nos.' Spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem eius et gratiam tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum (De Spir. S. 1. 1, c. 6, n. 77 sqq; *M* 16, 723). Similiter *S. Ioan. Chrysostomus* (Hom. 2 in ep. ad Eph. n. 1; *M* 62, 18). Posteriores vero theologi communiter ad illos textus provocare solent, ut *S. Thomas* (3, q. 73, a. 1) et ipse *catech. rom.* (P. 2, c. 1, n. 30). Ergo dubitandum non est, quin phraseologia ecclesiastica ex illis locis desumpta sit.

184. De doctrina SS. Patrum.

SS. Patres saepe *baptismum vocant sigillum*. Ita *Clemens Rom.* baptismum dicit .sigillum immaculatum⁶ (2 Cor. 7, n. 6; c. 8, n. 6); *Constit. Apost.* .sigillum infragile (1. 3, c. 16; *M* 1, 798) *Acta S. Theclae* ,signaculum in Christo muniens contra tentationes⁶ (c. 8; cf. *Franzelin* p. 154 sq). Cur autem vocant baptismum sigillum? Quia baptismo aliquod signum animae imprimitur. .Quandoquidem et muta animalia per signaculum ostendunt, cuius sit unumquodque, et ex signaculo videtur; sic et anima fidelis, quae veritatis sigillum accepit, stigmata Christi portat.⁶ Ita in testimonio ex saeculo secundo in eclogis ex *Theodoto* apud *Clement. Alex.* (n. 86; *M* 9, 698). Alia apud *Pourrai*, *La théologie sacramentaire* 197 sqq.

Postea vero a sequentibus Patribus magis magisque clare exposita est natura huius characteris sacramentalis. Ita *S. Basilius*: ,Baptismus captivo est redemptionis pretium, debitorum condonatio, mors peccati, regeneratio animae, indumentum lucidum, sigillum, quod nullo conatu frangi potest, vehiculum ad caelum⁶ (Horn, in baptisma n. 5; *M* 31, 434. Eadem verba sunt in *Procatech. S. Cyrilli Hieros.* n. 16). Hoc quoque signaculum dicit esse distinctivum, quo angeli christianos a non-christianis discernant: »In acie duces tesseram tribuunt sub se militantibus, ut amici facile se invicem inclament. . . . Quomodo vindicabit te angelus? Quomodo eripiet ex hostibus, nisi agnoverit signaculum? Quomodo dicturus es tu: Dei sum, si notas ac insignia non exhibeas?⁶ (ib. n. 4; *M* 31, 431 sqq). Eadem comparatione utitur *S. Ioan. Chrysost.* et addit: ,Quo fit, ut, si ordinem deserueris, perspicuus omnibus fias. Iudaei enim signi loco circumcisionem habent, nos autem pignus Spiritus (Hom. 3 in 2 Cor. n. 7; *M* 61, 418). Alii vero signaculum hoc comparant cum anuli impressione, ut *S. Ephraem*: .Spiritus Sanctus per oleum imprimit signum suum ovibus suis. Sicut anulus in cera imprimit suum sigillum, ita etiam signum occultum Spiritus per oleum imprimitur personis, quando unguuntur in baptismo⁶ (*Assem.*, *Bibl. orient.* I 94). *S. Cyrillus Hieros.*: .Salutare et admirabile sigillum confert [Deus in baptismo], quod contremiscunt daemones

1 Verba sumpta sunt ex vetustiore libro, pertinente ad saec. III, i. e. ex *Didascalia apostolorum*. (cf. ed. *Funk* I, Paderbornae 1905, 210).

Art. 2. Do secundario effectu trium sacramentorum, qui est character. Prop. XV. 81

et agnoscunt angeli, ita ut illi quidem fugitent abacti, hi vero ut cognatum et familiarem circumplectantur" (Catech. 1, n. 3; *M* 33, 374; cf. Catech. 21, n. 7).

185. Diligentissime doctrinam de characterе sacramentali excoluit S. *Augustinus*. Huic enim contra donatistas defendenda erat doctrina catholica: Sacramenta baptismi, confirmationis, ordinis positіs debitis condicionibus etiam ab haereticis ministris posse valide conferri et ab haereticis et peccatoribus valide (licet infructuose) suscipi. Ut hoc ostendat, dicit duplicem esse distinguendum effectum horum sacramentorum: gratiam et characterem; hunc alterum effectum posse adesse, ubi prior ille desit. „Quemadmodum Spiritum Sanctum, sicut habent filii dilecti, non habent filii maligni, et tamen baptismum habent, sic et ecclesiam, sicut habent catholici, non habent haeretici, et tamen baptismum habent; nam Spiritus Sanctus disciplinae fugiet fictum, nec tamen eum fugiet baptismus. Itaque sicut potest baptisma esse, et unde se aufert Spiritus Sanctus, ita potest esse baptisma, ubi non est ecclesia. Induunt homines Christum aliquando usque ad sacramenti perceptionem, aliquando et usque ad vitae sanctificationem, atque illud primum et bonis et malis potest esse commune, hoc autem alterum proprium est bonorum et piorum® (De bapt. 1. 5, c. 23, n. 33; *M* 43, 193). — „Ecce accipit sacramentum nativitatіs homo baptizatus, sacramentum habet. . . attendat tamen in cor . . . videat, si habeat caritatem. . . Si autem non habet, characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur® (In 1 Io. tract. 5, n. 6; *M* 35, 2015). Ideo sacramenta quaedam non possunt repeti. „Utrumque sacramentum est [baptismus et ordo] et quadam consecratione utrumque homini datur, illud, cum baptizatur, istud, cum ordinatur; ideoque in catholica [ecclesia] utrumque non licet iterari® (Contra epist. Parmen. 1. 2, c. 13, n. 28; *M* 43, 70. Idem dicit in ep. 98 ad Bonifac. n. 5; *M* 33, 362). Contra sacramentum paenitentiae repeti potest, quia characterem non imprimit (De bapt. 1. 3, c. 16, n. 21; *M* 43, 149). Cf. alia apud *Franzelin* p. 147 sqq; *De Augustinis* p. 309 sqq.

ilî:

U i

.HI

"

l *Harnack* de illa doctrina S. Augustini haec scribit: „Durch die donatistische Praxis der Wiedertaufe und der Reordination war Augustin genôtigt, die Bedoutung und Wirksamkeit der Funktionen der Kirche, dem Optatus folgend, genauer ins Auge zu fassen. Es konnte nicht ausbleiben, daß er dabei . . . über die Sakramente . . . hbchst sophistische Erwågungen anstellen mußte. . . Die donatistische Theorie, dafi die Wirksamkeit des Sakramentes vom Spender abhângig sei, und die donatistische Praxis der Wiedertaufe nbtigte ihn zur Aufstellung zweier Widersprüche: 1. Die Sakramente sind *allein* in der Kirche wirksam, aber sie sind *auch* in *auüerkirchlichen Kreisen* wirksam. . . 2. Die Sakramente sind unabhffingig von jeder menschlichen Disposition; die Sakramente sind an die sichtbare katholische Kirche und an den Glauben gebunden. . . Um diese Widersprüche zu beseitigen, mußte er Unterscheidungen suchen. Er fand sie nicht, indem er otwa zwischen Gnadenanbietung und Gnadenverleihung unterschied, sondern indem er eine doppelte Wirksamkeit der Sakramente annahm: 1. eine unverwischbare *Abstetnpelung* jedes

186. *Itaque SS. Patres docent characterem esse signum spirituale animae indelebilius impressum, quod maneat, etiamsi gratia et fides amittantur, et quod in tribus sacramentis baptismi, confirmationis, ordinis suscipi possit etiam ab eo, qui haec sacramenta cum obice ideoque sine fructu gratiae suscipiat, et hanc esse causam docent, cur haec sacramenta semel valide suscepta repeti nequeant, licet a peccatore et haeretico recepta et administrata sint.*

Porro cum S. Augustinus, ubicumque de hac re agit, semper provocet ad doctrinam ecclesiae omnibus notam et consuetudinem ubique vigentem, manifestum est eius temporibus hanc doctrinam non fuisse primum inductam, sed iam multo ante viguisse et ad apostolicam traditionem pertinere. Hanc doctrinam a Patribus acceptam scholastici speculative excoluerunt.

187. Quod vero non solum signum impressum sensu passivo sed etiam causa imprimens signum, sive principalis, i. e. SS. Trinitas, sive instrumentalis, i. e. baptismus, sensu activo character vel sigillum dicitur tum a Patribus tum a theologis, neque mirum est neque explicatione indiget, cum etiam in vita communi non solum signum cerae impressum sed etiam instrumentum, quo signum imprimitur, dicatur sigillum (cf. *Franzelin* thes. 12, coroll. 1).

188. *Schol.* Quomodo inter se cohaereant character et initerabilitas sacramentorum.

Cone. trid. concludit: Quia in tribus sacramentis imprimitur character, ideo haec sacramenta iterari non possunt (sess. 7, can. 9; *Dem.* n. 852). Rationem iam reddidit S. Augustinus: „Baptismus ille tamquam character infixus est: ornabat militem, convincit desertorem. Quid enim facis [si rebaptizas]? Christum imponis super Christum" (In Psalm. 39, n. 1; *M* 36, 433).

Nonnulli theologii e contrario ex eo, quod tria illa sacramenta iterari nequeunt, ostendunt veritatem characteris, ut *Bellarminus* et *Vazquez*. Et recte quidem. Quamvis enim sola voluntas Dei sufficere possit, ut sacramenta non sint iterabilia, tamen in traditione ecclesiastica non tantum continetur quaedam sacramenta iterari non posse, sed etiam docetur ideo iterari non posse, quod signum indelebile animae imprimant, et nulla alia ratio huius rei nota est. Ergo theologii recte concludunt: Quodcumque sacramentum iterari nequit, characterem imprimit (cf. *Wirceburgenses* n. 98).

Empfiingers, die überall dort eintritt, wo das Sakrament rite gespendet wird, gleichgültig von wem; 2. eine *Gnadrnspendung*, die nur ira Verbands der katholischen Kirche dem GÜubigen zu teil wird (Dogmengeschichte III 154 sqq).

Opus non est speciatim indicare varios errores, qui in paucis his verbis continentur, sed iuvat prae oculis habere crudam scholae ritschlianae methodum accusandi contradictionis doctrinam, quae cum placitis huius scholae conciliari nequit.

Prop. XVI. Character sacramentalis est supernaturalis qualitas animae, qua homo speciali modo Christo sacerdoti conformatur et ad divinum cultum deputatur simulque specialem relationem ad gratiam accipit.

189. Statuta iam veritate characteris sacramentalis paulo accuratius, quantum fieri potest, *inquirendum est in naturam et rationem characteris*. De hac re SS. Patres pauca tantum disputarunt, ut *Albertus M.* recte notat: „De characterem in sensu, quo magistri disputant, de eo parum invenitur in dictis sanctorum" (In 4, dist. 6, a. 4). Unde mirum non est, quod theologi in varias sententias abierunt¹. Nos prius iis, quae certe falsa sunt, reiectis statuemus, quae probabiliora videntur.

190. *Character non est mera denominatio externa* seu relatio rationis, prout docuit *Durandus*: „Sicut nummus sortitur rationem pretii et merellus rationem signi ex humana institutione, sic ... character non est nisi relatio rationis ex ordinatione vel pactione divina" (In 4, dist. 4, q. 1, n. 11), quatenus sci. homo a Deo deputatur ad sacras actiones. Haec sententia non est vera, quia constat characterem esse „signum spirituale et indelebile animae impressum" (*conc. trid. sess. 7, can. 9; Denz. n. 852*). Quare theologi censuris plus minusve gravibus sententiam Durandi reiciunt. Immo secundum *Suarez*: „Haec Durandi sententia nihil in re differt a sententia haereticorum, quam concilia voluerunt directe damnare" (disp. 11, sect. 2, n. 1). Alii tamen, ut *Vazquez* et *Arriaga*, huic censurae non consentiunt; omnes autem fatentur sententiam Durandi non esse admittendam.

191. *Character non est sola relatio realis*. Huius sententiae fuisse nonnullos scribit *S. Thomas*, qui „quidem ponunt istis relationibus non subesse aliquod accidens absolutum, sed immediate in anima fundari istas relationes" (In 4, dist. 4, q. 1, a. 1). Eadem sententia attribuitur *Scoto* (In 4, dist. 6, q. 10) „a multis recentioribus". Sed, inquit *Bosco*, nescio, utrum Scotum vel leviter inspexerint", cum Scotus solum ut possibilem hypothesin illam doctrinam admiserit, ipse vero in contrariam omnino inclinet, „quam proinde communiter tenent scotistae" (De sacram, disp. 1, sect. 4, conci. 8, n. 113). Quidquid Scotus docuit, hodie omnes theologi consentiunt characterem non esse relationem realem sine fundamento absoluto, quia relatio realis non potest animae imprimi nisi impresso aliquo absoluto; relatio enim a fundamento suo non distinguitur; ergo, si relatio imprimatur, hoc ita fit, ut fundamentum eius imprimatur. Ergo concedendum est characterem esse aliquid absolutum.

¹ Progressam huius doctrinae apud scholasticos exponit *F. Brommer*, Dio Lehre vom sakramentalen Charakter in der Scholastik, Paderborn 1908. Supplementum quoddam exhibet *Gillmann* in Der Katholik 1910, I 300 sqq.

192. *Character est de genere qualitatis.* Nam cum agatur de ente spirituali, permanente, a Deo producto, hoc necessario aut est substantia, aut relatio, aut qualitas absoluta. Ad aliud enim praedicamentum rationabiliter referri non potest. Atqui character non est mera relatio, ut vidimus, neque magis est ipsa substantia animae, quia accedit ad animam eique imprimitur et inhaeret ut forma supernaturalis. Ergo nihil remanet, nisi ut character sit qualitas; et revera caractere impresso animam „qualem“ fieri per se patet.

193. *Hac qualitate homo configuratur Christo.* Nam, ut legitur in *Actis S. Theclae* c. 8, baptismus est „signaculum in Christo muniens contra tentationes“. In eclogis ex *Theodoto* apud *Clementem Alex.* n. 86: „Anima fidelis, quae veritatis sigillum accepit, stigmata Christi portat“ (*M* 9, 698), et sicut in numismate est superscriptio caesaris, „ita fidelis inscriptionem habet per Christum Dei nomen“ (ibid.). Caractere signatur homo ut pertinens ad exercitum Christi. *S. Basilii*: „Agnoscat te nemo, nosterne sis an hostium, nisi mysticis symbolis exhibeas domesticitatem, nisi signatum sit super te lumen vultus Domini“ (Hom. in sancto, bapt. n. 4; *M* 31, 431). Hoc signum manet etiam in desertore. *S. Iohannes Chrysost.*: „Quemadmodum nota quaedam militibus, ita fidelibus quoque Spiritus imponitur. Quo fit, ut si ordinem deserueris, omnibus conspicuus fias. Iudaei enim signi loco circumcisionem habebant, nos autem pignus spiritus“ (In 2 Cor. homo. 3, n. 7; *M* 61, 417). Omni baptismo rite collato character Christi imprimitur, etsi gratia sanctificans non datur. Ideo, ut ait *S. Augustinus*, baptismalis consecratio „reum facit haereticum, extra dominicum gregem habentem dominicum characterem“ (Ep. 98, n. 5; Af 33, 362). *S. Thomas*: „Sicut milites, qui deputantur ad pugnam, insigniuntur signo ducis, quo quodammodo ei configurantur, hoc modo illi, qui deputantur ad cultum Christianum, cuius auctor est Christus, characterem accipiunt, quo Christo configurantur; unde proprie est character Christi“ (3, q. 63, a. 3 ad 2).

194. *Dupliciter autem potest homo in ordine supernaturali configurari Christo:* vel secundum similitudinem naturae vel secundum similitudinem muneris. *Secundum similitudinem naturae* homo configuratur Christo per gratiam sanctificantem, qua fit filius adoptivus, sicut Christus est filius naturalis. *Secundum similitudinem autem muneris* homo configuratur Christo per characterem sacramentalem, quatenus homo per characterem aptus fit ad quaedam sacra vel recipienda vel agenda. Neque enim sufficit, ut homo per gratiam factus sit vivum

’ Quidam veteres scriptores „sigillum“ baptismi videntur intellegere gratiam sanctificantem, et hoc sensu loquuntur de sigillo, quod frangi potest (cf. *Hermas*, Sim. 8, 6, 3). Sancti autem Patres, theologi, concilia sigillum seu characterem intellegunt aliquid, quod etiam in peccatore et desertore maneat

membrum familiae Christi, sed debet etiam finem huius familiae prosequi, qui est cultus Dei. Ad hoc enim tota religio Christiana instituta est, ut Deo debitus cultus exhibeatur. „Totus autem ritus christianae religionis derivatur a sacerdotio Christi. Et ideo manifestum est, quod *character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio fideles configurantur secundum sacramentales characteres*, qui nihil aliud sunt quam quaedam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatae" (*S. Thom. 3, q. 63, a. 3*).

195. Neque vero dicitur character sacramentalis esse character Christi, quasi Christus etiam habeat characterem. Christus enim non est sacerdos per accidens et per participationem sed per naturam suam, ut habetur in ep. ad Hebr. 5, 5: „Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.“ Quod igitur Christus habet per naturam, hoc christiani habent per characterem, „ut sci., sicut Christus habet plenam spiritualis sacerdotii potestatem, ita fideles eius ei configurentur in hoc, quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum et eorum, quae pertinent ad divinum cultum" (*S. Thom. 3, q. 63, a. 5*).

196. Ergo *per characteres homines deputantur ad cultum divinum*, primo quidem *generaliter*, quatenus omnes christiani sunt sacerdotes, i. e. cultores veri Dei in ecclesia a Christo constituta. „Vos autem genus electum, regale sacerdotium, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum" (1 Petr 2, 9). Ad hoc sacerdotium consecrantur christiani per characterem baptismalem, quo signantur ut membra ecclesiae et capaces fiant participationis sacrorum, quae in ecclesia sunt. Baptismi autem complementum est confirmatio. Nam cum cultus Dei simul sit quaedam militia spiritualis, omnes quoque christiani signum huius militiae impressum accipiunt, maxime ad pugnandum „contra hostes visibiles, i. e. contra persecutores fidei, nomen Christi publice confitendo. Et ideo character confirmationis est signum distinctivum, non infidelium a fidelibus sed spiritualiter provectorum ab his, quibus dicitur 1 Petr 2, 2: „sicut modo geniti infantes Sicut igitur baptizatus accipit potestatem spiritualem ad protestandam fidem per susceptionem aliorum sacramentorum, ita confirmatus accipit potestatem publice fidem verbis profitendi, quasi ex officio" (*S. Thom. 3, q. 72, a. 5*).

Sed praeter sacerdotium generale, quod cunctis Christianis convenit, est etiam *sacerdotium speciale*, quo homines ad administranda sacra prae ceteris eliguntur, Illis igitur, qui hoc modo deputantur ad administranda sacra per sacramentum ordinis, imprimitur specialis character, quo plenius et perfectius configurentur Christo sacerdoti.

197. Consequenter *character habet specialem connexionem cum gratia*. Nam qui signantur ut cultores Dei. eo ipso signantur ut tales, qui omnino debeant esse in statu gratiae, quia Deus non vult nisi cultores sanctos. ,Dicimus itaque connexionem [inter characterem et gratiam] esse moralem, quatenus Deus, quantum est ex se, potestati spirituali et characteri gratiam semper conexam esse vult, et quatenus character impressus in anima habet ordinem et congruam relationem tum ad conferenda adiutoria interna tum ad custodiam specialem bonorum angelorum et ad arcendas tentationes daemonum.' Ita card. *Franzelin* (p. 173) secundum ea, quae supra ex SS. Patribus allata sunt.

Differt character a gratia sanctificante, non solum quatenus non justificat hominem, sed etiam quatenus homo abuti potest caractere ad male operandum, ut ad sacramenta indigne conficienda vel recipienda, gratia vero abuti non potest nisi sensu improprio, quatenus ea non utitur, quomodo debet, vel eam peccando expellit. Ideo character non recensetur inter habitus supernaturales, quia hi disponunt unice ad bene operandum (cf. De virt. theol. VIII, n. 5).

198. *Character igitur est signum* eatenus, quatenus anima eo obiective signatur ut pertinens ad ordinem supernaturalem, ita ut animae hoc modo signatae iam conaturale sit supernaturalia agere in cultu Dei externo. Deus enim, sicut animae infundit gratiam et virtutes, ut his instructa conaturaliter ponat actus internos virtutum, ita ei imprimit characteres, ut conaturaliter colat Deum cultu supernaturali externo. Quamvis igitur character primario ad hoc sit, ut anima obiective signetur (*S. Thom.* 3, q. 63, a. 1 et 2), eo ipso tamen omne ens spirituale, quod animam immediate videre potest, habet hoc signum pro distinctive, quo signati a non-signatis secernantur, ideoque character magnae gloriae erit beatis et magnae ignominiae damnatis in altera vita.

Ceterum etiam in hac vita character est signum, quo e. g. baptizati a non-baptizatis distinguuntur. Etsi enim in se est hominibus invisibilis, scimus tamen eum, qui rite baptizatus est, esse et manere caractere signatum ut Christianum. Gratia, quam quis baptismo accepit, perdi potest, character non potest. Itaque nobis hominibus character signum est, quo christiani a non-christianis distinguuntur, non per se solus sed in coniunctione cum ritu sacramentali. Si hoc ritu non imprimeretur character, Christianus intrinsecus non necessario differret a gentili, cum possit omnia alia dona interna amittere. Nunc autem quantacumque peccata committit, non tamen umquam hoc signaculum amittit, quo signatur ut Christianus.

199. *Schol. 1.* Ad quod genus qualitatis character pertineat.

Veteres theologi longas disputationes de hac quaestione instituunt. Quia vero haec res non videtur magnae utilitatis, praesertim cum

maxima sit dissensio doctorum, ideo cupientem haec videre remittimus ad copiosiores scriptores (*Suarez* disp. 11, sect. 3; *Card, de Lugo* disp. 6, sect. 3). Hic autem pauca tantum notamus: Character non est potentia physica, quia e. g. confirmatus vel diaconus nihil physice possunt, quod alii non possunt. Praeterea omnis susceptio et administratio sacramentorum, prout haec sunt sensibilia signa, versatur circa actiones corporeas, quae a quolibet poni et recipi possunt. Gratiae vero effectio in sacramentis physice est a solo Deo, et idem valet de productione characteris; nam sunt eadem fere rationes. Ergo character non potest physice influere in effectioem gratiae aut alius characteris. Est tamen character quaedam potentia moralis, quatenus ille, qui characterem insignitus est, aptus est ad sacra vel omnino vel debito modo recipienda aut agenda. Ita Deus non efficit consecrationem panis et vini, nisi forma profertur ab eo, qui characterem sacerdotali insignitus est. Eatenus igitur potest character reduci aliquo modo ad genus potentiae. Proxime tamen et proprie *videtur esse passibilis qualitas*, quia est ornamentum animae et sigillum impressum ad distinguendos signatos a non-signatis. Dicitur "passibilis qualitas", ut distinguatur a passione, quae est cito transiens, cum passibilis qualitas sit ex se stabilis.

Porro disputant etiam, *utrum character sit in essentia animae an in potentiis*; et si hoc alterum, in qua potentia? *Suarez, Vazquez, de Lugo* docent esse in essentia animae; *S. Thomas* et thomistae docent esse in intellectu; *Scotus* et scotistae dicunt esse in voluntate. Facillimam viam solvendi quaestionem habebit, qui sententiam doctorum multorum veterum et recentium secutus negaverit esse prescriptam realem distinctionem inter essentiam et potentias animae.

200. *Schol. 2.* Num character maneat in altera vita.

Cum conc. trid. definiverit characterem esse indelebilem, saltem concedenda est perpetuitas characteris pro hac vita. Communis tamen theologorum sententia est eum etiam manere in altera vita. Hoc enim satis clare exprimunt SS. Patres. *S. Cyrillus Hieros.* eum vocat „indelebilem in aeternum" (Procat, n. 17; *M* 33, 366); *S. Gregorius Naz.* „faustum munus funerale" (Orat. 40, n. 15; *M* 36, 378); *S. Thomas*: „Post hanc vitam remanet character et in bonis ad eorum gloriam et in malis ad eorum ignominiam, sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, et in his, qui vicerunt, ad gloriam, et in his, qui victi sunt, ad poenam" (3, q. 63, a. 5 ad 3).

Rationes suadentes sunt hae: Sicut sacerdotium Christi est aeternum, ita convenit configurationem ad hoc sacerdotium esse aeternam. Cur enim anima signo aliquo Christo consecrata non maneat ita signata, cum hoc signum animae non tam detur propter ipsius perfectionem quam propter perfectionem sacerdotii Christi? Nam con-

ii
111 ; '
Uu !

|

<<)

«III

dicio instrumenti magis attenditur secundum condicionem principalia agentis. „Et ideo character indelebiter animae inest, non propter sui perfectionem sed propter perfectionem sacerdotii Christi" (*S. Thom.* 3, q. 63, a. 5 ad 1).

Praeterea character non habet contrarium, quo destruat. Physice enim nemo potest eum destruere nisi Deus. Deus autem non destruit, quod fecit, praesertim si est res ex se incorruptibilis, nisi aliqua causa moralis hoc postulat, sicut destruit gratiam sanctificantem propter peccatum. Sed nulla causa moralis postulat destructionem characteris, quippe qui possit consistere cum peccato, id quod est de fide pro hac vita. Ergo Deus, quamvis absolute possit destruere characterem propter demeritum morale, tamen, quantum conicere possumus, contrarium statuit.

Tandem character habet bonum finem in altera vita tam in malis quam in bonis. Itaque generales locutiones conciliorum de indelebilitate characteris etiam generaliter accipiendae sunt.

201. *Schol.* 3. Num tria tantum sacramenta imprimant characterem.

„Statuendum est pro certo *non omnia sacramenta novae legis imprimere characterem*. . . . In hoc conveniunt omnes theologi. Et colligitur ex conc. tridentino et florentine. Quia licet expresse non negent. . . tamen, dum de tribus aliis affirmant, de aliis tacite negant; maxime quia dicunt inde habere alia sacramenta, ut iterari non possint. . . . Nam quattuor sacramenta iterabilia sunt; ergo non imprimunt characterem" (*Suarez* disp. 9, sect. 1, n. 2). Ceterum *Eugenius IV* in decreto pro armenis expressis verbis docet: „Inter haec sacramenta tria sunt: baptismus, confirmatio et ordo, quae characterem, i. e. spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non iterantur. Reliqua vero quattuor characterem non imprimunt et reiterationem admittunt" (*Denz.* n. 695).

Congruentia autem characteris in tribus tantum sacramentis in eo est, quod in his homines deputantur ad specialia munia in familia Christi obeunda, sci. baptismo homines fiunt famuli Christi regis, confirmatione milites pugnantes pro fide Christi prophetae, ordine ministri fungentes vicibus Christi summi sacerdotis. Ergo congruum est, ut qui sunt in hoc triplici statu, notis specialibus distinguantur.

Per alia autem sacramenta homines non deputantur speciali modo ad divinum cultum, sed per paenitentiam et unctionem homo liberatur a peccatis et restituitur in pristinum statum, in quo erat ante peccatum; per eucharistiam nutritur in vita spirituali; per matrimonium officium aliquod naturale sanctificatur et gratia ad illud sancte servandum datur, neque vero matrimonium per se et directe ordinatur ad colendum Deum.

202. *Schol. 4.* Cur character dicatur res et sacramentum.

Sicut ipsum signum gratiae dicitur sacramentum tantum, quia significat et non significatur, ita gratia, quam signum efficit, dicitur res (i. e. effectus) sacramenti, quia significatur et non significat. Character autem, quia et ipse est gratia quaedam et significat gratiam, dicitur res et sacramentum. Similiter in aliis sacramentis potest aliquid inveniri, quod sit simul res et sacramentum. Ita in eucharistia corpus et sanguis Christi sacramentaliter praesens, in matrimonio vinculum indissolubile, in paenitentia ius liberationis a reatu, in extrema unctione ius quoddam alleviationis et erectionis animi et sanitatis corporis (cf. *Denz.* n. 896 et 909).

Res et sacramentum est id, quo singula sacramenta inter se distinguuntur ratione efficientiae, et quod proxime respondet formae sacramentali.

SECTIO IV.

DE AUCTORE SACRAMENTORUM.

Prop. XVII. Christus est auctor sacramentorum, quatenus passione sua virtutem eorum meruit.

203. Sacramenta, cum sint signa ad placitum et praeterea ipsa sua significatione effectus producant, qui illis signis nullo modo naturaliter causari possunt, *institutores indigent*, qui et eorum significationem determinet et cum significatione efficacitatem coniungat. Iam per se patet neminem posse ex innata sua potestate et ut *causam principalem physicam* signa gratiae efficacia instituere nisi *solum Deum*. Nihilominus potest etiam aliqua creatura ad sacramentorum institutionem duplici modo concurrere: 1. ut *causa meritoria*, movens Deum, ut sacramenta instituat, 2. ut *causa instrumentalis*, qua Deus utitur ad sacramentorum institutionem. Utroque modo humanitas Christi ad sacramentorum institutionem concurrat, et prius quidem meritorie.

204. *Christus meruit sacramentorum virtutem.* Sacramenta enim habent virtutem peccata remittendi et gratiam infundendi. Atqui in ordine naturae lapsae neque peccata remittuntur neque ulla gratia datur nisi respectu satisfactionum et meritorum Christi, ut docetur in tractatu de incarnatione. Quare *conc. trid.* sess. 6, c. 7 docet gratiae, quam per baptismum accipimus, causam meritoriam esse „Dominum nostrum Iesum Christum, qui, cum essemus inimici, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit” (*Denz.* n. 799). Ergo sacramenta, sicut gratiam continent, etiam moraliter merita Christi continent, ut explicatum est in prop. XII. Ibi etiam diximus sacramenta non esse causas morales nisi instrumentales; omnis autem

ii
|
-<

VI

MI.
iill j i

ii

·A
·I

i

u'i i

causa instrumentalis virtutem agendi habet ex causa principali. Porro principalis causa moralis gratiae et iustificationis est Christus per sua merita. Ergo sacramentorum virtus derivatur ex ineritis Christi.

205. In specie *sacramenta habent virtutem suam ex passione Christi*. Huic enim S. Scriptura adscribit virtutem sacramentorum: „An ignoratis, quia, quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus” (Rom 6, 3-4; cf. alia in prop. XII, n. 141 sqq).

Ita docet S. Thomas: „Sacramenta ecclesiae specialiter habent virtutem ex passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum, in cuius signum de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt aqua et sanguis, quorum unum pertinet ad baptismum, aliud ad eucharistiam, quae sunt potissima sacramenta” (3, q. 62, a. 5).

206. *Talionem* reddit duplicem, cur passioni Christi potissimum adscribatur virtus sacramentorum. *Primo* sacramenta sunt medicamenta peccatorum. Christus autem maxime passione sua nos liberavit a peccatis. Quamvis enim singula quaeque opera Christi sint infiniti valoris ideoque apta ad delenda peccata totius mundi, tamen neque Christus obtulit opera sua neque Pater caelestis ea acceptavit, nisi in quantum erant passione et morte consummata. Quare *Dom. Sotus* ait: „De vita Christi, quantum ad eius meritum, ita sentiendum est, ac si tota fuisset unus actus ex pluribus partialibus actionibus constans, quae quidem vita consummata fuit in passione. . . . Consequitur ergo, quod per passionem non solum magis meruit aut satisfecit quam per alium actum, sed quod tunc explevit et persolvit pretium redemptionis.” Ergo sacramenta, „etsi antea fuerint instituta, instituebantur tamen quasi post passionem tamquam eius instrumenta duratura atque eius virtute efficaciam habitura. . . . Nihilominus nec baptismus nec aliud sacramentum aperiebat tunc ianuam caelestem, antequam passio esset exhibita, quare tunc sacramenta sunt plenariam virtutem sortita” (In 4, dist. 1, q. 3, a. 5). Cf. De Verbo incarn. IV, n. 439.

207. *Altera ratio* est, quod sacramenta sunt praecipui actus cultus divini, quem cultum Christus initiavit offerens se ipsum in cruce „oblationem et hostiam Deo” (Eph 5, 2), cuius sacrificii continuatio quaedam est totus cultus christianae religionis et proinde etiam sacramenta, quae sunt praecipuae partes huius cultus.

208. *Resurrectioni Christi adscribitur nostra iustificatio* (Rom 4, 25), non quasi Christus resurrectione sua quicquam meruerit, sed quia ante

Christi resurrectionem merita praecedentia nondum poterant totaliter applicari, cum secundum Dei consilium Christus ut primogenitus debuerit omnes fratres suos in gloria praecedere (Col 1, 18). Praeterea resurrectio Christi est fundamentum fidei et pignus spei nostrae (1 Cor 15, 14 sqq). Fides autem et spes sunt initium iustificationis (cf. S. Thom. 3, q. 53, a. 1).

209. *Coroll.* Ergo omnia sacramenta immediate ad Christum referuntur, quatenus virtus sacramentorum immediate pendet a meritis Christi. Etsi enim per absolutam potentiam Deus potuisset etiam puros homines eligere, ut gratia adiuti mererentur sacramentorum virtutem, et ut consequenter ad eorum nominum invocationem sacramenta operarentur (S. Thom. 3, q. 64, a. 4), tamen reapse solum Christum statuit hoc modo mediatorem inter se et homines. Itaque Christus in genere causae meritoriae non solum est causa suprema sed etiam causa unica virtutis sacramentorum, et sub hoc respectu eius solius nomine sacramenta administrantur.

Prop. XVIII Christus qua homo omnia sacramenta immediate instituit.

210. *Christus qua homo omnia sacramenta instituit.* Cone. trid. sess. 7, can. 1 definit: „Si quis dixerit sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta ... A. S.“ (Denz. n. 844): sess. 13, cap. 2: „Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem sacramentum hoc [eucharistiae] instituit“ (JDenz. n. 875); sess. 14, cap. 1: „Dominus sacramentum poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos . . .“ (Denz. n. 894; cf. n. 926). Ergo „si ab institutione immediata per Christum visibiliter versantem in terris aut mediata per apostolos praescindatur, est sine dubio de fide omnia sacramenta novae legis esse instituta a Christo Deo-homine atque ideo iuris divini“ (Franzelin p. 182)l.

211. *Rationes congruentiae* sunt, quia decuit Christum, qui gratias meruit, etiam gratias distribuere et media ad assequendas gratias assignare, et quia Christus, qui ut homo visibilis visibilem ecclesiam

l Cum recentissimis temporibus modernistae qui dicuntur hanc doctrinam concilii tridentini impugnare ausi sint, Congregatio sacri officii has eorum theses damnavit decreto [^]Lamentabili* 39: „Opiniones de origine sacramentorum, quibus Patres tridentini imbuti erant, quaeque in eorum canones dogmaticos procul dubio influxum habuerunt, longe distant ab iis, quae nunc penes historicos rei christianae indagatores merito obtinent* ; 40: „Sacramenta ortum habuerunt ex eo, quod apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt* (Denz. n. 2039 sq). Haec doctrina traditur e. g. a Loisy in libro „De evangelio et ecclesia“ c. 6, n. 2.

fundavit, essentialia elementa cultus christiani ordinare debuit. Praeterea aliae rationes afferri possunt, quas vide apud card, *de Lugo* disp. 7, sect. 1, n. 7.

212. *Christus omnia sacramenta immediate ipse instituit.* Per se quidem fieri potuit, ut apostoli ex mandato Christi sacramenta instituerent, quibuscum a Deo propter merita Christi coniungeretur dignitas ad conferendam gratiam, quo in casu apostoli essent immediati sed minus principales, Christus vero mediatu sed principalis institutor sacramentorum. Vel potuit etiam post ascensionem Deus revelare apostolis quaedam sacramenta, quo in casu apostoli essent potius promulgatores horum sacramentorum quam institutores.

213. *Ex veteribus quidem scholasticis nonnulli, ut Hugo Victorinus, Alexander Hal., S. Bonaventura, censuerunt quaedam sacramenta per apostolos ex revelatione Spiritus Sancti instituta, i. e. promulgata.* Immo miro errore deceptus *Alexander Hal.* (Summa 4, q. 9, m. 1; cf. q. 5, m. 3, a. 2) putavit sacramentum confirmationis Spiritus Sancti instinctu a conc. meldensi (845) institutum esse, cum hoc concilium nihil habeat de hoc sacramento nisi prohibitionem, qua eius administratio chorepiscopis interdicitur (can. 44; cf. can. 45 sqq)*

1 Itaque cum *Alexander Hal.* manifeste erraverit, Sanctus vero *Bonaventura*, ut aiunt recentissimi eius editores, .ea, quae hic (In 4, dist. 7, q. 1, a. 1) in juventute, auctoritate fretus magni sui magistri [*Alex. Hal.*] aliorumque, minus correcte scripserit postea correxit, eorum auctoritas rationabiliter invocari nequit ad impugnandam doctrinam in hac et sequenti thesi statutam. Attribuunt quidam similem opinionem nobis adversantem *Paludano* et *Capreolo*; at immerito, ut videtur. Nam uterque solum id quaerit, utrum ex Christi institutione materia sacramenti confirmationis ab episcopo consecranda sit, et respondet a Christo fortasse hanc consecrationem non esse praeceptam.

Paludanus: .Forte ex dispensatione papae ex chrismate non consecrato et oleo non benedicto possent sani confirmari et morientes inungi, et esset eadem materia, quia consecratio illa nihil reale addit, sed puram relationem rationis dicit. Nam Christus materiam institui sed sanctificationem ecclesiae commisit. Unde papa, qui est super omnem ecclesiam, non potest quidem materiam mutare, sed eius consecrationem potest mutare vel omittere, quia sic Christus instituit, quod oleum vel chrisma sit materia, eodem modo, quo fuerit per ecclesiam determinatum. Unde forte non idem modus est consecrandi apud omnes; et quia consecratio illa non est sacramentum sed aliquod sacramentale, ideo videtur esse in dispositione ecclesiae. . . . Et quamvis ista non probentur, tamen isto modo esse potuit, et isto modo salvari potest, quod ecclesia romana facit, de qua supponendum est, quod non errat (In 4, dist. 7, q. 4 ad 1). In fine vero praecedentis quaestionis diserte reicit sententiam Halensis et Bonaventurae.

Illa verba *Paludani* repetit *Capreolus* et contra *Durandi* impugnationem defendit, sed in fine addit: .Forte tamen non oportet sustinere omnia, quae dicit *Petrus* [de Palude] circa benedictionem materiae confirmationis aut unctionis, quia non omnia videntur esse de mente *S. Thomae*, cuius dicta suscepimus defendenda (In 4, dist. 7, q. 2, a. 3). Omnino autem inculcat ecclesiam nihil posse circa substantialia sacramentorum.

214. *Post conc. trid.* omnes theologi docent certam esse immediatam institutionem sacramentorum a Christo factam. Utrum vero haec doctrina sit de fide definita necne, non constat. Quidam (*Bellarminus, Vazquez*) affirmant, quidam (*Suarez, Estius, Tournely*) negant, sed rem esse certam omnes concedunt.

215. *Patio* est, quia concilium definiens sacramenta esse a Christo instituta, sine dubio voluit ea *speciali modo* ad Christum auctorem referre. Sed mediate omnia instituta ecclesiae descendunt a Christo auctore. Ergo Christus, si sacramentorum auctor est speciali modo, ea ipse immediate instituit. Praeterea concilium de nonnullorum sacramentorum institutione in specie loquitur, eamque Christo immediate attribuit et diserte dicit extremam unctionem a Christo esse institutam et ab apostolo Iacobo solum promulgatam (*Denz. n. 926*).

216. Accedit, quod in *S. Scriptura* Christus apparet ut immediatus auctor aliquorum sacramentorum. Ergo ex analogia eodem modo sentiendum est de ceteris. Praeterea apud *SS. Patres* nulla mentio fit alicuius sacramenti ab apostolis instituti, sed contra sacramentorum auctor Christus expresse praedicatur. „Sacramentorum auctor quis est nisi Dominus Iesus? (vulg. *Ambros.*, De sacram. l. 4, c. 4, n. 13; *M* 16, 439). „Quae [gratia] ubi venit, ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, quae societatem christiani populi, hoc est sub uno Deo liberae multitudinis, constituerunt (S. *August.*, De vera relig. c. 17, n. 33; *M* 34, 136). Potuit quidem Christus apostolis dare potestatem instituendi baptismum (et alia sacramenta), sed „hoc noluit ideo, ut in illo spes esset baptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo servum ponere spem in servo. . . . Ergo ne tot baptismata dicerentur, quot essent servi, qui baptizarent accepta potestate a Domino, sibi tenuit Dominus baptizandi potestatem, servis ministerium dedit (S. *August.*, In Io. tract. 5, n. 7; *DI* 35, 1417).

217. Merito S. Augustinus ita argumentatur, nam iam S. *Paulus* debuit monere Corinthios nihil inde pendere, a quo quis baptizatus esset, cum omnes in nomen Christi baptizarentur. „Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei (1 Cor 4,1). Ne igitur fiat divisio in ecclesia et incipiant dicere: „Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae (ib. 1, 12), prout aut Paulus aut Apollo aut Cephas sacramenta instituisset, Christus omnia sacramenta ipse instituit, ut unitas magis appareret in ecclesia, in qua omnia ad unum caput referuntur: „Unum corpus, unus spiritus . . . unus Dominus, una fides, unum baptisma (Eph 4, 4 5). Ergo sicut Deus auctor veteris legis omnia eius sacramenta ipse

instituit, ita etiam Christus auctor novae legis omnia sacramenta ipse instituit (cf. *Suarez* disp. 12, sect. 1, η. 8 9).

218. *Schol.* Quomodo Christus habeat potestatem excellentiae circa sacramenta.

Potestas, qua Deus est causa gratiae et mediorum salutis, solet vocari potestas auctoritatis ad significandam omnimodam eius independentiam. Praeter Deum etiam homo, qui ex officio administrat sacramentum, veram habet potestatem ad efficiendum sacramentum et gratiam; at hanc potestatem habet non sibi innatam et propriam sed ut instrumentum in manu Dei, cuius homines sunt vicarii et ministri; quare haec vocatur potestas ministerialis. Media inter Deum et purum hominem stat humanitas Christi seu potius Christus qua homo. Hac enim humanitate etiam usus est Deus tamquam instrumento ad instituenda sacramenta; verum humanitas Christi est instrumentum non separatum sed coniunctum, et eo ipso Christus qua homo habet potestatem excellentiorem praeter instrumenta separata, i. e. ministros humanos. Unde haec potestas, quam Christus ut homo habet circa sacramenta, dicitur potestas excellentiae.

nQuae quidem consistit in quattuor: Primo quidem, quod meritum et virtus passionis eius operatur in sacramentis. . . . Secundo . . . quod in eius nomine sacramenta sanctificantur. . . . Tertio . . . quod ipse potuit instituere sacramenta. . . . Quarto . . . quod ipse potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre® (*S. Thom.* 3, q. 64, a. 3; cf. a. 4 et Comment, in ep. 1 ad Cor. c. 1, lect. 2).

Prop. XIX. Christus materiam et formam sacramentorum ita determinavit, ut eas substantialiter mutare non liceat.

219. *Christus determinavit materiam et formam sacramentorum.* Nam cum sacramenta essentialiter perficiantur materia et forma, is instituit sacramenta, qui eorum materiam et formam determinavit. Sed consideranti facile patet hanc determinationem admittere quandam latitudinem, intra quam possit vere quis dici institutor sacramentorum. Potuit enim Christus omnia ita praescribere *in individuo* seu in specie infima circa sacramentorum administrationem, ut nihil vel paeno nihil relinqueret dispositioni hominum. Sic e. g. potuit ipse praescribere baptismi administrationem praecise eo modo, qui habetur in rituali romano. Potuit etiam *in genere* tantum determinare materiam et formam, dicendo v. g. apostolis: Ego volo, ut ad liberandos homines a peccato originali et admittendos eos in ecclesiam utamini ritu aliquo sensibili, qui significet ablutionem spiritualem et consecrationem, qua homo SS. Trinitati devoveatur. Quem modum si elegeret, Christus ipso profecto instituisset sacramentum; sed ex altera parte ecclesiae liberum fuisset eligere quodlibet signum huic rei significandae aptum.

Potuit tandem Christus mediam viam inire, ut substantialia tantum *in specie* determinaret, accidentalia vero libertati ecclesiae relinqueretl.

220. *Christus non determinavit sacramentorum administrationem usque ad ultimas individuationes.* Nam alii ritus observantur in ecclesia graeca, alii in ecclesia latina; nemo tamen dixerit aut in hac aut in illa ecclesia sacramenta non rite administrari. Praeterea in ipsa quoque ecclesia latina ritus in administrandis sacramentis non semper manserunt iidem. Olim e. g. homines baptizabantur per immersionem, nunc per infusionem aquae. Tandem *conc. trid.* sess. 21, c. 2 „de-clarat hanc potestatem perpetuo in ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, locorum varietate magis expedire indicaret" {*Denz.* n. 931; cf. n. 856-942 sq).

221. Ex altera parte *Christus non tantum determinavit sacramenta in genere.* Nam si Christus in genere tantum sacramentum aliquod determinasset, ecclesia haberet potestatem constituendi materiam et formam in specie eamque constitutam abrogandi et in aliam mutandi. Atqui ecclesia semper docuit se habere nullam potestatem circa substantialia sacramentorum. Ergo substantialia sacramentorum, i. e. materia et forma, a Christo in specie sunt determinata. Unde mirum non est, quod numquam vel minimum vestigium apparet determinationis materiae et formae ab ecclesia factae. Ergo ^gratis omnino et arbitrario fingitur, quod ecclesia ea [potestate] usa fuerit; dicant enim, ubi, quando, in quo concilio, a quo pontifice facta sit eiusmodi mutatio" {*Benedictus XIV*, De syn. l. 8, c. 10, n. 10). Cf. *Zeitschrift*

I !!

et

>1

‡ Haec terminologia, ab omnibus fere theologis recepta, qua distinguitur institutio rituum sacramentalium in genere, in specie, in individuo, displicet *Antonio Straub*: „Ex dictis ecclesia ne minimum quidem demere vel addere iis potest, quae ad sacramenta valide conficienda requiruntur. Cum hac veritate aegre conciliatur sententia Christum sacramenta in specie, i. e. neque tantum in genere neque in individuo instituisse. . . . Effatum eiusmodi plus quam ambiguum est* (De ecclesia Christi II, n. 710). Sed hoc effatum neque ambiguum est neque plus quam ambiguum, cum simpliciter significet a Christo non solum significationem institutam esse (quae esset institutio in genere), sed etiam materiam et formam significantem, non tamen ita, ut nullae posteriores caerimoniae possibiles sint vel auctoritati ecclesiae determinandae relinquuntur (quae esset institutio in individuo), sed ita, ut essentialis materia et forma sit a Christo instituta, alii vero ritus clarioris significationis gratia ab ecclesia addi possint, qui tamen ritus accidentales sunt neque umquam ad validitatem sacramenti requiruntur. Quod *Straub* ait: Illud effatum „per se significat Dominum determinasse speciem solum superiorem sacramentorum vel materiae et formae . . . non speciem eam, quae comprehendendo differentiam essentialem ultimam simpliciter esset infima' — quam facile affirmatur, tam facile negatur; nam nihil hic a priori statuendum est, sed videndum, quomodo theologi illam terminologiam explicent. Haec igitur terminologia retinenda est, quamdiu melior non proponitur et recipitur.

fur katholische Théologie, Innsbruck 1908, 43 sqq, ubi *Franc. Schmid* exactius definire studet, quid ecclesia circa sacramenta possit; Dictionnaire apologétique de la foi catholique, ed. 4, I 654.

222. Summi theologi in hanc sententiam omnino conveniunt. Ita *S. Thomas*: „Quia sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res, quibus sanctificatur, sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis novae legis . . . oportet uti rebus a divina institutione determinatis' (3, q. 60, a. 5). „Cum igitur in sacramentis requirantur determinatae res sensibiles . . . multo magis requiritur in iis determinata forma verborum“ (ib. a. 7). Cf. ‹*S. Alphons.*, Theol. mor. 1. 6, n. 12, qui explicat hos textus et *S. Thomae* assentit.

Adrianus VI: „Praemitto, quod ecclesia non posset novam formam baptismi aut alterius sacramenti instituere aut institutam quovis modo mutare. Patet, quia, ut solius Dei est animam a labe peccati emundare . . . ita solus, quae ministerialiter sanctificant animam, potest instituere. Unde noverit se ecclesia non esse dominam sacramentorum sed ministram, nec posse magis formam aliquam sacramentalem destituere aut novam instituere quam legem aliquam divinam abolere' (De bapt., ed. rom. 1522, fol. X, p. 2, col. 1 et 2). Similiter *Toletus*, In 3, q. 64, a. 2; *Bellarminus*, De sacram. 1. 1, c. 21; cf. De ordine c. 9 in fine; *Vazquez* disp. 129, c. 5; *Franzelin* p. 47; *De Augustinis* thes. 13 etc.

Christus etiam tum dicendus est immediate sacramenta instituisse, si e. g. apostolis dixit: „Volo, ut baptizatis ritu sensibili Spiritum Sanctum detis, et ut futuris ministris evangelii ritu sensibili potestatem conferatis; qui vero sint hi ritus, docebo vos per Spiritum Sanctum, quem mittam vobis/ Nam sive quis per se sive per nuntium aliquid instituit, immediate instituit. Ergo quamdrum apostoli vixerunt et revelationes a Spiritu Sancto acceperunt, potuit fieri determinatio essentialis materiae et formae sacramentorum. Sed revelatione catholica cum morte apostolorum finita hoc modo determinatio materiae non iam fieri potuit. Ergo si postea talis determinatio facta esset, Christus mediate tantum materiam et formam sacramentorum instituisset.

223. a) Quodsi nonnulli theologi dicunt Christum in quibusdam sacramentis materiam generice tantum determinasse, verbis tantum a nobis recedunt, ut *Suarez* (disp. 2, sect. 3, n. 3), qui rem ita explicat, ut dicat mutationes omnes umquam factas „fuisse accidentales et non substantiales“ (ib. n. 3 in fine). Intellegit enim genus et speciem modo magis philosophico, nos autem secundum communem usum vitae humanae. *Alii autem theologi re a nobis dissentiunt*. Concedunt quidem omnes baptismi et eucharistiae materiam et formam omnino in specie a Christo esse determinatam, sed habent difficultatem in aliis sacra-

mentis et maxime relate ad sacramentum ordinis, quia putant aliquando ad hoc sacramentum suffecisse manuum impositionem, postea vero requisitam esse etiam instrumentorum traditionem. Ergo, inquit, Christus in genere tantum determinavit, ut adhiberetur ritus aptus ad significandam traditionem potestatis, ecclesia autem in specie hunc ritum determinavit, et quidem modo ita modo aliter¹.

Sed *haec doctrina fundamento caret*; nam secundum sententiam optimorum theologorum tuto dicere possumus materiam necessariam et sufficientem sacramenti ordinis semper fuisse et esse solam manuum impositionem, traditionem vero instrumentorum non esse de essentia huius sacramenti. Secus enim nullo probabili modo explicari potest, quomodo non facta sit substantialis mutatio, cum additio differentiae ad genus sine dubio pertineat ad substantiam rei. Neque iuvat dicere substantiam sacramentorum potius consistere in significatione quam in ritibus significantibus. Nam *conc. trid.* ritus ipsos, quos ecclesia instituit, distinguit a substantia sacramentorum a Christo instituta (*Denz.* n. 931; cf. n. 908). Porro multi ritus ad hoc additi sunt sacramentis, ut ipsam significationem sacramentorum magis explicite efferrant. Ergo non significatione a sacramentis differunt sed ipsis signis, non a Christo sed ab ecclesia institutis. Unde substantialia et accidentalia praecise in materia et forma, prout sunt signum sacramentale, distinguenda sunt, ita ut materia et forma specificè diversa etiam dicenda sit substantialiter alia, quamvis referatur ad idem significandum. Neque ecclesia, si docet se non posse mutare substantiam sacramentorum, proxime docere intendit se non posse ritibus a Christo institutis aliam significationem subicere, sed se non posse ad idem significandum alios ritus instituere, quam Christus instituerit. Consequenter tenendum est eandem materiam et formam ad valorem sufficere et requiri omni tempore et in omni ecclesia (*Suarez* disp. 2, sect. 6).

b) Haec res utique non est de fide, et ideo licet etiam oppositam sententiam sequi. Ex iis, qui eam nostra aetate sequuntur, quidam dicunt a Christo quidem institutam esse materiam aliquam et formam sacramenti ordinis, sed ecclesiam habere potestatem hanc materiam et formam dispertiendi in plures partes eandem significationem clarius exprimentes, ita ut hae partes nunc sint essentielles, etsi antea omnino non aderant. Ita antea sola impositione manuum cum correspondente forma sacerdotes rite ordinabantur. Sed postquam ecclesia formam satis indeterminatam magis determinavit addendo traditionem instrumentorum cum suis formis, sola impositione manuum ut materia in ecclesia latina valida ordinatio fieri non potest. Non tamen nova

¹ Facile est longum catalogum theologorum contexere, qui hanc sententiam secuti sunt; sed quia iis aequè facile opponi potest non minor numerus theologorum, qui hanc sententiam reiecerunt, ad quaestionem dirimendam nihil iuvat nominum multiplicatio.

ftin l.
mil !.

HI

a
«|
3

RU

3

1/
a*

materia introducta est, sed eadem materia mansit, solum magis explicata, quia totus ritus unum morale constituit. Ita *Gutberlet* in *Zeitschrift für kath. Théologie* XXV (1901) 626 sqq.

Sed hic habentur alia tantum verba ad significandam eam opinionem, quam propugnant defensores institutionis geneticae, et consequenter obstant eadem rationes. Certe traditio calicis et patenae est secundum sensum communem essentialiter aliud atque impositio manuum. Ergo si ecclesia hoc aliud signum addidit, ita ut signum prius validum nunc non iam sit validum, est specifica mutatio materiae, quibuscumque nominibus eam appellaveris. Suppositio vero solam impositionem manuum in ecclesia latina non iam esse integram materiam sacramenti ordinis, est improbabilis, ut postea videbimus. Sententiam doctoris *Gutberlet* impugnat *A. Straub*, *De ecclesia Christi* II, n. 1049.

Aliis placet alius loquendi modus. Iesus, inquiunt, duo sacramenta baptismi et eucharistiae immediate et *explicite* instituit, cetera quinque immediate et *implicite*, i. e. aliquam ideam proposuit, ex qua conscientia catholica paulatim tantum evolvit quinque sacramenta. E. g. Christus promisit Spiritum Sanctum omnibus in se credituris. Apostoli igitur praedicaverunt futurum, ut omnes, qui baptizarentur, Spiritum Sanctum reciperent, et ad Spiritum dandum baptizatis imposuerunt manus. Postea ecclesia separavit hunc ritum a baptismo et addidit ritum unctionis, et sic facta sunt duo sacramenta. Simili modo explicatur sacramentum ordinis et ritus eius. Ita *Pourrat*, *La théologie sacramentaire* 277 sqq 288 sqq 295 sqq.

Haec doctrina periculosam quandam similitudinem habet cum prop. 40 decreti „Lamentabili“ (supra n. 210 nota; cf. *J. Bessmer*, *Philosophie und Théologie des Modernismus* 365 sqq). Illa «implicita institutio nihil aliud videtur esse nisi mediata institutio; nam simili modo «conscientia catholica» ex idea ecclesiae a Christo institutae evolvit omnes caerimonias sacramentales et totam legislationem ecclesiasticam, quas res nemo dixerit a Christo esse immediate institutas. Nulla igitur apparet ratio recedendi a communiore doctrina theologorum. Ceterum haec quaestio exactius discutietur in tractatibus de singulis sacramentis 1.

P. Galtier in *Recherches de science religieuse* II, Paris 1911, 350 sqq et in *Revue d'histoire ecclésiastique* XIII, Louvain 1912, 257 sqq magna diligentia et eruditione studet ostendere saltem quattuor primis saeculis in ecclesia occidentali sacramentum confirmationis administratum esse

1 Provocat *Pourrat* ad card. *Newman* (*Development of Christian doctrine* P. 1, ch. 2, sect. 3, n. 2), sed immerito; nam *Newman* ibi non inquit, quid Christus immediate vel mediate instituerit, sed ostendit totam doctrinam et disciplinam catholicam ita esse unam, ut alter articulus ex altero necessario profluat, neque unus admitti vel negari possit, quin logice totum admittendum vel negandum sit. — Expectatur nova editio libri doctoris *Pourrat*, quae fortasse modificationes doctrinae continebit.

sola manus impositione sine unctione; unctionem autem additam esse Romae, probabiliter saeculo IV vel III, et inde transiisse in ceteras ecclesias latinas (Recherches 383, Revue 301). Ergo admittendum est aut etiam nunc unctionem esse caerimoniam accidentalem, aut materiam sacramenti mutatam esse ab ecclesia. Sed prior illa sententia nunc, ni fallor, ab omnibus theologis ut falsa reicitur; altera vero sententia, quam ipse auctor praeferre videtur (Revue 260), aegre conciliatur cum doctrina concilii tridentini et pugnat cum doctrina *Clementis VI* et *Pii X*. Difficultas, quam Galtier proponit, inde oritur, quod propter modum conferendi simul baptismum et confirmationem in vetere ecclesia scriptores ecclesiastici ita de utroque sacramento loquuntur, ut cum certitudine dici non possit, quid ad baptismum, quid ad confirmationem referatur. Ergo si res mere historice consideratur, recte dici potest probabilis explicatio, secundum quam confirmatio tunc consistebat in sola impositione manus. Attamen etiam sic certa non est, quia alia explicatio est possibilis. Dogmaticae autem alia explicatio praeferenda est, quia mutatio materiae, si omnino possibilis est, non potuit fieri a singulis episcopis, sed a solo summo pontifice aut a concilio universali. Nullum autem decretum pontificis aut concilii de hac re factum est. Ergo quod universalis ecclesia mille et quingentis annis consideravit unctionem partem essentialem sacramenti confirmationis, signum est, non lege ecclesiastica sed traditione apostolica niti hanc persuasionem. Consequenter aliter interpretanda videntur dicta, quae Galtier obicit h

c) *Clemens VI* a. 1351 ad Catholicon armenorum inter alias hanc direxit quaestionem: „Si credidisti et adhuc credis romanum pontificem circa administrationem sacramentorum, salvis semper illis, quae sunt de integritate et necessitate sacramentorum, posse diversos ritus ecclesiarum Christi tolerare, et etiam concedere, ut serventur" (*Denz.* n. 3019). Ergo romanus pontifex nihil potest circa ea, quae sunt de integritate et necessitate sacramentorum. Cur non? Quia haec a Christo sunt determinata.

Nostra aetate cum quidam postulasset, ut orientalibus concederetur, apud eos consecrationem eucharistiae non fieri nisi addita epiclesi, *Pius X* litteris apostolicis ad archiepiscopos, delegatos apostolicos apud orientales, datis 26 Dec. 1911 declaravit: „Nec intacta relinquitur catholica doctrina de sanctissimo eucharistiae sacramento, cum praefracte docetur sententiam suscipi posse, quae tenet apud graecos verba consecratoria effectum non sortiri nisi iam prolata oratione illa, quam epiclesim vocant, cum tamen compertum sit ecclesiae minime competere ius circa ipsam sacramentorum substantiam quidquam innovandi" (Acta apost. sedis 1911, 119).

1 Contra Galtier quasdam obiectiones fecit *P. de Puniet* in *Revue* l. c. 450 sqq, ad quas respondet Galtier *ibid.* 467 sqq.

Itaque auctoritas suprema ecclesiastica clare declaravit se nihil posse circa ea, quae ad substantiam et necessitatem rituum sacramentalium pertinent.

224. Sed *quae materia et forma sit specificè eadem*, paulo accuratius explicandum est. Et primo quidem *quoad materiam* haec dicenda sunt: Materia est specificè eadem, quamdiu non accidit talis mutatio, ut secundum communem hominum aestimationem sit materia alia et alia. Ita aqua calida et aqua frigida eodem modo est aqua. Similiter vinum gallicum et vinum hispanicum, licet fortasse magna differentia sit in chemica compositione, sunt tamen simpliciter vinum; neque enim secundum paucorum scientiam res dimetienda est, cum pro doctis et indoctis sacramenta sint instituta, et norma ad ea diiudicanda debeat indoctorum capacitati adaptari. Ergo generarim ubi communiter nomen alicui rei negatur, censenda est res alia atque ea, cui nomen solet imponi. Ita si liquorem ex uvis vel aliis plantis extractum ostendens homines interrogavero: Estne haec aqua? negabunt. Ideo eiusmodi liquores non sunt materia apta baptismi. Similiter homines massam ex farina et aqua nondum coctam non dicunt panem; quare talis massa non potest consecrari. Magis in specie res erit explicanda in tractatu de singulis sacramentis.

225. *Quoad formam* haec statui possunt: Omnis mutatio est essentialis, quae variat sensum; *accidentalis* vero, quae sensum intactum relinquit. Sola enim significatio, non sonus materialis verborum, in se intenta est ab institutore sacramentorum. *Mutatio igitur idiomatis est accidentalis*; ergo non necessario utendum est lingua, qua Christus locutus est. Similiter mixtio idiomatum est accidentalis, quamdiu sententia retinet eundem intellegibilem sensum. — *Verba alia ex eodem idiomate adhibita non mutant formam substantialiter*, si ex communi usu sunt synonyma; secus, si certo non sunt; si dubie sunt synonyma, dubius est valor. Ita valet baptismus collatus his verbis: „Ego te abluo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et secundum quosdam etiam: „In nomine Genitoris et Geniti et Spiritus Sancti Notandum tamen est significationem, ut maneat eadem, interdum ob specialem rationem debere esse explicitam, non obscuram vel indistinctam. Quare non valet haec forma: „Ego te baptizo in nomine Trinitatis. Secundum eandem regulam iudicandum est de transpositione verborum („In nomine Patris . . . baptizo te“) aut de mutatione formae activae in passivam (forma graeca: „Baptizatur servus Dei in nomine etc.). — *Eadem norma applicetur ad additionem aut subtractionem verborum*. Sic valida est consecratio, quae fit his solis verbis: „Hoc est corpus meum — hic est sanguis meus invalidus est baptismus collatus „in nomine Patris et Spiritus Sancti „Circa additionem etiam contingit aliquid apponi, quod est corruptivum

debiti sensus; puta si aliquis dicat: „Ego te baptizo in nomine Patris maioris et Filii minoris sicut ariani baptizabant, et ideo talis additio tollit veritatem sacramenti [ita ex can. 19 conc. nicaeni I; *Denz.* n. 56]. Si vero talis sit additio, quae non aufert debitum sensum, non tollitur sacramenti veritas. Nec refert, utrum talis additio fiat in principio vel in medio vel in fine, ut si aliquis dicat: „Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis et Filii eius unigeniti et Spiritus Sancti paracliti erit verum baptisma. . . . Forte autem si diceret: „Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et beatæ virginis Mariæ non esset baptismus . . . [sci.] si sic intellegatur in nomine beatæ virginis baptizari sicut in nomine Trinitatis, quo baptismus consecratur; talis enim sensus esset contrarius veræ fidei, et per consequens tolleretur veritas sacramenti. Si vero sic intellegatur, quod additur: „In nomine beatæ virginis ut eius intercessio prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio sacramenti" (*S. Thomas* 3, q. 60, a. 8). Sic pluries decreverunt summi pontifices. Cf. *de Augustinis* p. 177.

226. Tandem si minister formam verborum corrumpit, distinguendum est: Si ita agit ex mera ignorantia aut impotentia rectæ pronuntiationis, tamdiu manet sacramentum integrum, quamdiu verba pronuntiata secundum moralem hominum aestimationem possunt habere suum sensum, ut in casu sacerdotis bavarici, qui ex ignorantia dicebat: „Baptizo te in nomine Patria et Filia et Spiritu Sancta", quem baptismum Zacharias pontifex declaravit esse validum (M 89, 929). — Sin minister sciens et volens ita agit, non tamen ad introducendum novum ritum, et cum animo vere conficiendi sacramentum, sacramentum est validum, supposita sufficienti integritate obiectivi sensus verborum. — Sin praeterea minister vult novum ritum inducere, iterum distinguendum est: Si sensus verborum nullo modo fit obiective ambiguus, sed manet idem, et si minister intendit facere quod Christus instituit, valor sacramenti non destruitur. Si vero sensus fit obiective ambiguus, nullum erit sacramentum, quia minister formaliter aliud signum ponere vult, atque Christus instituit. Maxime id valet, si minister ex intentione haeretica ambiguam formam eligit, ne e. g. exprimat potestatem sacerdotalem in sacramento ordinis. Unde eadem forma ambigua, quae potest sufficere, si universaliter notum est ministros eam adhibentes velle per eam conferre potestatem sacerdotalem, certo non sufficit, si ad hoc adhibetur, ne potestas sacerdotalis exprimat. Hic enim valet illud: Si duo faciunt idem, non est idem K Aliquatenus igitur res ex intentione ministri pendet. Ita *Suarez* disp. 2, sect. 5.

1 Hoc est unum ex principiis fundamentalibus ad diiudicandam validitatem ordinum anglicanorum. Nam si constat formam esse mutatam ad hoc, ne exprime-

227. *Schol.* *Quamvis constet non omnia, quae ecclesia de sacramentorum administratione praescribit, essentialiter esse necessaria, tamen omnia diligenter observanda sunt,* quia, si observantur, nulla dubitatio de valore sacramentorum oriri potest. Si vero aliquo casu ommissa vel mutata sunt ea, quae secundum gravium doctorum opinionem probabiliter essentialia sunt, satius erit ea repetere; et sic fere praxis ecclesiae suadet. Quamvis enim repetere sacramenta sine ulla rationabili causa per se mortale peccatum sit, tamen, cum in materia legis positivae gravium doctorum sententia censenda sit ratio omnino sufficiens ad practice dubitandum, rationabiliter ea repetuntur, de quibus graves doctores dubitant, dummodo eorum dubitatio decursu temporis ne evaserit aperte vana. Si repetitio licita est, saepe etiam praescripta erit, praesertim si agitur de sacramentis valde necessariis, sive haec necessitas spectat individua sive ecclesiam, ut sunt e. g. baptismus et ordo. Similiter iudicandum est de dubio facti.

SECTIO V.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

ART. I.

DE PERSONA MINISTRI.

Prop. XX. Solus homo viator est ordinarius minister sacramentorum: attamen non omnis homo omnia sacramenta administrare potest, sed is tantum, qui ad hoc specialiter consecratus vel deputatus est, ut personam Christi gerens ritum sacramentalem ponat.

228. Postquam de ministro primario sacramentorum, i. e. de Christo Domino diximus, quaestio instituenda est de ministro secundario seu de homine, qui proxima causa confectionis sacramentorum est; et videndum est primo, cui potestas conficiendi sacramenta data sit, et qua ratione hac potestate fungatur.

229. *Solus homo viator est ordinarius minister sacramentorum.* Quod quidem satis per se patet, quia Christus solis hominibus in terra viventibus hanc potestatem dedit (Mt 18, 19; 28, 18 sqq. Io 20, 22. Lc 22, 19 etc.). Quare apostolus ait de Christo: „Dedit dona hominibus ... et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem

retur potestas sacerdotalis, prout ecclesia catholica eam intellegit, ordinatio est invalida. Omissio traditionis instrumentorum, quamvis haec traditio per se non sit necessaria, potest servire ad ostendendum spiritum haereticum, quo tota forma corrupta est (cf. *Estcourt*, *The Question of Anglican Ordinations*, London 1873, 207 sqq). Alia quaestio fundamentalis est, num *Barlow*, primus ille anglicanus episcopus, a quo reliquae ordinationes descenderunt, umquam fuerit consecratus episcopus, id quod saltem valde dubium est (l. c. 61 sqq).

prophetas . . . ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei" (Eph 4, 8 11 sq). De hac doctrina numquam dubitatum est in ecclesia. Exemplo sint *S. Chrgsostomi* verba: „Qui terram incolunt in eaque commorantur, ad ea, quae in caelis sunt, dispensanda commissi sunt potestatemque acceperunt, quam neque angelis neque archangelis dedit Deus“ (De sacerdotibus. 1. 3, n. 5; *M* 48, 643). Cf. *catech. rom.* P. 2, c. 1, n. 24. *liatio est*, quia virtus sacramentorum est ex passione Christi, quae est Christi, secundum quod est homo et caput generis humani. Est igitur passio Christi et bona, quae ex illa comparata sunt, thesaurus generis humani, non vero angelorum, quem thesaurum Christus ecclesiae administrandum et dispensandum tradidit. Animae vero separatae, licet retineant characterem, non possunt ordinarie administrare sacramenta, quia sacramenta potestati ecclesiae sunt commissa; eius autem potestati subtraherentur, si etiam animae separatae possent ordinarie sacramenta administrare, e. g. confirmare, presbyteros vel episcopos consecrare etc. (cf. *de Lugo*, De sacramentis, disp. 8, sect. 1, n. 2).

230. Tamen per se patet, si quid tale umquam fiat ab angelo vel beato, ita ut de facto prudenter dubitari non possit, rem esse ratam habendam. Legimus enim interdum in vitis sanctorum angelos vel beatos sacramenta sine minus confecisse, saltem porrexisse hominibus. Deus autem, cum sit absolutus Dominus gratiarum suarum, potest illas, si vult, etiam interdum extraordinario modo distribuere (*S. Thom.* 3, q. 64, a. 7).

Absurde Lutherus hoc sine ulla distinctione ad daemones extendit: „Dico, si diabolus ipse venerit, et ego postea nescirem diabolum in ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse missam et absolvisse a peccatis et tali munere functum esse iuxta institutionem Christi, tunc cogemur fateri sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum baptisma . . .“ (De missa privata et unet, sacerdotis. Von der Winkelmesse und Pfaffenweihe [anno 1533] circa finem libri).

231. *Non omnes homines possunt omnia sacramenta administrare.* Abstrahimus hic a sacramento matrimonii, quod ab iisdem administratur, a quibus recipitur. Nam matrimonium, si fit inter baptizatos, eo ipso est sacramentum, quia Christus ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos dignitate sacramentali insignivit. Neque igitur speciales ministri deputandi erant, quia ex natura rei iam aderant. Contractus autem matrimonialis ex natura sua est contractus privatus, ideoque contrahentes non contrahunt ut personae publicae neque ut publici ministri Christi. Consequenter non gerunt personam Christi eo modo quo ministri aliorum sacramentorum (cf. *de Lugo*, De sacramentis, disp. 8, sect. 14, n. 230).

Quoad reliqua sacramenta certum est potestatem ea administrandi non datam esse a Christo omnibus Christianis indiscriminim. Solos enim apostolos misit ad baptizandum et consequenter solos apostolorum successores. Similiter solis apostolis dedit potestatem consecrandi; apostolorum tantum manuum impositione legimus sacramenta confirmationis et ordinis esse administrata; solos presbyteros S. Iacobus docet esse ministros extremae unctionis (cf. Rom 12, 4 sq; 1 Cor 12, 14 20). Eadem res ex perpetua traditione et praxi ecclesiae constat. SS. Patres, ut e. g. S. *Chrysostomus* in libris De sacerdotio, magnis encomiis celebrant sacerdotium ob hoc ipsum, quod solus sacerdos habeat potestatem sacramenta conficiendi. Magis in specie haec res ostendetur in tractatu de singulis sacramentis. Cum vero haeresiarchae saec. XVI doctrinam ad id tempus inauditam tradere coepissent omnes christianos eodem modo esse ministros sacramentorum (*Lutherus*, De capt. babil.), ecclesia hunc errorem statim damnavit. *Cone. trid.* sess. 7, can. 10: „Si quis dixerit christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, A. S.“ (*Denz.* n. 852; cf. n. 753 960).

232. *Ministri gerunt personam Christi.* Sicut Christus suam potestatem et auctoritatem ecclesiae tradidit (.Data est mihi omnis potestas . . . Euntes ergo . . .“ [Mt 28, 18 19]. .Sicut misit me Pater, et ego mitto vos“ [Io 20, 21]), ita ecclesia hanc potestatem transfert ad certos homines, qui ut ministri publici nomine Christi alios sanctificant. .Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei“ (1 Cor 4, 1). .Pro Christo ergo legatione fungimur“ (2 Cor 5, 20). .Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Ministri eius, cui credidistis . . . Dei enim sumus adiutores“ (1 Cor 3, 4 sq). Et apostolus potestate sua utitur .in persona Christi“ (2 Cor 2, 10). Minister igitur ex consecratione vel deputatione administrans sacramenta repraesentat ipsum Christum. Quare in quibusdam sacramentis conficiendis loquitur, sicut Christus ipse loqueretur: .Ego te absolvo“; .Hoc est corpus meum-.

Et quinque quidem sacramenta: confirmationis, eucharistiae, paenitentiae, ordinis, extremae unctionis, nemo conficere potest nisi ut minister publicus ad hoc specialiter consecratus. Sacramentum autem baptismi, quia est adeo necessarium, in casu, in quo aliter fieri nequit, a quolibet homine, etiam ad hoc nullo modo specialiter deputato, administrari potest. Quicumque igitur in talibus circumstantiis baptizat, non fungitur munere ministri publici, sed est potius extraordinarius mandatarius in casu necessitatis, sicut si quis in casu incendii vices gerit domini absentis, licet ad hoc nullo speciali modo a domino deputatus sit neque personam domini absentis agat. Eodem modo, si quis in casu necessitatis baptizaret, .patet, quod non exhiberet se ministrum ecclesiae, sed subveniret necessitatem patienti“

(S. Thom. 3, q. 64, a. 6 ad 3). Et hoc valet non solum de laico, sed etiam de sacerdote, quia hic Christum non repraesentat ut minister publicus, nisi quando publice baptizat. Quando igitur in casu necessitatis sine sollemnitate baptizat, non exhibet se ut publicum Christi ministrum sed ut personam privatam, cui non tam commissa quam concessa est administratio sacramenti (*Suarez, De sacram, disp. 16, sect. 4, n. 4 6*).

ART. II.

DE FIDE ET PROBITATE MINISTRI.

Prop. XXL Valor sacramentorum neque a fide neque a probitate ministri pendet.

233. Praecedenti thesi ostensum est, quomodo ad sacramenta administranda requiratur certa quaedam potestas. Quae potestas cum sit gratia gratis data, potest quaestio fieri, num praeter eam etiam requiratur gratia gratum faciens aut saltem fides in ministro. Neque enim negari potest Christum valorem sacramentorum potuisse reddere dependentem a statu gratiae vel saltem a fide ministrorum. Quod num fecerit, a priori dici nequit, sed ex fontibus fidei diiudicandum est. Cum vero S. Scriptura de hac re sileat, eundem est ad traditionem, ex qua constat ad valorem sacramentorum nihil requiri nisi potestatem ministri et observationem eorum, quae Christus ut essentialia praescripsit.

HT

I 1

Pars I. Valor sacramentorum non pendet a fide ministri.

234. *Arg. I,* Ex historia controversiae de rebaptizandis haereticis.

Initio saeculi III, cum *Agrippimis* erat episcopus carthaginensis, agitata est in Africa quaestio, num iterum baptizandi essent, qui ab haereticis baptizati ad ecclesiam catholicam converterentur. Et usque ad Agrippini quidem tempora in ecclesia africana non solebant rebaptizari haeretici, dummodo constaret baptismum esse rite collatum h

1 Iam *Tertullianus* negat baptismum haereticorum esse validum: „Haeretici nullum habent consortium nostrae disciplinae . . . quia non idem Deus nobis et illis nec unus Christus, i. e. idem. Ideoque nec baptismus unus, quia non idem. Quem cum rite non habeant, sine dubio non habent . . . ita nec possunt accipere, quia non habent* (De bapt. 15; *M* 1, 1216). Non est in his verbis explicite sermo de rebaptismo, sed de unitate baptismi; sensus enim est: Haereticorum baptismus neque idem est atque baptismus ecclesiae catholicae, neque est alius verus baptismus, sed omnino nullos, quia non baptizant in nomine veri Dei et veri Christi, sed in nomine ficti Dei et ficti Christi. Quae verba possunt rectum sensum habere; nam si haeretici ex falsa sua fide aut non habent rectam intentionem in baptizando aut corrumpunt formam, eorum baptismus nullus est. Sed cum *Tertullianus* generaliter dixisset: Haeretici non habent baptismum, consequens erat, ut haeretici ad ecclesiam revertentes baptizarentur; et sic fortasse factum est, ut *Tertullianus* verbis suis persuaserit multis africanis, ut haeticos rebaptizarent.

Quare multi episcopi dicebant haereticos non esse rebaptizandos et .se in hoc veterem consuetudinem sequi" (*S. Cypr.*, Ep. 71, n. 1 2). Agrippinus autem circa annum 220 synodum convocavit Carthaginem et auctoritate sua episcopos permovit, ut baptismum ab haeretico collatum nullum esse et in haeresi baptizatos et ad ecclesiam redeuntes rebaptizandos declararent (ib. n. 4; *H* 771 sqq).

Sed circiter 30 annis post quaestio iterum agitari coepta est, cum *Cyprianus* in locum Agrippini successisset. Altera igitur Carthagine synodus habita est anno 255, in qua synodo episcopi 32 una cum Cypriano decreverunt: .neminem foris baptizari extra ecclesiam posse, cum sit baptismum unum in sancta ecclesia constitutum. ... Et idcirco baptizandus est et innovandus, qui ad ecclesiam rudis venit ... ut qui in errorem ductus est et foris tinctus . . .' (Ep. 70, n. 1 2; *H* 767 sqq). Cum vero nondum omnes episcopi africani acquiescerent, tertia synodus anno 256 Carthaginem convenit, in qua episcopi 71 statuerunt nullum esse baptismum haereticorum, .ac per hoc non rebaptizari, sed baptizari a nobis, quicumque ab adultera et profana aqua veniunt⁸ (Ep. 73, n. 1; *H* 779).

235. *De hoc decreto duo notanda sunt:* a) Cyprianum (et alios episcopos) bene sensisse praxim rebaptizandi haereticos ab Agrippino introductam esse in ecclesiam africanam: .Apud nos non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab haereticis ad ecclesiam veniunt, quando multi iam anni sint et longa aetas, ex quo sub Agrippino, bonae memoriae viro, convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerunt⁸ (Ep. 73, n. 3; #780). Quare dicebat: .Non est de consuetudine praescribendum, sed ratione vincendum⁸ (Ep. 71, n. 3; *H* 773). .Proinde frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo maior sit veritate, aut non id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit a Sancto Spiritu revelatum⁸ (Ep. 73, n. 13; *H* 787). b) Cyprianus videtur interdum putasse totam rem magis ad praxim quam ad doctrinam pertinere. Scribit enim: .Scimus quosdam [episcopos], quod semel imbiberint, nolle deponere nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis et concordiae vinculo, quaedam propria, quae apud se semel sint usurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus aut legem damus, cum habeat in ecclesiae administratione voluntatis suae arbitrium liberum unusquisque praepositus, rationem actus sui Domino redditurus⁸ (Ep. 72, n. 3; *H* 778). Quando vero contra adversarios argumentatur, rationibus dogmaticis studet rem conficere. Maxime urget, quod una sit ecclesia et unum baptismum in ecclesia. Ergo theoretice haec quaestio est ei res fidei, practice vult eam tractari ut rem disciplinae. Neque plus facile sibi sperare poterat nisi fore, ut praxis sua interim a dissentientibus toleraretur et ita paulatim doctrina, quam unice veram censebat, una cum praxi

spargeretur. Ita sibi non subditos et sibi praepositos, maxime vero romanum pontificem conciliare conabatur.

236. Quare de decreto ultimae synodi carthaginensis Cyprianus litteras dedit ad *Stephanum* pontificem, ut ab hoc decretum approbaretur. Sed plane contrarium accidit; nam praxis africanorum Romae omnino damnata est. Responsum Stephani ad Cyprianum datum periiit, et sola fragmenta epistolae supersunt huius tenoris: „Si qui a quacumque haeresi venient ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illis imponatur in paenitentiam. . . . Non quaerendum esse, quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod, qui baptizatus fuerit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus Sancti" (*Denz.* n. 46) Itaque Stephanus directe non dedit dogmaticam definitionem, sed decretum disciplinare fecit. Interim (utrum ante an post acceptam Stephani epistolam, disputant; cf. *Zeitschrift für kath. Theol.* Innsbruck 1881, 193 sqq) denuo synodus habita est Carthagine, in qua 87 episcopi rursus decreverunt haereticos esse rebaptizandos (I/ I 435 sqq).

237. Cyprianus vero, cum accepisset litteras Stephani, de hac re scripsit ad *Firmilianum*, episcopum caesareensem, eiusque sententiam rogavit. Quae quidem epistula Cypriani non exstat, sed quae fuerit mens eius, ex alia eius epistula videre est, quam circa idem tempus ad Pompeium misit. Ex hac epistula apparet Stephanum damnasse rebaptizationem haereticorum, quia erat contra veterem traditionem. Contra quod Cyprianus obicit: „Quae ista obstinatio est quaeve praesumptio, humanam traditionem divinae dispositioni anteponeere nec animadvertere indignari et irasci Deum, quoties divina praecepta solvit et praeterit humana traditio" (Ep. 74, n. 3; *H* 801). Ratio autem, cur Cyprianus ad Firmilianum scriberet, haec erat, quod in Asia minore de rebaptismo haereticorum disputationes ortae erant. Quare Iconii habita erat synodus ad rem componendam, ut scribit Firmilianus: „Plurimi simul convenientes in Iconio [inter a. 230—235] diligentissime tractavimus et confirmavimus repudiandum esse omnino baptismum, quod sit extra ecclesiam constitutum" (inter ep. Cypr. ep. 75, n. 19; *H* 823). Sed circa annum 253 hoc decretum a Stephano papa reiectum est, simul excommunicatione interminata episcopis Asiae minoris, nisi resipiscerent. Intercedente autem S. Dionysio Alexandrino res composita esse videtur (cf. *Euseb.*, H. E. 1. 7, c. 2sq; jV20, 640 sq; cf. c. 7; ib. 648). Nihilominus Firmilianus in oppositione persistebat. Quare cum litteras Cypriani accepisset, epistula vehemen-

* Illa verba „nihil innovetur" ab aliis ita intelleguntur: „nihil novi contra traditionem introducatur" ab aliis: „nullus ritus repetatur", ab aliis: „homo ad ecclesiam rediens non renovetur nisi per manus impositionem" (*Zeitschrift für kath. Théologie* XXIX. Innsbruck 1905, 258 sqq).

tissima et Stepbano papae haud mediocriter iniuriosa respondit. Inter alia haec habet: „Quod pertinet ad consuetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati, quis tam vanus sit, ut veritati consuetudinem praeferat, aut qui, perspecta luce, tenebras non derelinquat. . . . Ceterum nos veritati et consuetudinem iungimus et consuetudini romanorum consuetudinem sed veritatis opponimus, ab initio hoc tenentes, quod a Christo et ab apostolis traditum est“ (Ep. 75, n. 19; *H* 822). Hoc dictum Firmiliani de apostolica traditione est audax affirmatio, nullo testimonio nixa.

238. Mox vero et S. Stephanus et S. Cyprianus (anno 257—258) martyrii palmam adepti sunt. Num Cyprianus ante mortem sententiam suam vel saltem praxim correxerit, ignoratur (cf. S. *August.*, Ep. 93, n. 38; *M* 33, 340); post eius mortem, ut S. *Hieronymus* nimis summatim scribit, „illi ipsi episcopi, qui rebaptizandos haereticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum“ (Adv. Lucif. n. 23; *M* 23, 174). In *concilio carthaginensi* a. 348 episcopi can. 1 statuerunt: „Illicitas esse sancimus rebaptizationes, et satis esse alienum a sincera fide et catholica disciplina“ (*Mansi* III 143). Et ita, ut ait *Vincentius Lirinensis*, sublatus est abusus „contra divinum canonem, contra universalis ecclesiae regulam, contra morem atque instituta maiorum⁴ introductus, „retenta est antiquitas, explosa novitas⁴ (Comm. c. 6; *M* 50, 645). Postea vero cum *donatistae* denuo conarentur introducere eundem errorem, S. *Augustinus* contra eos veterem traditionem defendit: „Quam consuetudinem, credo ex apostolica traditione venientem (sicut multa, quae non inveniuntur in litteris eorum neque in conciliis posteriorum et tamen, quia per universam custodiuntur ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita et commendata creduntur); hanc ergo consuetudinem per Agrippinum praedecessorem suum dicit S. Cyprianus quasi coepisse corrigi. Sed sicut diligentius inquisita veritas docuit. . . verius creditur per Agrippinum corrumpi coepisse, non corrigi⁴ (De bapt. contra donat. l. 2, c. 7, n. 12; *M* 43, 133. Cf. *Hefele*, Conciliengesch. I, ed. 2, 117 sqq).

239. Ex his omnibus constat *usque ad tempora Agrippini usum fuisse in ecclesia non rebaptizandi haereticos*, et in paucas tantum provincias per aliquod tempus contrarium usum invectum fuisse. Ergo practice agnoscebatur valor baptismi ab haeretico ministro administrati. Postea vero, sicut etiam in aliis rebus factum est, cum orientur disputationes, veritas per aliquod tempus obscurata sed dein eo gloriosius vindicata est.

Ita testatur scriptor libri *De rebaptismate*, qui fuit aequalis S. Cypriani: „In quo genere quaestionis, ut mihi ridetur, nulla omnino potuisset controversia aut disceptatio emergere, si unusquisque nostrum contentus venerabili ecclesiarum omnium auctoritate et necessaria

humilitate nihil innovare gestiret/ Namque quod «contra priscam et memorabilem cunctorum emeritorum sanctorum et fidelium sollemnis- simam observationem indicatur, damnari utique debet" (De rebapt. c. 1; *II* III 70). Secundum *Φιλοσοφούμενα* (l. 9, n. 12; *M* 16e, 3388) usus rebaptizandi incepit sub Callisto papa (218—222); sed sensus verborum est obscurus (cf. *Zeitschrift für kathol. Théologie* XXIX, Innsbruck 1905, 265 sqq).

240. *Difficultas* aliqua potest videri in eo, quod Firmilianus dicit in ecclesiis Asiae minoris consuetudinem rebaptizandi iam diu invaluisse. *Desp.*: Aliud argumentum Firmilianus non habet pro hac assertione, nisi quod non meminimus hoc apud nos aliquando coepisse", et quod synodus iconiensis ita statuit. Sed hoc ipsum concilium ostendit rem nequaquam fuisse in communi usu, cum ad hoc convocatum sit, ut uniformitatem in hac re introduceret (inter ep. Cypriani ep. 75, n. 19; *II* 823). In omnibus autem aliis ecclesiis nemo negabat usum non rebaptizandi usque ad ea tempora omnino viguisse. Ergo ex traditione apostolica constat baptismum haereticorum debitis positis condicionibus esse validum. Haec persuasio etiam in ecclesia alexandrina vige- bat, etsi quaedam Athanasii verba obscura sunt.

S. Athanasius de arianis ait: «Hi in periculum veniunt circa integritatem mysterii, baptismi inquam. Nam si in nomine Patris et Filii nobis datur perfectio, nec dicunt Patrem verum, quia negant quod est ex ipso et eius naturae simile, negant etiam verum Filium, et alium sibi, qui ex nihilo sit creatus, fingentes nominant, quomodo non prorsus vacuum et inutile est, quod ab ipsis datum est [baptisma]? ... Nec enim ariani in Patrem et Filium dant [baptisma] sed in creatorem et creaturam, in factorem et facturam. Quemadmodum autem aliud est creatura quam Filius, ita aliud fuerit quam verum [baptisma] illud, quod ab iis dari putatur, etiamsi nomen Patris et Filii secundum Scripturam proferre se simulant. Neque enim qui simpliciter dicit: Domine, hic etiam dat [baptisma], sed is, qui cum nomine etiam rectam fidem habet. Propterea igitur Salvator non simpliciter baptizare iussit, sed primum, inquit, docete, et dein: baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut ex doctrina oriatur recta fides, et secundum fidem baptismatis perfectio addatur. Multae quoque aliae haereses, proferentes nomina tantum neque tamen recte sentientes, ut dictum est, nec sanam fidem habentes, inutilem etiam aquam habent ab ipsis datam, destitutam pietate. Quare qui aspergitur ab ipsis, potius foedatur impietate quam liberatur. . . . Qui enim in nomine illius, qui nullus est, baptismum videntur accipere, nihil certe accipient, sed rei creatae coniuncti, nullum ab ea consequentur auxilium" (Orat. 2 contra arian. n. 42 sq; *M* 26, 236 sqq; cf. Ep. 1 ad Serap. n. 30; *M* 26, 597 sq).

PM
pH *
I I:>

■

||

4

1

In toto contextu nihil est, quo cogamur ad dicendum S. Athanasium plus negasse quam efficaciam baptismi haeretici. Ait enim: baptismo haeretico fit aliquis membrum sectae haereticae; ergo non coniungitur cum Deo, sed a Deo alienatur. Id iam observarunt *Montfaucon* (editor operum S. Athanasii), *Tillemont*, *Natalis Alexander*, alii. Ergo non demonstratur secundum Athanasium haeticos esse rebaptizandos. In ecclesia alexandrina haeticos non esse rebaptizatos inde patet, quod & *Basilus* vituperat 6'. *Dionysium Alex.*, quod montanistas sine rebaptismo in ecclesiam recipiat (Ep. 1 can. ad Amphilocho. can. 1; *J/* 32, 665). Dionysius dicit se ausum non esse rebaptizare eum, qui fatebatur se ab haeticis baptizatum esse et catholicum baptismum petebat (*Euseb.*, H. E. 1. 7, c. 9; *1Z* 20, 653 sq). Ipse *Athanasius* in synodo alexandrina a. 362 simul cum aliis episcopis statuit: „Qui ab arianorum parte resiliunt, ad vos convocate, eosque quemadmodum patres filios suos excipite . . . nihilque amplius ab illis exigatis, quam ut arianam haeresim anathemate damnent fidemque a sanctis Patribus Nicaeae promulgatam profiteantur⁸ (Tomus ad antiochenos n. 3; *M* 26, 798sq; cf. 1182).

241. *Quod valet de baptismo, valet de aliis sacramentis.* Qui enim dubitabant de valore baptismi ab haeretico collati, ideo dubitabant, quod qui Sanctum Spiritum non haberet, eum dare non posset. Itaque haec ratio, si non valet in baptismo, non magis valet in confirmatione, ordinatione, extrema unctione; et ecclesia semper haec sacramenta valide ab haeticis conferri agnovit, dummodo condiciones requisitae servarentur. De ordine hoc in specie postea probabimus. Quod eucharistiam attinet, quaestio ad hoc reducitur, num sacerdos haeticus valide consecrare possit, de qua re in ecclesia catholica, si duos vel tres theologos scholasticos excipias¹, numquam dubitatum est. In matrimonio baptizatorum separari nequit sacramentum a contractu matrimoniali, qui ab haeticis factus semper ab ecclesia catholica ratus habitus est. Sacramentum vero paenitentiae haeticus valide administrare nequeunt, quia iurisdictionem non habent nisi in casu extremae necessitatis. Itaque quamquam illa aetate quaestio ab ecclesia proxime definita non est nisi quoad bapisma, ex consensu tamen ecclesiastico res certa est etiam quoad alia sacramenta (cf. quae supra allata sunt n. 185 ex *S. August.* de bap. et ordine. De confirmatione vide *Dolger*, *Das Sakrament der Firmung* 130 sqq).

Apparet ex praecedentibus in hac disputatione quaestionem fuisse de haeticis manifestis; multo minus in dubium vocari potest valor sacramentorum collatorum ab haeticis occultis.

¹ His accenseudus videtur *Lombard*TM (4, dist. 13), etsi in decursu distinctionis loquitur de haetico, qui rectam intentionem consecrandi non habeat. *S. Thomas* in commentario q. 1. a. 1, sol. 3 communem doctrinam statuit retinendam.

242. Quia quaedam sacramenta valide et tamen sine fructu gratiae suscipi possunt, sacramenta ab haereticis administrata imprimunt quidem characterem et alios effectus producunt, qui a gratia sanctificante separari possunt, ipsam tamen gratiam non conferunt, nisi subiectum sacramenti sit infans vel homo bonae fidei, vel si defectus dispositionis postea removeatur. Has autem duas res videntur S. Cyprianus et alii illi episcopi africani confudisse. „Non ob aliud“, inquit S. *Augustinus*, „visum est quibusdam, etiam egregiis viris, antistitibus Christi, inter quos praecipue beatus Cyprianus eminebat, non esse posse apud haereticos vel schismaticos baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur sacramentum ab effectu vel usu sacramenti, et quia eius effectus atque usus in liberatione a peccatis et cordis rectitudine apud haereticos non inveniebatur, ipsum quoque sacramentum non illic esse putabatur“ (Contra donat. l. 6, c. 1; *M* 43, 194).

il u

243. *Arg. 2.* Ex definitionibus ecclesiae.

Concilium arelatense I (anno 314): „De afris, quod propria lege sua utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut, si aliquis de haeresi venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quodsi interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur“ (*Denz.* n. 53).

A

ur

Concilium nicaenum (anno 325) statuit, ne cathari conversi iterum baptizarentur, neve eorum sacerdotes iterum ordinarentur, contra ut paulianistae conversi omnino rebaptizarentur, et eorum sacerdotes iterum ordinarentur (*Denz.* n. 55 56). Rationem huius differentiae reddit *Innocentius I* (401—417): „Quod idcirco distinctum esse ipsis duabus haeresibus ratio manifesta declarat, quia paulianistae in nomine Patris . . . minime baptizant, et novatiani iisdem nominibus tremendis venerandisque baptizant“ (*Denz.* n. 97). *Siricius* papa a. 385 ad Himerium episcopum scribit: „Signasti baptizatos ab impiis arianis plurimos ad fidem catholicam festinare, et quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle. Quod non licet, cum hoc fieri et apostolus vetet [„Unum baptisma“ ; Eph 4, 5] et canones contradicant et post cassatum ariminense concilium missa ad provincias a venerandae memoriae praedecessore meo *Liberio* generalia decreta prohibeant. Quos nos cum novatianis aliisque haereticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus episcopalis manus impositione catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens Occidensque custodit; a quo tramite vos quoque posthac minime convenit deviare, si non vultis a nostro collegio synodali sententia separari“ (*Denz.* n. 88). Invocatio Spiritus Sancti cum manus impositione non est sacramentum confirmationis sed caerimonia sacra, qua redeuntes ab haeresi in ecclesiam recipiebantur. Quam caerimoniam *Innocentius I* vocat «*imaginem paenitentiae*” in oppo-

tl
a
,1

13

<

sitione ad proprie dictam paenitentiam publicam, quam subire debebant ii, qui ab ecclesia deficientes, ab haereticis rebaptizati erant (Ep. 2, c. 9, n. 12; *M* 20, 475). De arianis igitur et aliis haereticis ait: „Eorum laicos conversos ad Dominum sola imagine paenitentiae ac Sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus . . . quoniam quibus solum baptismum ratum esse permittimus, quod utique in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti perficitur, nec Sanctum Spiritum eos habere ex illo baptismate illisque mysteriis arbitramur" (Ep. 24, c. 3; 3/ 20, 550; cf. Ep. 17, c. 4; ibid. 531. ubi etiam sermo est de „vera et iusta legitima sacerdotis benedictione", quae datur redeuntibus ex haeresi). Idem docet *Leo 3/*: „Quod si ab haereticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus sacramentum regenerationis iteretur, sed hoc tantum quod ibi defuit conferatur, ut per episcopalem manus impositionem virtutem Sancti Spiritus consequatur" (Ep. 166, c. 2; 3/ 54, 1194). Idem saepius repetit (cf. Ep. 167, inquis. 18, et Ep. 159, c. 7; 3/ 24, 1209-1139. Hoc ultimo loco etsi dicuntur haeretici reduces „confirmandi", non tamen intellegitur de sacramento confirmationis, ut ibidem 1139, nota q exponitur). *Gregorius M.* distinguit varios haereticos: Qui non receperunt baptismum in nomine Trinitatis, baptizandi sunt. Nestoriani et monophysitae reconciliantur per verae fidei professionem. Ariani redeuntes ad ecclesiam in aliis regionibus solam manus impositionem accipiunt, in aliis etiam unctionem chrismatis (Ep. 1. 11, ep. 67; 3/ 77, 1205 sqq; cf. *Denz.* n. 249). Utrum haec unctio intellegatur sacramentum confirmationis an caerimonia quaedam, non constat (de qua re cf. 3/ 77, 1205, nota d).

In *concilio nicaeno II* tota actione prima agebatur de quaestione, quomodo recipiendi essent episcopi haeretici, qui cum ecclesia reconciliari cupiebant (*Mansi* XII 1020 sqq). Lectis multis dictis SS. Patrum tandem decretum est recipiendos esse episcopos, dummodo sinceram verae fidei professionem facerent. *Tarasius* patriarcha dixit: „Auditionem fecimus paternorum mandatorum. Quid ergo oportet? Suscipitis ab haereticis ordinaros? Sancta synodus dixit: Etiam, Domine, audivimus, et oportet suscipere" (l. c. 1048). Obiectum erat: Ex canone 8 concilii nicaeni I clericos catharos *χειροῦετοῦμένους* esse recipiendos. Respondit S. *Tarasius* hanc manus impositionem posse intellegi simplicem benedictionem, non ordinationem (l. c. 1021). In concilio florentino *Eugenius IV* declaravit: „Etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet ecclesiae" (*Denz.* n. 696). *Concilium tridentinum* sess. 7, can. 4 de bapt. definivit: „Si quis dicit baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit ecclesia, non esso verum baptismum, A. S." (*Denz.* n. 860) L

† Historiam disputationis de rebaptismo multis dissertationibus illustravit *I. Ernst*, qui eas ipse enumerat in praefatione opusculi: Die Ketzertaufengelegenheit in der

244. Itaque numquam expresse definitus est nisi valor *baptismi* ab haereticis collati. Sequitur quidem cum absoluta certitudine ex ratione theologica et ex praxi ecclesiae idem dicendum esse de aliis sacramentis. Nihilominus hucusque hoc non pertinet ad fidem definitam. Revera erant nonnulli, ut *Morinus* (De paenit. l. 9, c. 11), qui illam manuum impositionem, de qua in superioribus decretis conciliorum sermo est, interpretabantur de confirmatione et ordinatione et inde concludebant haec sacramenta invalide ab haereticis administrari. Haec quidem opinio fundamento caret, et a theologis unanimiter reicitur; nihilominus haeretica dici nequit.

245. *Arg. 3.* Ex ratione theologica.

Minister sacramenti est instrumentum Christi (supra n. 143); instrumentum autem non agit secundum formam propriam sed secundum virtutem acceptam a causa principali, dummodo habeat id, quod ad rationem instrumenti pertinet. Ergo minister potest secundum virtutem a Christo acceptam agere, quamdiu habet ea, quae requiruntur ad rationem ministri, sci. ut debitam potestatem habeat cum intentione faciendi quod Christus instituit, et ritum praescripto modo ponat. Quae si adsunt, signum a ministro positum semper objective exhibet merita Christi, propter quae gratia datur, ut ait 5. *Thomas*: „In forma sacramentorum non plus facit verbum a iusto quam a peccatore prolatum, quia non operatur ibi meritum hominis sed passio Christi et virtus Dei“ (Opusc. 18, al. 22, De forma absolutionis c. 3, ed. Vives XXVII 421). Quamvis igitur malus minister potestate sua indignus sit, hoc non impedit, quominus eam retineat, sicut Deus peccatoribus multa bona naturalia et supernaturalia relinquit, licet iis plane indigni sint. Itaque sicut medicus aeger potest alium aegrotum sanare, quia ars sanandi non est in corpore aegro sed in anima sana, ita homo supernaturaliter aeger potest alium ab aegritudine liberare, quia virtus sanandi non est principaliter in homine malo sed in Deo bono (cf. *S. Thom.* 3, q. 64, a. 5 et *Contra gent.* I. 4, c. 77).

...
...
>
>
•V
- 'H
■η

altchristlichen Kirche nach Cyprian, Mainz 1901. In chronologiam epistularum Cypriani inquirunt *L. Nelke* (Die Chronologie der Korrespondenz Cyprians und der pseudocyprianischen Schriften Ad Novatianum und Liber de rebaptismate, Thorn 1912, cuius libri assertiones varias impugnat *Ernst*, Papst Stephan und der Ketzertaufstreit, Mainz 1905) et *lians v. Soden* (Der Streit zwischen Rom und Karthago über die Ketzertaufe: Quellen und Forschungen aus italienischen Archiven und Bibliotheken. Herausgegeben vom Königlich Preussischen Historischen Institut in Rom, XII [1909] 1 sqq). Hic ultimus scriptor affirmat quaestionem de rebaptismo haeticorum, inter Stephanum et Cyprianum agitatam, non tam fuisse disputationem theologiam quam certamen do principatu politico-ecclesiastico. Istud praeiudicium, quo asseclis certae cuiusdam scholae tota fere historia ecclesiastica apparet ut perpetuus tantum conatus romanorum episcoporum augendi potestatem suam, persaepe eorum oculis vim demit cernendi facta dogmatica aliter quam detorta et depravata.

Pars II. Valor sacramentorum non pendet a probitate ministri.

246. *Arg.* Haec pars sua sponte fluit ex praecedentibus; nam si ne formalis quidem haeresis ministri, quae est peccatum gravissimum, impedit valorem sacramentorum, statim sequitur peccatum grave ministri non obstare valori sacramentorum. Hanc doctrinam contra donatistas S. *Augustinus* quam maxime inculcat: «Si quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizant adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit' (In Io. tract. 5, n. 18; *AI* 35, 1424).

S. *Gregor. Naz.* ad baptismum recipiendum exhortans ait: «Ne dicas: Baptizet me episcopus . . . aut si presbyter, saltem qui caelebs sit, qui continentiae laude atque angelica vivendi ratione floreat. . . . Ne concionatoris aut baptizantis auctoritatem inquiras. . . . Tibi autem quivis ad purgationem satis idoneus est, modo inter probatos censeatur ac non aperte condemnatus sit atque ab ecclesia alienus. . . . Sic tecum reputa: Sint duo anuli, alter aureus, alter ferreus atque ambo eandem imperatoris imaginem insculptam habeant ac deinde ceram imprimant. Quid tandem hoc signum ab illo signo differet? Nihil . . . Discrimen enim in materia est, non in signo. Sic tibi quoque omnes, qui baptizandi munere funguntur, idonei habeantur. Quamvis enim alius alium vitae probitate antecellat, eadem tamen baptismi vis est' (Orat. 40, n. 26; *M* 36, 395).

247. Waldensibus, qui saec. XIII errorem donatistarum renovabant, ab *Innocentio III* formula fidei praescripta est, in qua haec habentur: «Sacramenta quoque . . . licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus' (*Denz.* n. 424; cf. n. 488). A concilio constantiensi (1418) damnata est haec thesis Wiclifii: «Si episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat' (*Denz.* n. 584; cf. n. 634 672). *Conc. trid.* sess. 7, de sacram, can. 12 definivit: ‚S. q. d. ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, A. S.“ (*Denz.* n. 855; cf. n. 902 920).

248. *Ratio* idem confirmat, quia convenit fructum sacramenti non pendere a probitate ministri, cum sanctitas ministri sit res nimis incerta, et ita fierent anxietates et scrupuli sine fine de valore sacramentorum. «Quomodo de istis securi sunt, si conscientia dantis attenditur, quae latet oculos accepturi?' (S. *Augustinus*, *Contra litt. Petii.* 1. 1, c. 3, n. 1; 43, 247.) Quod autem Deus per malos bona efficiat, eum non solum non dedecet, sed immo eius bonitatem quam maxime commendat.

249. *Schol.* De S. Basilio et aliorum sententia.

Etiam post finitam controversiam de rebaptizandis haereticis quidam doctores catholici de valore baptismi a certis quibusdam haereticis

collati dubitabant, quia sci. hi haeretici falsa sentiebant de SS. Trinitate. Hac in re praecipue difficultatem creat *S. Basilius*, qui in Ep. 188 seu 1 can. ad Amphilocho. a. 374, can. 1 (Af 32, 663 sqq) docet baptismum encratarum nihil valere et „a nobis reiciendum esse“, et can. 47 reddit rationem: „Ne dicant: In Patrem et Filium et Spiritum Sanctum baptizati sumus, qui videlicet Deum esse effectorem malorum existimant.“ Haec opinio Basilii est erronea et posterioribus ecclesiae definitionibus et praxi contraria, sed temporibus S. Basilii res nondum erat tam clare proposita, et saepe potius considerabatur ut pertinens ad disciplinam quam ad fidem. Dicit secundum canonem „antiquorum“ validum esse baptisma schismaticorum, invalidum baptisma haeticorum. De montanistis ait: „Qua ratione eorum baptisma admittatur, cum in Patrem et Filium et Montanum aut Priscillam baptizent?“ (*M* 32, 667.) Catharorum seu novatianorum baptisma ab asiaticis agnoscitur, a quibusdam, ut Cypriano et Firmiliano, reicitur. Encratarum baptisma reiciendum est. „Quod si hoc generali oeconomiae impedimento erit, rursus consuetudine utendum est [i. e. si haec severitas obest eorum conversioni, singuli episcopi sequantur consuetudinem suarum ecclesiarum].... Omni autem ratione statuatur, ut ii, qui ab illorum baptismo veniunt, certe ungantur coram fidelibus et ita demum ad mysteria accedant“ (l. c. 670). Haec referuntur ad usum ecclesiarum Asiae minoris.

In Africa *S. Optatus Nilevitanus* videtur similem errorem docuisse in opere „De schismate donatistarum“. Dicit haeticos (utique in Africa iam diu extinctos; l. 1, c. 9), qui falsam de Deo vel Christo doctrinam sequantur, non posse valide baptizare, schismaticos vero posse (1, 12). Haeretici enim Trinitatem destruunt, a qua est effectus baptismi (1, 10); nam „nos docuimus caeleste munus unicuique credenti a Trinitate conferri, non ab homine“ (5, 3). Itaque primum, quod necessarium est, ipsa est Trinitas, secundum est fides suscipientis baptismum; minoris momenti est persona ministri baptizantis. Ideo donatistae male agunt, dicentes se utpote sanctiores valide baptizare, non autem catholicos. 9 Operarii [ministri sacramentorum] mutari possunt, sacramenta mutari non possunt. Cum ergo videatis omnes, qui baptizant, operarios esse, non dominos, et sacramenta per se esse sancta, non per homines, quid est, quod vobis tantum vindicatis?... Concedite Deo praestare quae sua sunt. Non enim potest id munus ab homine dari, quod divinum est“ (5, 4). Christus iussit baptizare in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. „Nam in quo baptizarentur gentes, a Salvatore mandatum est; per quem baptizarentur, nulla exceptione discretum est. Non dixit apostolis: Vos facite, alii non faciant. Quisquis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizaverit, opus apostolorum implevit“ (5, 7; *M* 11, 898 905 907 1048 1052 sq 1058). Si haec verba accipiuntur, uti sonant, fortasse ab omni errore de persona ministri liber indicabitur Optatus; nam

potuit censere invalidum fuisse baptisma veterum illorum haereticorum, quia mala sua fide aut formam sacramenti corrupissent, aut recta in baptizando intentione caruissent. Utut haec res se habet, non agitur de praxi rebaptizandi, quasi haec etiam tum in Africa a catholicis usurpata esset, sed de opinione Optati circa baptisma haereticorum iam diu extinctorum.

250. Nullam difficultatem creat secundum superius exposita, quod quidam SS. Patres dicunt *haereticos manifestos posse quidem sacramentum conferre neque vero rem sacramenti*, id quod bene explicat *S. Thomas*: „Haereticorum quidam in collatione sacramentorum formam ecclesiae non servant, et tales neque sacramentum conferunt neque rem sacramenti. Quidam vero servant ecclesiae formam, et tales quidem conferunt sacramentum, sed non conferunt rem sacramenti. Et hoc dico, si sunt manifeste ab ecclesia praecisi, quia ex hoc ipso, quod aliquis accipit sacramenta ab iis, peccat et per hoc impeditur, no effectum sacramenti consequatur (3, q. 64, a. 9 ad 2). Ergo e contrario ubi tale peccatum non committitur, etiam res sacramenti accipitur (ib. ad 3).

251. Ceterum evidens est *haereticos circa mysterium SS. Trinitatis errantes facile etiam corrumpere formam baptismi*. Ideo baptismata haereticorum plurimorum nostrae aetatis sunt saltem dubia ideoque sub condicione repetenda. Error enim tamdiu solum sacramentum non reddit invalidum, quamdiu mere concomitanter se habet; quando autem in ipsam formam influit et in ea ita exprimitur, ut forma corrumpatur, invalidum fit sacramentum.

Prop. XXII. Minister, ut licite administret sacramenta, debet esse in statu gratiae.

252. *Si minister ad hoc ex officio deputatus ritu sollemni administrat sacramentum, debet esse in statu gratiae*. Itaque mortaliter peccat, quando sciens malum suum statum, nihilominus sacramentum administrat. Conclusio est communis theologorum (*Suarez* disp. 16, sect. 3, η. 1).

Ita iam docet *S. Augustinus*: „Hoc paene in omnibus talibus quaestionibus [de ministris indignis] intellegendum admonemus, sci. quia omnia sacramenta, cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus" (Contra ep. Parmeniani l. 2, c. 10, n. 22 [iV 43, 65] et saepius in eodem libro, ut c. 4 5 11). *Nicolaus I* (in syn. romana 863): „Mali bona administrando se tantummodo laedunt® (Decr. l. 1, tit. 11, c. 5). *Gregorius IX*: ^Quaesitum est de sacerdotibus vel aliis clericis, qui per reatum adulterii, periurii, homicidii vel falsi testimonii bonum conscientiae rectae perdiderunt. Respondemus. . . . Qui si non paenituerint, monendi sunt et sub intermina-

tione divini iudicii obtestandi, ut in testimonium suae damnationis in susceptis etiam ordinibus non ministrent" (Decr. 1. 1, tit. 11, c. 11). In *rituali romano* de sacram, in gen. dicitur: „Etsi sacramenta ab impuris coinquinari non possunt, neque a pravis ministris eorum effectus impediri, impure tamen et indigne ea ministrantes in aeternae mortis reatum incurrunt." *S. Thomas*: „Non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei et ecclesiae in dispensatione sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet sacramenta secundum se ipsa incontaminabilia sint), consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale" (3, q. 64, a. 6). Ita docent thomistae, ut *Dom. Soto* (In 4, dist. 1, q. 5, a. 6), *Gonet* (disp. 6, § 1, n. 88); ita scotistae, ut *Bosco* (disp. 1, sect. 7, conci. 9); ita *Suarez* (1. c.), *Vazquez* (disp. 136, c. 1), *De Lugo* (disp. 8, sect. 9, n. 146); ita *S. Alphonsus* (1. 6, n. 31) et cum eo theologi morales omnes.

253. Ratio huius rei est, quia *minister ad hoc specialiter consecratur et deputatur, ut Christi personam gerens actiones ponat, quae moraliter sunt actiones ipsius Christi*. Atqui magnam Christo iniuriam infert, qui hac ratione personam Christi gerit modo plane indecenti. Ergo cum Deus, ut sanctitati sacramentorum consulatur, ministros eorum specialiter consecret et speciali gratia instruat, non potest sacerdos non graviter peccare, si contra hanc voluntatem Dei tam clare significatam in sordido peccati statu res sanctissimas tractare praesumat. Gravitas igitur obligationis oritur ex duobus titulis in unum adunatis. Praecipuus titulus est, quod minister ex speciali consecratione et deputatione personam Christi gerit; sed specialiter consecratur et deputatur minister, quia hoc convenit sanctitati sacramentorum; est igitur hic alter titulus priori subordinatus. Ita ex doctrina *S. Thomae* (3, q. 64, a. 6), *Suaresii* (disp. 16, sect. 3, n. 3), multorum aliorum.

254. Quia hic duplex titulus in unum coalescit, minister in statu peccati mortalis administrans sacramentum, non committit sub hoc respectu duplex peccatum sed unum. Si tamen minister non est simpliciter peccator sed etiam publice notus qua talis, accedit peccatum scandali, et si praeterea suspensus est et excommunicatus, etiam committitur peccatum rebellionis in ecclesiam. „Ex his fit consequens, quod, quanto quis maiore culpa aut magis praecisus est [ab ecclesia], absurdus peccabit, ut apostata magis quam haereticus, et haereticus magis quam suspensus, et degradatus quam simpliciter excommunicatus, et publicus peccator quam occultus. Item ex parte sacramenti gravius sacrilegium esset eucharistiam celebrare quam aliud administrare sacramentum" (*Dom. Soto*, In 4, dist. 1, q. 5, a. 6). Ergo haec varia peccata in confessione accusanda sunt.

t»

IIS!

■J

255. *quis non ex officio deputatus administrat sacramenta, licet sciat se esse in statu peccati mortalis, non constat eum graviter peccare.* Negant eam peccare *S. Thomas* (l. c. ad 3) eiusque discipuli, ut *Soto* (l. c. § .Nihilominus vera constat sententia⁶) et *Gonet* (l. c. n. 93); praeterea scotistae, ut *Bosco* (l. c. n. 158); item *Suarez* (disp. 16, sect. 4, n. 4), alii. Cf. *S. Alphons.* (l. 6, n. 32), qui hanc doctrinam censet esse probabilem, oppositam vero probabiliorem.

Ratio sententiae negantis peccatum haec est, quia, licet maneat in hoc casu unus titulus obligationis, sci. sanctitas sacramentorum, abest tamen alter et praecipuus titulus, quod ministrans ex officio repraesentat personam Christi.

Quare qui non est minister ex officio, sicut non accipit specialem consecrationem neque speciales gratias, ita non habet specialem obligationem sed generalem tantum sancta sancte tractandi. At haec obligatio non semper est sub mortali. Ita nemo dixerit committere mortale peccatum eum, qui in statu peccati mortalis ecclesiam intret vel Sanctissimum adoret, dummodo absit contemptus vel pertinacia (cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 186, a. 9 ad 3), et dummodo adsit externa reverentia. Ergo ut quis adstruat pro sacramentorum administratione specialem et gravem obligationem, debet non solum ostendere adesse rem sanctam, sed praeterea debet ostendere in hac re sancta adesse specialem omnino rationem, quae in aliis rebus sacris non inveniatur, id quod ostendi nequit. Nam defensores oppositae sententiae nullam aliam afferunt rationem, nisi quod sacramenta sunt res valde sacrae. Quae ratio *N. Thomae* (l. c.) et aliis doctoribus sufficiens non videtur, cum non quaelibet irreverentia, etiam in rem sanctissimam et in Deum ipsum, sit peccatum grave; secus quaelibet distractio plane voluntaria in oratione, immo quaelibet oratio peccatoris, qui nondum paratus est ad conversionem, esset peccatum mortale. Ergo «haec obligatio disponendi se ad gratiam propter, sacramentum ministrandum non est tam clara et evidens, ut extendi debeat sine magno fundamento, et non potius restringi; ergo satis est, si eam admittamus in iis ministris, qui per se et ex officio ad hoc sunt consecrati, praesertim cum decreta ecclesiastica, quae hanc obligationem declarant, de his solum ministris loquantur, et naturalis ratio, in qua potissimum hoc praeceptum fundari debet, iudicio sapientum in bis habeat specialiore vim quam in aliis⁶ {*Suarez* disp. 16, sect. 4, n. 4).

256. *Practica haec quaestio paene solum fieri potest, quando agitur de baptismo in casu necessitatis dando.* Atqui in hoc casu ipsi etiam *Vazquez*, *De Lugo*, alii omnes concedunt homines facile excusari propter temporis brevitatem, quia «dicendum videtur necessitatem illam praeponderare praecepto non conficiendi nisi in statu gratiae⁶ {*De Lugo* disp. 8, sect. 9. n. 151). Iam vero cum extra veram necessitatem

non liceat tali modo baptizare, sane non est inculcanda hominibus gravis obligatio in tali casu prius per contritionem gratiam recuperandi. Nam hoc solum valeret ad reddendos homines perplexos, ita ut ex timore forte baptismum omitterent, et anima non baptizata periret. Ergo doctrina Vazquesii et card, de Lugo et aliorum, quantum spectat laicos, nullam practicam utilitatem habet. Nam unicum sacramentum, quod laici praeter baptismum administrare possunt, est matrimonium. Atqui nemo administrat matrimonium, nisi qui simul suscipit hoc sacramentum. Quod cum sit sacramentum vivorum, postulat statum gratiae. Itaque qui indigne administrat, indigne etiam suscipit, et ideo mortaliter peccat. Et etiamsi ita duo peccata committeret, sufficeret tamen in confessione se accusare de matrimonio indigne suscepto, ut per se patet.

257. *Si minister deputatus in casu necessitatis sacramentum sine sollemnitate administrat, similiter non constat eum graviter peccare*, ut diserte docet *S. Thomas*: „In articulo necessitatis non peccaret [sacerdos] baptizando in casu, in quo etiam laicus posset baptizare, sic enim patet, quod non exhiberet se ministrum ecclesiae, sed subveniret necessitatem patienti" (3, q. 64, a. 6 ad 3; cf. In 4, dist. 24, q. 1, a. 3, sol. 5 ad 3). Qua in re *S. Thomam* sequuntur doctores fere, qui supra (n. 255) citati sunt (cf. *Haine*, De sacram. 329).

Ratio est, quia in hoc casu sacerdos se non gerit ut publicum Christi ministrum, sed ut aliquem, qui in casu necessitatis rebus domini sui providet. Qui autem in casu necessitatis e. g. regi per accidens deservit, non tenetur tam severe cum debito apparatu et munditie apparere sicut ii, qui ex officio et ordinarie hoc munus obeunt.

258. Unicum autem sacramentum baptismi potest sacerdos more laicorum administrare; nam ad cetera requiritur specialis consecratio; et sic sacerdos in iis semper se gerit ut ministrum publicum. Excipi solum potest per accidens casus, in quo sacerdos subito absolutionem dare debet et est periculum in mora. Quia enim ad impossibilia nemo tenetur, melius est, si sacerdos urgentiori necessitati proximi statim consulit, quam si studet prius gratiam recuperare, et interea proximus perit. Ceterum per se intellegitur eum, qui vivat in occasionibus, in quibus tales casus frequenter occurrunt, obligari speciali titulo ad servandum statum gratiae (cf. *S. Alphons.* l. 6, n. 33).

259. *Sehol. 1.* Num peccator obligetur ad confessionem ante administrationem sacramentorum.

Negative, quia sufficit actum contritionis elicere. Qui cum restituat statum gratiae, praeceptum confessionis debet ex positivis

pu

IP'

ib. :
;»> : 1
!!'1'

|>α»

ordinationibus Dei vel ecclesiae probari, Sed tales ordinationes non exstant nisi pro confectione sacramenti eucharistiae. Ita *Suarez, De Lugo, S. Alphonsus* locis citatis.

260. *Schol. 2.* Num status gratiae ad alias functiones sacras requiratur.

Solent occasione doctrinae supra propositae quaerere, num ministri sacri peccent mortaliter, si alias functiones muneris sui in peccato mortali peragant; ut sunt benedictiones variae, consecrationes templorum, contiones etc. Communius et verius respondent negative, quia neque praeceptum positivum neque naturale graviter obligans ostendi potest. Aliter tamen res se habet, si accedat ratio scandali propter peccatum publicum.

Maior est *dubitatio de administratiione eucharistiae* seu de distributione sacrae communionis, quia praeceptis positivis videtur obligatio specialis statui, ut a *S. Nicolao I* l. c. (n. 252) et in rituali romano. Attamen res non est certa, quia haec dicta non sunt tam clara, et per se eucharistia potest etiam a laicis administrari. Ergo per se minister eius non agit ut persona publica. Neque irreverentia videtur adeo enormis, cum administrans nihil pei' se intendat nisi bonum proximi; et solum in hac actione per se bona modo debito se non gerit. Quare card, *de Lugo* (disp. 8, sect. 9, n. 155) cum multis aliis negat peccatum mortale, quam sententiam potest quis tuto sequi ad diiudicanda similia facta in confessione, quamvis res pendeat etiam a conscientia, quam sibi minister sacramenti formaverat.

261. *Schol. 3.* Quoties peccet, qui in statu peccati mortalis audit confessiones.

Cum ex dictis minister toties peccet, quoties sacramentum sollemniter administrat conscius peccati mortalis, oritur dubium, utrum tali modo multas confessiones sine interruptione audire sit unum peccatum an multa. Probabilius sunt multa, quia singulae confessiones sunt actio iudicialis in se plane absoluta et conclusa. Quare per se numerus absolutionum in confessione indicandus est; potest tamen aliquis oppositam sententiam sequi, quia fulcitur multis et magnis auctoritatibus, id quod ad praxim sufficit in re, quae tam difficilis est et adeo ex morali aestimatione pendet sicut numerica distinctio actuum.

Sacerdos peccator, qui hic et nunc vult solum audire confessiones, ut postea in statu gratiae absolvat, communius non censetur graviter peccare (*Haine, De sacramentis* 337 sq).

ART. III.

DE INTENTIONE MINISTRI.

Prop. XXIII Ad valide conficienda sacramenta debet minister saltem habere intentionem faciendi quod facit ecclesia.

262. *Hota.* a) Hactenus vidimus, quid praesupponatur in ministro, ut sacramenta administrare possit, sci. potestas ad validitatem, fides vero et probitas ad liceitatem. Iam videndum est, *quid minister in ipso actu administrationis observare debeat.* De applicatione debitae materiae et formae, quae ante omnia requiritur, iam dictum est. Quia autem minister est agens liberum, debet materiam et formam *velle* applicare, seu debet habere intentionem conficiendi sacramentum.

263. b) *Intentio est actus voluntatis, quo ex ordinatione rationis homo vult aliquid agere vel omittere.* Intendit igitur minister conficere sacramentum, si vult ponere actionem sacramentalem. Potest autem haec intentio esse aut actualis aut virtualis aut habitualis aut interpretativa; quae distinctiones alibi explicantur (cf. tract. de act. hum. III, η. 542). Ubi bene notandum est apud veteres doctores intentionem, quam nos virtualem dicimus, vocari interdum habitualem (S. Thom. 3, q. 64, a. 8 ad 3). Praeterea distinguitur intentio *directa* (exercita), qua quis vult ponere illum ritum, quem Christianos pro sancto habere scit, etsi forte nesciat, ad quid hic ritus valeat; et intentio *reflexa*, qua quis intellegens, quid talem ritum peragens efficiat, hoc vult efficere. Ergo e. g. si quis videt Christianos baptizantes et vult serio idem facere, licet naturam baptismi plane ignoret, ille habet intentionem directam. Sin scit se tali ritu adhibito posse infantes a peccato originali liberare, et hoc vult, habet intentionem reflexam.

264. c) *Lutherus et Calvinus negabant ullam intentionem ex parte ministri requiri;* nam fides suscipientis sacramentum potest excitari solo ritu externo, nulla etiam supposita intentione ministri (cf. Winer, Compar. Darstell. 176). Contra quos statuimus ministrum, ut valide conficiat sacramentum, debere necessario aliquam eius intentionem habere; quae vero debeat esse, ex expositione patebit.

265. *Ary. I.* Ex consensu theologorum.

Ubicumque apud doctores scholasticos sermo est de hac quaestione, sine ulla haesitatione affirmant necessitatem intentionis. S. Thomas: „Requiritur eius [ministri] intentio, qua se subiciat principali agenti, ut sci. intendat facere quod facit Christus et ecclesia” (3, q. 64, a. 8 ad 1). S. Bonaventura: „Dicendum, quod in omni sacramento necessaria est intentio ... et ideo, si non sit intentio, non est sacra-

II
HI
A . . .
M

H

mentum⁶ (In 4, dist. 6, p. 2, a. 2, q. 1). Item iam antea *Gul. Altisiodor.* (l. 4, q. 7), *Albertus Magnus* (In 4, dist. 6, a. 11), postea *Scotus* (In 4, dist. 6, q. 5, n. 4). Sequuntur suos magistros thomistae et scotistae omnes. Neque *Durandus* vel nominales dissentiunt, ita ut haec sententia sit revera communis omnium theologorum (*Suarez* disp. 13, sect. 2, n. 6).

266. Iidem doctores scholastici introduxerunt terminum: ministrum debere saltem habere *intentionem faciendi quod facit ecclesia*, vel „quod Christus instituit. Quibus verbis, ut ipsi explicant, significare volunt ministrum non debere habere intentionem reflexam seu non debere praecise intendere productionem gratiae, sed sufficere, si directe scu, quod idem est, in confuso intendat quod vult Christus et ecclesia. Ita secundum *Albertum Magnum* (l. c.) exprimitur generalis intentio in verbo baptizandi [ego te baptizo], et illa expressio sufficit ad intentionem ecclesiae, sci. ad faciendum quod facit ecclesia, licet non credat hoc aliquid valere⁶. Cf. *Franzelin* 207 sq in nota.

267. Porro iidem doctores diserte docent *non sufficere intentionem habitualement aut interpretativam, sufficere autem intentionem virtualement neque necessario requiri intentionem actualement*, „puta cum sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum quod facit ecclesia; unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis perficitur sacramentum⁶ (*S. Thom.* 3, q. 64, a. 8 ad 3). Haec est⁶, inquit *Suarez*, „omnium sententia⁶ (disp. 13, sect. 3, n. 3).

268. His igitur loquendi formulis scholastici nihil aliud dicunt nisi *eum, qui administret sacramentum, debere ministerialiter agere*. Cum enim non possit suo nomine gratiam conferre, debet eam conferre velle nomine Christi, id quod sufficienter vult, si vult facere quod facit ecclesia Christi (licet putet hanc non esse romanam), quia haec agit nomine Christi. Nam hoc modo minister, licet in confuso et non reflexe, „se subicit principali agenti 1, i. e. Christo (*S. Thom.* 1. c. ad 1; cf. *Lugo* disp. 8, sect. 2, n. 35).

Hoc igitur modo haec res ab omnibus doctoribus catholicis proponebatur atque sine ulla disputatione. Quare auctoritati ecclesiasticae nulla erat ratio quicquam de hac re definiendi. Ubi vero dubitationes vel haereses circa hanc rem ortae sunt, statim ecclesia eandem doctrinam suis definitionibus sanxit.

269. *Arg. 2.* Ex definitionibus ecclesiae.

In professione fidei ab *Innocentia III* waldensibus praescripta habetur: „Ad quod officium [consecrandi eucharistiam] tria sunt, ut credimus, necessaria: sci. certa persona, i. e. presbyter ... et illa

sollemnia verba . . . et fidelis intentio proferentis" {Denz. n. 424). In quaestionibus a *Martino V* praescriptis est vigesima secunda: „Utrum credat, quod malus sacerdos cum debita materia et forma et cum intentione faciendi quod facit ecclesia, vere conficiat . . . sacramenta" {Denz. n. 672). *Eugenius IV*: Ad sacramentum perficiendum requiritur „a persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit ecclesia" {Denz. n. 695). *Cone. trid.* sess. 7, can. 11 de sacram.: „S. q. d. in ministris, dum sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit ecclesia, A. S." (Denz. n. 854; cf. n. 860).

270. *Arg. 3.* Ex ratione theologica.

Nemo potest sacramentum conficere nisi utendo potestate ministeriali. Atqui nemo agit ministerialiter, nisi qui vult nomine alterius agere. Ergo minister debet velle agere nomine Christi, seu debet velle facere quod facit ecclesia. *Maior* argumenti iam alibi probata est (n. 143 232). *Minor* per se patet, quia minister manet homo; ergo potest etiam suo nomine agere, si vult; ergo ab eius intentione pendet, utrum suo an alterius nomine agat {*Suarez* disp. 13, sect. 2, n. 7).

271. *Signa sacramentalia per se sunt indifferentia ad varios fines;* nam potest quis ea ponere exercitii aut ioci aut alius rei causa. Ergo ex voluntate ministri pendet, ut haec signa applicentur tamquam ritus sacer Christianae religionis (cf. *S. Bonavent.*, In 4, dist. 6, p. 2, a. 2, q. 1). Tandem in opposita sententia multa absurda sequi facile unusquisque videt (cf. *Wirceburgenses* n. 169 sqq).

272. *Sufficere autem et requiri, ut haec intentio sit saltem virtualis,* constat ex iis, quae docentur in tractatu de actibus humanis (III, n. 662). Sola enim intentio actualis aut virtualis influit in actum, habitualis aut interpretativa nullo modo influunt, ideoque actum ministri ex se naturalem non possunt facere sacramentalem. Quare e. g. somnambulus non potest sacramenta administrare, quamvis habitualement intentionem habere possit (*S. Alphons.* l. 6, n. 16 sqq. *De Lugo* disp. 7, sect. 5 sqq).

273. *Coroll. 1.* Ergo non requiritur ad valorem sacramenti, ut minister sit attentus, sed potest cum plena distractione sacramenta valide administrare, dummodo ritum recte perficiat ex intentione antea elicita. Opposita sententia Patris *Lacroix* est plane singularis (cf. *S. Alphons.* l. 6, n. 14). „Minister quidem studiose curare debet, ut etiam actuale intentionem adhibeat, sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate, quia praeter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare secundum illud Ps 39: „Cor meum dereliquit nw“ (*S. nom.* 3, q. 64, a. 8 ad 3).

Voluntaria autem distractio est peccatum per se veniale; quod propter periculum erroris vel scandali praevisum potest fieri mortale.

274. *Coroll. 2. Intentio debet esse, aut formaliter aut aequivalenter absoluta, i. e. nulla debet condicio apponi, nisi quae intentionem hic et nunc absolutam relinquit. Nam sicut propositio, quae vere et secundum rem est condicionalis, nihil operatur in ordine logico, ita voluntas condicionalis nihil operatur in ordine ontologico. Ergo si voluntas ministri est condicionata, ritus sacramentalis manet inefficax. Sin condicio iam est impleta, quando sacramentum administratur, voluntas ministri eo ipso est absoluta. Ita minister absolute vult absolvere hominem reapse etiamtum vivum, quamvis dicat: Absolvo te, si es adhuc vivus.*

Contra si diceret: Absolvo te, supposito quod postea non recides in idem peccatum, non valet absolutio. Neque enim valet, quando signum sacramentale ponitur, quia tunc condicio nondum est impleta; neque valet postea, quia tunc signum sacramentale non iam existit. Neque scientia Dei potest hic in auxilium vocari, quia Deus, qui fecit homines ministros suos, vult eos humano modo procedere, quia secus absurda sequerentur, et praxis ecclesiae esset totaliter mutanda. E. g. deberet vel saltem posset convenienter baptismus ita conferri: Si tu es praedestinatus, ego te baptizo; quia non-praedestinato simpliciter melius est non baptizari. Si quis iniret cum aliqua matrimonio hac condicione, quod illa postea dives evasura esset, interim vero cum alia absolute contraheret, hoc secundum matrimonium non esset validum. Atqui haec et alia similia sunt absurda. Memoria tenendum est sacramenta agere ad modum agentium naturalium, quae determinate agunt virtute sibi indita, non vero modo sic modo aliter secundum Dei scientiam. Unde immerito *Viva, Arriaga*, alii putant valide absolvere dicentem: Absolvo te, si Deus scit te restitutum esse (cf. *S. Alphons. 1. 6, n. 26*).

Quod doctores dicunt *matrimonium valere, si ineatur sub condicione de futuro*, ita est intellegendum, ut valeat postea, si condicio impleta fuerit, quia tunc, permanento voluntate ex utraque parte, intentio ex condicionata fit absoluta. Num autem et quando licita sit administratio sacramentorum condicionata, infra dicetur.

275. *Coroll. 3. Intentio debet versari circa determinatam materiam; quia non potest fieri, ut effectus sit indeterminatus. Ita non possunt indeterminati homines baptizari. Ergo neminem baptizaret, qui vellet ex aliqua multitudine indeterminate quinque baptizare. Circa materiam enim indeterminatam non possunt verificari formae sacramentales, e. g.: Hoc est corpus meum; Ego te baptizo (*Suarez disp. 13, sect. 3, η. 10*). Quare in *rubricis missalis* de defectibus in missa occurrentibus § 7 haec leguntur: „Si quis habeat coram se undecim hostias et intendat*

solum consecraro decem, non determinans, quas decem intenderit, in bis casibus non consecrat, quia requiritur intentio."

Prop. XXIV. Ad valido conficienda sacramenta non sufficit intentio more externa, sed requiritur interna.

276. *Nota.* a) Vidimus ministrum sacramenti debere saltem habere intentionem faciendi quod facit ecclesia. Sed potest aliquis hanc intentionem duplici modo habere. Aut enim nihil aliud vult nisi externum ritum sacramentalem, qui ritus in se est res naturalis; aut potest hunc ritum velle, in quantum ab ecclesia ut sacer habetur. Seu potest aliquis intendere ritum aut mere materialiter aut potest formaliter per hunc ritum agere velle quod agit ecclesia, sive credit ecclesiam esse veram et ritum efficacem sive non credit. Itaque *duplex esse potest intentio agendi quod agit ecclesia: externa et interna*, quae distinguuntur non ratione subiecti, cum omnis intentio sit internus actus voluntatis, sed ratione obiecti; nam altera intentio versatur circa obiectum mere externum, i. e. circa ritum visibilem, altera circa obiectum internum, i. e. circa ipsam intentionem ecclesiae.

277. b) Iterum ritum mere externum potest aliquis ponere aut *modo iocoso* et aperta ludificatione aut *modo serio*, tametsi in animo non intendat agere quod agit ecclesia.

278. c) *Lutherus* docuit valere baptismum et alia sacramenta, etsi per apertum iocum et mimice perficiantur, dummodo materia et forma seruentur. Haec doctrina iam reiecta est per thesim praecedentem, ubi probatum est eum, qui sacramenta perficiat, debere per intentionem suam se reddere ministrum Christi et ecclesiae. Qui vero nihil vult nisi iocari per ritum sacramentalem, non reddit se ministrum sed irrisorem Christi et ecclesiae.

Quare merito damnata est ista doctrina Lutheri ab auctoritate ecclesiastica (cf. *Denz.* n. 752 902).

279. d) *Num vero ritus externus speciebus serio positus sine intentione interna ministri sufficiat ad validitatem sacramenti, disputatur inter catholicos*, vel potius olim disputabatur; nam nostra aetate sententia, qua affirmatur sufficientia solius intentionis externae, potest universaliter derelicta censi.

1 „Wenn nu hio der Teuffel oder sein died die Ordnung Christi hielte und thrnach thette, so were es gleichwol die redite Tauffo und Sakrament. . . . Bekennen doch die Papisten selbst, das die Taufbl im schertz oder spielsweise gegeben, sei eine redite Taufte“ (Von der winkdmesse, Wittenberg 1533. Idem docet in libro De captiv. babyl. in cap. do bap.).

Primus videtur hanc affirmantem sententiam docuisse *Aureolus* (In 4, dist. 5, q. 1, a. 1), nomen vero et famam doctrina habuit a *Catharino* O. Pr., qui in libro „De intentione ministri“ (Romae 1552) eam proposuisse dicitur, quamvis alii id negent (ut *Vazquez* disp. 138, c. 2, n. 20 et *Tournély*, De sacram, n. 173). Certe eam secuti sunt *Contenson* (Theol. ment, et cord. 1. 11, diss. 2), *Drouin* (De re sacram. 1. 1, q. 7, c. 3), alii et prae ceteris „prolixis declamationibus“ *Serry*; praeterea *Juenin* (De sacram, disp. 1, q. 6, c. 2, a. 3), *Scribonius*, *Farvacques*, *De Cocq*, *Duhamel*. «Serrianas argumentationes omnes et etiam historiolas in suum usum convertit eius nepos *Drouinius* in opere De re sacram. 1. 1, q. 7, c. 3, sect. 2“ {*Franzelin* p. 217). Ceterum est inter defensores huius doctrinae opinionum varietas (cf. *Aligne*, Curs, theol. XX, col. 1482, nota). Nostris diebus hanc sententiam diu defendere conatus est *Oswald*, sed in ultima editione operis „De sacramentis“ eam reliquit (I 126 sqq).

280. *Arg. I.* Ex definitionibus ecclesiae.

Sententia adversariorum, quamvis numquam directe damnata sit ab ecclesia, tamen cum variis definitionibus ecclesiae conciliari nequit, quamdiu hae secundum nativum sensum explicantur.

Secundum bullam *Martini V* „Inter cunctas“ ad fidem pertinet, «quod malus sacerdos cum debita materia et forma et cum intentione faciendi, quod facit ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, vere conferat alia sacramenta“ {*Denz.* n. 672).

Secundum *Eugenii IV* decretum pro armenis: «omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus . . . verbis . . . et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum“ {*Denz.* n. 695). „Quivis homo baptizare potest, dummodo formam servet ecclesiae et facere intendat, quod facit ecclesia“ {*Denz.* n. 696).

Secundum *conc. trid.* sess. 7, can. 11 de sacram.: „S. q. d. in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit ecclesia, A. S.“ {*Denz.* n. 854). Sess. 14, c. 6: „Non debet paenitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut, etiamsi . . . sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit, putet tamen se . . . esse absolutum“ {*Denz.* n. 902).

Ergo concilia praeter materiae et formae positionem tertium quid requirunt, sci. intentionem ministri. Qui autem ponit materiam et formam (ut haereticus vel paganus baptizans, de quo loquitur florent.), eo ipso habet intentionem externam. Ergo praeter hanc requiritur intentio interna. Maxime hoc patet ex *conc. trid.* Nam illud incisum „et vere absolvendi“ aut addit aliquid ad illud «animus serio agendi“, aut solum est explicatio eiusdem rei. Si hoc alterum, ergo serio agere est habere animum absolvendi; sin additur aliquid, ergo praeter animum serio agendi requiritur intentio (saltem in confuso)

absolvendi. Neque sciunt adversarii ullam explicationem huius decreti, quae non statim appareat valde innaturalis et contorta (cf. *Franzelin* p. 229 sqq).

Tandem damnata est ab *Alexandro VIII* haec propositio: „Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi servat, *intus* vero in corde suo apud se resolvit: „Non intendo quod facit ecclesia “ (*Denz.* n. 1318). Qua damnatione, inquit *Benedictus XIV*, „negari non potest grave vulnus praefatae opinioni inflictum“ (De syn. l. 7, c. 4, n. 8).

281. *Dicunt adversarii* consultores romanos interrogatos negasse se voluisse Catharini sententiam censura afficere. *Resp.*: Non quaeritur, quid consultores voluerint, sed quid pontifex, qui hanc propositionem „damnat et prohibet“. Ceterum historice constat non quidem Catharini sed Farvacquesii fuisse propositionem damnatam, qui erat propugnator sententiae Catharini (cf. *Franzelin* p. 232 et 254).

Propter has rationes *S. Alphonsus* (l. 6, n. 23) et recentes theologi vix non omnes simpliciter affirmant „sententiam esse sequendam: omnino requiri intentionem ministri faciendi ritum sacramentalem, quem facit ecclesia“.

282. *Arg. 2.* Ex ratione theologica.

a) *Ritus externus ex se potest esse et res naturalis et res sacramentalis.* Ergo ut aut ad unum aut ad alterum determinetur, requiritur intentio ministri, Ex institutione euim Christi nihil aliud habetur, nisi ut hic ritus *possit* esse sacramentalis; ex intentione vero ministri pendet, ut reapse *sit* sacramentalis. Neque valet, quod adversarii dicunt, ut ritus determinetur ad esse sacramentale, sufficere externa adiuncta, ut est locus sacer, postulatio suscipientis sacramentum etc. Haec enim externa adiuncta omnia possunt abesse et tamen sacramentum valide confici; immo iocus vel actus pure naturalis externe simulatus nihil obest validitati, dummodo adsit debita materia et forma et intentio interna ministri. Simili enim modo non raro in regionibus paganorum datur baptismus infantibus morientibus.

b) Qui administrat sacramenta, debet se gerere *ut ministrum Christi.* Atqui num quis se gerat ut ministrum Christi, mere ab eius intentione pendet, Ergo si habet intentionem suo Marte aliquid agendi, non conficit sacramentum.

283. *Arg. 3.* Ex resolutione rationum adversariorum.

a) *Dicunt* praecipuum argumentum esse „*Innocentii III*, saeculo XIII summi pontificis, praeclaram sane, quaeque nullo subterfugio eludi possit, sententiam: „Non est necesse, inquit decret. (l. 3, tit. 42, c. 1)

Γφιλ i
B hir

f

?
Hif

« i

l

de bapt et eius effectu cap. „Si quis puerum^l, quod baptizans gerat in mente facere quod facit ecclesia, immo si contrarium gereret in mente, sci. non facere quod facit ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizat, dummodo baptizare minister intendat' . . . quibus sane verbis nostra doctrina pauloque crudius stabilitur⁸ (*Drouin*, De re sacram, q. 7, c. 3, sect. 2, § 2, prob. 4). Quodsi dixeris Innocentium haec scripsisse, cum esset homo privatus, respondet Drouin: „Non ideo nos in hoc testimonio pondus ponimus, quia a doctore qualicumque prolatum est, sed quia ab Innocentio IV (1243—1254) iam tum pontifice maximo, approbatum, sollemnibus iuris decretis adscriptum et ab ecclesia reverenter acceptum⁸ (l. c.).

Resp.: Falsum est haec verba Innocentia IV (huius enim sunt, non Innocentii III) *esse inserta corpori iuris canonici et vim legis habere.* Sunt enim illa verba in commentariis, quae scripsit Innocentius qua doctor privatus. ..Neque profecto Innocentius hoc sibi umquam arrogavit, ut, quidquid in illo opere scripsisset, pro re definita haberetur, sed facile passus est opiniones suas, quas tamquam privatus doctor proposuerat, ab aliis doctoribus oppugnari, ut patet ex ipsa, quam citavimus, illius Vita [a *Diplovatacio* conscripta], multoque magis ex ea, quam sibi amplissimam hac in re licentiam sumpserunt posteriores canonistae, dum sententias ab Innocentio suis commentariis insertas saepe deserere et in alia omnia ire non dubitarunt⁸ (*Benedictus XIV*, De syn. in fine prooemii ed. 2).

Secundo vero *adversarii nostri doctrinae Innocentii omnino alium sensum supponunt*, quam quem ipse disertis verbis expressit. Quid enim secundum ipsum est „non gerere in mente facere quod facit ecclesia, immo contrarium⁸? Videlicet: „Non videtur necesse quoad effectum baptismi, quod sciat, quid sit baptismus, seu quod infundatur gratia, vel quod sit sacramentum; non etiam oportet, quod credat hoc ipsum, immo etsi contrarium credit et totum reputat truffam et deceptionem, tamen baptismus habet effectum. . . . Quid autem requiritur? Requiritur, ut baptizare intendat. Bünde si aliquis . . . vadat ad Sarazenum et dicat: baptiza me, et doceat eum formam; et ille Sarazenus baptizet non credens per immersionem aliquid aliud fieri nisi madefactionem, et intendat eum baptizare vel etiam madefacere secundum intentionem petentis baptismum, ut baptismus operetur, quidquid operari potest, et ipse baptizans tamquam minister conferat, quod alii baptizantes conferunt, licet non credat ipsum posse aliquid operari, vere baptizatus est; sed si hoc non intenderet, non baptizatus est“ (*Framelin* p. 249). Ecce doctrinam adversariorum clarissimis verbis reiectam.

Alia, quae ex historia afferuntur ab adversariis, partim falsa sunt, partim nullius momenti pro nostra quaestione (ib. p. 242 sqq et 250 sqq).

284. b) *Provocant ad doctrinam S. Augustini* docentis: „Solet quaeri... utrum nihil intersit, quo animo accipiat [baptismum] ille, cui datur, cum simulatione an sine simulatione. Si cum simulatione, utrum fallens, sicut in ecclesia vel in ea, quae putatur ecclesia, an iocans, sicut in mimo, et quid sit sceleratius, in ecclesia fallaciter accipere, an in haeresi vel schismate sine fallacia, i. e. animo non simulato. . . . Sed arbitremur etiam aliquem fallaciter dantem, cum et tradens et accipiens fallaciter agant in ipsa unitate catholica, utrum hoc magis baptisma sit acceptandum an illud, quod in mimo datur, si quis existet, qui fideliter subito commotus accipiat; an, quantum ad ipsos quidem attinet homines, plurimum distet inter credentem in mimo et iridentem in ecclesia, ad ipsius autem sacramenti integritatem nihil intersit. Si enim nihil interest ad integritatem sacramenti in ipsa catholica, utrum id aliqui fallaciter an veraciter agant: cur extra intersit, non video, quando ille, qui accipit, non simulatione palliatus sed religione mutatus est. An plus valent ad confirmandum sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces, a quibus agitur et in quibus agitur? Et tamen, si postea prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio aut paenitendo sanatur" (De baptism, contra donat. l. 7, c. 53, n. 101; *M* 43, 242).

His propositis addit *Drouin*: „Ministri fallacis nomine eum intellegit S. Augustinus, qui nimirum, licet sacramentum serio exterius conferat, suam tamen intus cohibet intentionem et hac ipsum ridet, quod facit (l. c. prob. 3).

Resp.: Quamvis verba S. Augustini sint obscura, tamen hoc clarum est *ministri fallacis nomine ab eo intellegi eum, qui, cum non habeat fidem*, tamen simulat se habere, ut ostendit tum totus scopus disputationis cum donatistis tum ipsa oppositio inter eum, qui fallaciter accipit baptismum in ecclesia, et eum, qui non fallaciter accipit apud haereticos, quia se aperte profitetur haeticum, tum sequens expositio, in qua de sola simulatione fidei sermo est.

Dein vero *S. Augustinus suam opinionem dubitanter proponit* quoad quaestionem, num valeat baptismus, si totus ritus mimice peragatur. „Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiae, quae nullo in catholico regionali concilio coepta, nullo plenario terminata sunt. . . . Ubi autem . . . totum ludicre et mimice et ioculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus, qui sic daretur, divinum iudicium . . . implorandum esse censerem" (l. c. n. 102). Nihil igitur ex his disci potest nisi aliquam doctrinam, quam ecclesia postea sollemniter definivit, tunc nondum fuisse in universali et explicita fidei professione.

285. c) *Provocant ad auctoritatem S. Thomae*, qui docet, „quod minister sacramenti agit in persona totius ecclesiae, cuius est

minister. In verbis autem, quae profert, exprimitur intentio ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri vel recipientis sacramentum⁸ (3, q. 64, a. 8 ad 2). Ergo S. Thomas docet sufficere intentionem externam.

Resp.: Cum usque ad Contensonum thomistae omnes (exceptis paucissimis, ut forte Durando et Catharino) contrariam doctrinam apud S. Thomam inveniri censuerint, certe non tam clare s. doctor adversariorum doctrinam proposuisse videtur, quam ipsi fingunt. Et revera immediate ante verba citata S. Thomas docet requiri intentionem ministri, „*qua se subiciat principali agenti*, ut sci. intendat facere quod facit Christus et ecclesia⁸; hoc autem non fit per intentionem mere externam. Et iterum dicit requiri intentionem ad hoc, ut signum ex se ambiguum, e. g. ablutio aquae, „*determinetur ad unum, i. e. ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis⁸*. Quapropter S. Thomas non dicit sufficere intentionem proferendi verba, *sed sufficere intentionem, quae verbis exprimitur*. „Quando sci. verba exprimunt actum sacrum ipsius ministri: Ego te baptizo, confirmo, absolvo, non requiritur alia omnino mentalis verbis non expressa intentio; sed sufficit intentio, *dummodo revera adsit*, quae verbis exprimitur, et quae ita per verba velut sensibilis reddita, non est intentio pure mentalis. (Framelin p. 220). Si vero verba non exprimunt actum, sed sunt per se ambigua, postulatur alia intentio verbis non expressa, qua „*possunt verba formae ad personam Christi referri⁸* (In 4, dist. 8, q. 2, a. 4, sol. 3 ad 2). Porro in opusculo *De sacramentis*, ex quo fere ad litteram desumpta est instructio Eugenii IV ad armenos, S. Thomas *praeter* materiam et formam requirit etiam ministrum. Cum intentione conferendi et faciendi quod facit ecclesia; quorum trium si aliquid desit, i. e. . . . si minister sacramenti non intendit sacramenta conficere, non perficitur sacramentum⁸. Et alibi: „Ad effectum sacramenti videmus multa concurrere, sci. ministrum, formam verborum et materiam. Haec autem non possunt colligari ad invicem, ut sint una causa, nisi per intentionem baptizantis, qui sci. formam ad materiam applicat, suum vero ministerium ad utrumque et totum hoc ad sacramenti collationem, et ideo requiritur intentio baptizantis⁸ (In 4, dist. 6, q. 1, a. 2, sol. 1; cf. 3, q. 64, a. 10; In 4, dist. 30, q. 1, a. 3 ad 3).

286. d) *Argumentantur ex ratione*:

Defectus intentionis est aliqua improbitas. Atqui improbitas non tollit valorem sacramenti. Ergo defectus intentionis non tollit valorem sacramenti.

Resp. Dist. mai.: Defectus intentionis est improbitas qualis-cumque, *nego mai.*; est improbitas, qua tollitur aliquid sacramentis essentielle, *conc. mai.* *Contradist. min.*: Improbitas qualis-

cumque non tollit valorem sacramenti, *cone, min.*; improbitas, qua tollitur aliquid sacramentis essentielle, non tollit valorem, *nego min.*; *nego cons.*

Porro dicunt: Non debemus spem ponere in homine. Atqui si ministri intentio requiritur, debemus spem ponere in homine. Ergo intentio non requiritur. Secus etiam actum est de tranquillitate fidelium et certitudine sacramentorum. — Responsum ad has vel similes rationes per se patet.

287. *Schol. 1.* Sententia adversariorum est practice inutilis.

„Quamvis sententia opposita esset probabilis, nulli dubium, ut ait pontifex *Benedictus XIV*, eam non posse in praxim adduci propter primam propositionem damnatam ab *Innocentio XI*, ubi declaratum fuit in conferendis sacramentis illicitum esse sequi opinionem probabilem, relicta tutiore [*Denz.* n. 1151], Hinc recte docet praefatus pontifex, quod, si constet quempiam baptismum aut aliud sacramentum initerabile administrasse omni adhibito externo ritu sed intentione retenta aut cum deliberata voluntate non faciendi quod facit ecclesia, urgente necessitate erit sacramentum iterum sub condicione perficiendum; si tamen res moram patiatur, sedis apostolicae oraculum erit exquirendum" (*S. Alphons.* 1. 6, n. 23). Immo cum sententia de sufficientia intentionis externae hodie iam vix tenuissima probabilitate fruatur, si de defectu intentionis internae certo constat, videtur sacramentum simpliciter repetendum.

288. *Schol. 2.* De intentionibus contrariis.

Quid, si quis habet voluntates contrarias, e. g. faciendi quod Christus instituit, sed non faciendi quod facit ecclesia romana; aut faciendi quod facit ecclesia, sed non producendi effectum sacramenti?

Resp.: Res diiudicanda est secundum ea, quae traduntur in tractatu de actibus humanis (III, n. 543). Totum enim pendet ex quaestione, quae intentio in singulis casibus censenda sit praevalens. Nam si odium ministri in romanam ecclesiam tantum sit, ut, si haec ecclesia sit vera ecclesia Christi, potius nolit facere quod Christus instituit, non conficitur sacramentum; sin absolute velit facere quod Christus instituit, sed ex errore non putet hoc esse id quod romana ecclesia facit, ex altera tamen parte adhibeat materiam et formam, conficitur sacramentum. Ergo plerumque tum solum non conficientur sacramenta, cum minister processerit ex pertinaci in ecclesiam odio; conficientur vero, si magis errore deceptus fuerit (*Suarez* disp. 13, sect. 2, η. 13).

ART. IV.

DE OBLIGATIONE MINISTRI DANDI AUT DENEGANDI
SACRAMENTA.

Prop. XXV. Minister sacramentorum sub certis conditionibus obligatur, sive ex caritate sive ex iustitia, ad administranda sacramenta.

289. *Nemo obligatur ad administranda sacramenta, nisi qui potest ea licite administrare* vel absolute vel in aliquo particulari casu, quia obligatio esse non potest nisi de actu licito. Ut autem actus sit licitus, imprimis requiritur potestas; nam qui sine potestate conficere vellet sacramentum, practice conaretur inducere falsam doctrinam. Potestas autem non eadem requiritur ad omnia sacramenta; nam interdum requiritur et potestas ordinis et potestas iurisdictionis ad valorem sacramenti, interdum sola potestas ordinis, interdum vero neutra, ut in baptismo.

290. *Dubia potestate scienter uti non licet nisi in casu necessitatis*, in quo melius est remedium dubium adhibere quam nullum. Communiter vero opinionem tantum probabilem sequi in administratione sacramentorum, tutiore relicta, prohibitum est (*Denz. n. 1151; cf. Suarez disp. 16, sect. 1, n. 2*). Ceterum hic casus practicus vix esse potest nisi in sacramento paenitentiae, quando quis habet aut probabilem aut dubiam iurisdictionem. Etiam ad reliqua sacramenta, ut licite administrantur, ius quoddam requiritur; quia non quilibet, qui potest sacramenta valide administrare, semper et ubique licentiam habet ea administrandi. Ita laicus non debet ordinarie baptizare neque episcopus in aliena dioecesi ordinare. Immo interdum aliquis suspenditur ab omni sacramentorum administratione. Nemo igitur tenetur ad sacramenta administranda, nisi quando leges ecclesiae hoc ei permittunt.

291. *Qui habet facultatem valide et licite administrandi sacramenta, interdum ad hoc tenetur ex iustitia*. Haec obligatio convenit illis, qui vel ex officio vel ratione stipendii, promissionis, pacti debent hoc munus exercere; quales imprimis sunt *pastores animarum*, ut episcopi, parochi eorumque vicarii, superiores religiosorum; brevi omnes ii, quibus circa determinatas personas hoc munus ex aliquo titulo iuris incumbit. Ubi notandum est: cum pecunia ministris sacramentorum non detur ut pretium sed ut eleemosyna, non pendere ex magnitudine pecuniae, ut aliquis sub gravi obligetur ad administranda sacramenta, sed haec obligatio inde provenit, quod quis vel expresse vel tacite *pactum iniit de re gravi*. Ait *conc. trid.*: „Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves

suas cognoscere . . . sacramentorum administratione pascere . . . quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercennariorum more deserunt, sacrosancta synodus eos admonet et adhortatur, ut divinorum praeceptorum memores factique forma gregis, in iudicio et veritate pascant et regant" (sess. 23, deer, de reform, c. 1).

292. *Nemo autem censetur tali pacto se obligasse nisi ad praestanda ea, quae rationabiliter petuntur.* Ergo sacramentum ei, qui ex importuna devotione vel quomodocumque irrationabiliter petit, tuto negari potest. Rationabiliter autem petentibus toties quoties sacramenta administrari debent. Difficili enim et moroso agendi modo homines terrere a frequenti usu sacramentorum evidenter grave peccatum est et muneri boni pastoris ex adverso oppositum. Quare lege ecclesiastica iussi sunt parochi cavere, ne „a frequenti aut cotidiana sacrae communionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur aut sumendi dies generaliter constituentur" (*Denz.* n. 1148; cf. 1985). Quod etiam mutatis mutandis propter rationum aequalitatem valet de sacramento paenitentiae et de baptismo parvulorum.

Si quis vero non ex consuetudine et quasi ex lege lata sed semel tantum aut iterum sacramenta sine ratione denegat, ideo non potest censi grave commisisse peccatum, quia damnum, quod oritur, facile reparari potest. Aliud est, si scandalum detur aut qualecumque grave malum oriatur, si tamen hoc praevideri debuit, ut v. g. si ex negligentia pastoris aegrotus moriatur sacramentis non munitus.

Satis autem fit obligationi, sive pastor animarum *per se sive per vicarios idoneos* sacramenta administret, ita tamen ut ipse officium pastoris non plane neglegat, et praeterea, si ipse ab ovibus suis nominatim postulatur, paratus sit ad huic iustae petitioni annuendum.

293. Per se quidem in ordinariis contractibus nemo censetur se obligare, *ut stet contractui etiam cum gravissimo suo incommodo et periculo.* Nihilominus si contractus talis est, ut ex natura sua hoc etiam includat, postea, qui fecit contractum, non potest propter tale incommodum ab eo resilire. Sed talis est contractus ille virtualis, cui consentit pastor animarum. Nam bonus pastor tenetur etiam animam suam ponere pro ovibus suis, si requiritur. Requiritur autem non quidem propter quodvis subditorum commodum vel incommodum, sed *propter gravem subditorum necessitatem.* Necessitas dicitur gravis, in qua constitutus homo nisi cum magna difficultate salvari nequit, ut quando homines rudes et peccandi occasione obnoxii sola perfecta contritione possunt salvari. In gravi igitur necessitate tenetur pastor animarum etiam cum gravi suo incommodo ea sacramenta subditis suis administrare, quibus succurratur huic necessitati, i. e. pro variis condicionibus baptismum aut paenitentiam aut extremam unctionem,

Hir
r^t M.

liîH

«

u

non vero per se alia, quae non absolute requiruntur. Ita declaravit *Gregor. XIII* (cf. *S. Alphons.* 1. 6, n. 233). Sed facile otiam ii, qui ob metum periculi nolunt sacramenta minus necessaria suis subditis administrare, scandalum creare et sub hoc respectu peccare possunt. Propter ordinaria vero incommoda vel pericula, quae cum aegrotorum cura conexas esse possunt, non excusari pastores per se clarum est, cum haec cura sit praecipua pars muneris eorum.

294. *Ii qui non sunt pastores animarum, cum nullo iustitiae titulo sint obstricti, tum tantum ad administranda sacramenta obligantur, cum lex caritatis hoc postulat.* Postulat autem lex caritatis, ut, si sine gravi incommodo possumus, subveniamus gravi necessitati aliorum, quibus secus non providetur. Et haec quidem obligatio per se gravis est, quia lex caritatis per se sine dubio sub gravi obligat, et quia etiam materia, de qua agitur, est gravis.

Immo gravissimae proximorum necessitati etiam cum gravi incommodo et periculo proprio in auxilium venire, nemo ignorat esse praeceptum caritatis. In gravissima autem seu extrema necessitate intellegitur esse, qui periturus est, nisi adiuvetur, ut infans moriturus sine baptismo. In tali ergo casu quilibet tenetur iuvare, si potest, sicut quivis tenetur hominem pereuntem ex undis eripere, si potest.

Prop. XXVI. Minister sub certis condicionibus debet sacramenta indignis denegare.

295. Abstrahendo a particularibus circumstantiis imprimis hoc universale principium est satis evidens *ministerium non debere sacramenta dare iis, quos scit esse indignos*, secundum doctrinam Domini: „Nolite dare sanctum canibus neque mittatis margaritas ante porcos“ (Mt 7, 6). Neque enim quidquam in tota religione Christiana sanctius est sacramentis. Praeterea indigna sacramentorum susceptio gravissima in Deum irreverentia est (1 Cor 11, 27), quam omnis, qui potest, ex virtute religionis tenetur cavere. A fortiori igitur non licet positive cooperari ad peccatum indignae susceptionis. Ergo ex fidelitate, religione, caritate sacramenta indignis deneganda sunt.

Indignus autem is est, qui valide quidem sacramenta suscipere potest, sed sine effectu gratiae, seu est subiectum per se aptum carens dispositione requisita ad effectum sacramenti. Minister igitur sacramenti per se debet prudens iudicium sibi comparare eum, qui vult recipere sacramentum, esse debite dispositum, sicut apostolus monet Timotheum: „Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis“ (1 Tim 5, 22).

296. Attamen *non eadem regula pro omnibus sacramentis statui potest*; nam stricte dictum examen requiritur ante baptismum, quia per hoc

sacramentum hominibus primo conferuntur omnia iura religionis Christianae; contra qui baptizatus est, eo ipso habet ius ad sacramenta eucharistiae et confirmationis et tempore morbi ad extremam unctionem; ergo tamdiu hoc ius retinet, quamdiu non constat eum id amisisse. In sacramento autem poenitentiae, quod administratur per modum iudicii, minister debet accurate examinare causam, cuius pars est dispositio poenitentis (*Denz.* n. 899). Rursum in sacramento ordinis nova iura eaque summi momenti pro universa ecclesia conceduntur; quare ante eius collationem diligentissimum examen ordinandorum praescribitur (*Trid.* de reform, sess. 23, c. 5 7 12 14).

297. *Peccatori occulto in publico petenti sacramenta non sunt deneganda.* Principium enim, quod statuimus, per se quidem universale est. Attamen eius applicatio interdum fit impossibilis, nisi magna mala orientur. Est enim grave praeceptum servandi bonam famam, qua quis fruitur. Ergo quamdiu indignitas alicuius hominis talis est, ut publicae notitiae subtrahi possit, nulli licet eam manifestare. Si quis vero propter talem indignitatem in publico reiceretur a susceptione sacramentorum, bona eius fama destrueretur, et hac râtione homines averterentur a susceptione sacramentorum, et facile orientur suspiciones, odia, dissensiones aliaque magna mala, propter quae cavenda sane minister sacramenti indignam susceptionem permittere potest et debet. Nam ne bonum publicum in periculum vocetur, malum privatum tolerari potest. „Et ideo Christus ludam non repulit a comunione, ut daret exemplum tales peccatores occultos non esse ab aliis sacerdotibus expellendos" (*S. Thomas* 3, q. 81, a. 2 ad 2).

298. *Excipitur sacramentum ordinis, a quo repelli potest etiam occultus peccator, ut ait conc. trid.:* „Ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo praelato ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius praelati voluntatem concessa licentia . . . suffragetur" (sess. 14 de reform, c. 1). Ratio est, quia, qui aggreditur bonum publicum, amittit eo ipso ius in bonum privatum, si sine huius laesione bonum publicum efficaciter defendi nequit. Numquam tamen uti licet notitia ex confessione habita.

299. *Similia valent pro assistentia parochi in matrimonio praestanda;* debet enim parochus secundum rituale rom. denegare assistentium iis, qui impedimento sunt ligati, et iis, qui nesciunt rudimenta fidei, cum ea filios docere debôant parentes, non autem propter quaelibet delicta occulta. Nequit igitur parochus banna proclamare eorum, quos scit vel impedimento vel ignorantia impeditos; quorum autem banna non proclamavit, eorum matrimonio assistere non debet; quo in procedendi

modo famae potest omnino parci. Ceterum res talis si accidat, ad episcopum erit deferenda (*De Lugo, De sacram, disp. 8, sect. 13. S. Alphons. I. 6, n. 54*).

300. *Occulte indigno occulte petenti sacramenta sunt deneganda, dummodo indignitas ne sola confessione nota sit. Praescribit rit. rom. de eucharistia: „Occultos peccatores, si occulte petant et non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem, si publice petant, et sine scandalo ipsos praeterire nequeat."*

Ratio est, quia nulla sequitur infamia neque ullum ex iis incommodis. quae cum publica denegatione sunt coniuncta; contra negatio sacramenti valet ad correctionem peccatoris. Occulta autem petitio habetur non solum, quando fit loco occulto, ut in confessionali, sed etiam, si fit loco patenti, ubi tamen nemo praesens est, coram quo diffamatio secutura sit. In confessione autem potest denegari absolutio etiam propter indignitatem, quae ex sola confessione indigni nota est.

301. *Requiritur autem ad negationem sacramenti moralis certitudo de indignitate. Omnis enim praesumitur bonus, quamdiu non probatur malus. Immo si agitur de moriente, qui melius praeparari nequit, omnis probabilis praesumptio dignitatis sufficit, ut sacramenta paenitentiae et extremae unctionis ei administrari debeant; nam in extremis omnia tentare, quae non sunt aperte irrationabilia, non est iniuriam irrogare sacramentis.*

302. *„Arcendi autem sunt publice indigni, sive palam sive occulte petunt, quales sunt excommunicati, interdicti manifesteque infames, ut meretrices, concubinarij, faeneratores, magi, sortilegi, blasphemi et alij eius generis publici peccatores, nisi de eorum paenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint" (Rit. rom., De euchar.).*

Publicus igitur peccator est, cuius indignitas vulgo constat sive notorietate iuris sive notorietate facti sive saltem sparsis rumoribus cum sufficientibus indiciis. Talis cum non iam fruatur bona fama, per repulsionem a sacramentis non amittit famam; contra, si admitteretur, irreverentia sacramento palam irrogaretur, et homines paterentur scandalum. Potest tamen accidere, ut eiusmodi homo famam firmiter servaverit in aliquo loco vel coram aliquibus hominibus, seu ut delictum sit respective publicum; unde tali loco vel coram talibus hominibus fama privari non debet. Quare si non tam clare constat eum famam amisisse coram plurimis hic et nunc praesentibus, dummodo multi praesentes sint, vel si generatim dubitatio exstat de publicitate criminis, potius danda quam deneganda sunt sacramenta, no odiosa fiant. Contra si crimen est notorium, non prius concedi possunt sacramenta, quam emendatio sit sufficienter notoria. Immo

si quis in publico habetur indignus, sacerdos non potest in publico ei dare sacramenta, licet privatim sciat eum non esse indignum. Generatim in similibus circumstantiis magna prudentia opus est.

Si quis vero accedit ad sacram communionem, occulte quidem indignus, sed eo animo, ut sacramento illudat vel eo ad malum finem abutatur, .etiam cum eius infamia possum et debeo negare sacramentum"; quia talis .positive vellet auferre honorem sacramenti atque adeo debet repelli etiam cum infamia tamquam iniustus aggressor; qui autem [solum] petit indigne, non vult positive inhonorare . . . peccat quidem, quia non exhibet tantum cultum, quantum deberet, nempe digne sumendo; haec tamen magis est negatio honoris debiti quam inhonoratio/ Ita card, *de Lugo* (De sacram, disp. 8, sect. 10, n. 176 179).

303. *Schol. 1. Potestne sacerdos licite administrare sacramentum indigno qui, nisi administret, minatur ei mortem?* Negative, cum in hoc casu administratio sacramenti adhibeatur ut medium ad conservandam vitam; non vero licet facere malum, ut eveniat bonum (*Denz.* n. 1489).

304. *Schol. 2. Licetne ad cavendam indignam susceptionem aliquando simulare sacramentum?* Negative. Simulatur sacramentum, quando ritus externus ita et ad hoc ponitur, ut omnibus videatur esse sacramentum, cum aliquid essenziale imperceptibiliter omittatur vel mutetur. Est autem talis agendi modus reapse abusus rerum sanctissimarum, irrisio Dei et Christi, cum minister se fingat vicarium Christi solum ad decipiendum; est mendacium in re gravi et interdum seductio ad idololatriam. Quare haec simulatio ab ecclesia stricte interdicitur. Ita docet *Innocentius III*: „Cum falsa sint reicienda remedia, quae veris sunt periculis graviora, licet is, qui pro sui criminis conscientia peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud [sacrificium missae offerendum], gravius tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illud praesumpsit simulare; cum ille in solius Dei misericordis manum incidat, iste vero non solum Deo, cui non veretur illudere, sed et populo, quem decipit, se adstringat" (*Denz.* n. 418). Damnata est ab *Innocentio XI* propositio haec: „Urgens metus gravis est causa iusta sacramentorum administrationem simulandi" (*Denz.* n. 1179).

Qui accedit ad confessionale non ad confitendum sed ad aliud negotium ibi agendum, item confessarius, qui orat et signum crucis facit super paenitentem, quem non vult absolvere, non simulat sacramentum; nam si quis videns has actiones indicat absolute ibi confici sacramentum, debet sibi adscribere, si decipiatur, cum notum sit has actiones fieri etiam ad alios fines.

SECTIO VI.
DE SUBIECTO SACRAMENTORUM.

ART. I.

QUIS SIT CAPAX RECIPIENDI SACRAMENTA.

Prop. XXVII. Subiectum capax recipiendi sacramenta eum effectum est solus homo viator; non tamen omnis homo est subiectum capax omnium sacramentorum.

305. *Solus homo est subiectum sacramentorum.* Sacramenta enim non esse puris spiritibus destinata tum inde constat, quod Christus ea tradidit ecclesiae, cui non subjacent puri spiritus sed homines, tum quod signa sensibilia non sunt media apta ad sanctificandos puros spiritus. Eucharistia igitur non dicitur „panis angelorum“¹, quasi angeli eam sumant, sed quia idem Christus, qui est cibus nostrae animae per sacramentum, est cibus angelorum per visionem beatificam. Num vero pro angelis potuerint institui signa spiritualia, quae vocanda sint vere sacramenta, nunc non quaerimus (cf. *Vazquez* disp. 128, c. 4).

Creaturae vero irrationales possunt quidem signa sensibilia in se recipere, sed sunt incapaces gratiae et characteris; quae cum essentialiter pertineant ad sacramenta, illae non possunt recipere sacramenta sacramentaliter. Sacramentalia autem iis applicari posse infra dicemus. Sacramenta igitur cum constant et ex sensibilibus et ex intellegibilibus, ad solos homines, quorum propria sunt intellegibilia in sensibilibus, pertinent. Ex quo fit, ut capacitas recipiendi sacramenta non tam physice quam moraliter consideranda sit.

306. *Ad homines, qui non iam sunt viatores, sacramenta non pertinent;* nam cum per sacramenta „omnis vera iustitia vel incipiat vel coepta augeatur vel amissa reparatur“ (*Conc. trid.* sess. 7, in prooem.), sacramentorum ii tantum possunt esse capaces, qui vel inchoationis vel augmenti iustitiae capaces sunt. Atqui neque beati neque damnati huius effectus sunt capaces. Ergo sacramenti subiectum non potest esse nisi homo viator². — Quod quidam haeretici dixerunt solos prae-

¹ Appellatio desumpta est ex Ps 77, 25 et Sap 16, 20, ubi sermo est de manna, quod Deus israelitis dedit in deserto (cf. Ex 16, 14; Nm 11, 7; Io 6, 31).

² Obici possint verba S. Pauli de baptismo *ἵνα ἡμεῖς ἵνα* (1 Cor 15, 29). At non constat, quid his verbis significetur. Nullus gravis interpres censuit secundum S. Paulum posse mortuos sacramentum baptismi suscipere vivis pro iis ritum sensibilem subeuntibus, sed aut dicunt S. Paulum loqui de supersticioso quodam ritu, aut interpretantur illud *ἵνα* „in communionem mortuorum et communem spem resurrectionis“. Quae interpretatio non est valde artificiosa, ut quibusdam videtur, et bouis auctoritatibus fulcitur.

destinatos esso capaces sacramentorum, sino fundamento affirmatur et est contra perpetuam doctrinam et praxim ecclesiae.

307. *Non quilibet homo est subiectum capax cuiuslibet sacramenti.* Quia de subiectis singulorum sacramentorum postea erit accuratius agendum, hic tantum pauca brevi conspectu proponenda videntur.

Baptismi igitur capax est omnis homo nondum baptizatus (Mt 28, 19. Mc 16, 15-16). Cum enim omnes homines in Adamo vitam supernaturalom amiserint, omnes ex aqua et Spiritu Sancto regenerari debent (Io 3, 5). Baptismus autem est ianua ad ecclesiam et ad alia eius sacramenta, quae a non-baptizato recipi nequeunt (*Denz.* n. 696), quia ad eum, qui non est membrum, vita capitis et corporis derivari nequit. Per baptismum vero statim homo fit capax recipiendi confirmationem et eucharistiam. Haec enim sacramenta cum sint ad confirmandam et nutriendam vitam spiritualem ecclesiae, ei omni et soli dari possunt, qui est membrum corporis ecclesiae. Sacramenta paenitentiae et extremae unctionis, cum essentialiter instituta sint ad delenda peccata, ab eo recipi nequeunt, qui numquam peccata commisit. Ergo pueri baptizati, qui nondum habent usum rationis, sunt quidem capaces recipiendi confirmationem et eucharistiam, non vero paenitentiam et extremam unctionem. — Matrimonium cum sit contractus, cuius obiectum est generatio prolis, ab iis iniri nequit, qui vel non possunt contractum facere vel sunt impotentes ad actum generationis. — Sacramenti tandem ordinis subiectum capax est solus mas baptizatus, etiam puer ante usum rationis. Ita *Bened. XIV* in bulla „Eo quamvis tempore“ (4 Maii 1745, § 20).

308. *Schol.* De obligatione suscipiendi sacramenta.

Capacitati recipiendi sacramenta respondent praecepta sive divina sive ecclesiastica, quibus sacramentorum usus iit necessarius aut necessitate medii aut necessitate praecepti. Omnis necessitas recipiendi sacramenta derivanda est ex voluntate Dei, quia, cum ante hanc voluntatem sacramenta non sint, obligatio circa illa nulla esse potest. Voluntas autem Dei sive mediate sive immediate potest sacramenta praescribere aut absolute propter eorum utilitatem, ut praeceptum est communicare semel in anno, aut condionate propter externum finem, e. g. ad superandam tentationem, ad vitandum scandalum etc. Iam si quod sacramentum ideo praeceptum est, quia effectus aliquis absolute necessarius ad aeternam salutem aliter obtineri nequit, haec necessitas dicitur medii, quae quidem in sacramentis semper supponit ordinationem divinam neque ex sola natura rei adesse potest.

Quando vero aliquis sacramentum necessarium hic et nunc re suscipere nequit, voto tamen sacramenti impetrare potest principalem effectum eius, i. e. collationem gratiae. Votum autem sacramenti est actus caritatis vel contritionis perfectae cum desiderio recipiendi

W'

r r

« .

r

H

r.
ti
i

ri
,

sacramentum. Dispositioni enim voluntatis, quao est in caritate vel contritione, in hoc ordine gratiae conaturaliter respondet collatio gratiae. Hic effectus aderat ante institutionem sacramentorum et post institutionem idem permansit; sed nunc caritas essentialiter desiderium recipiendi sacramentum includit saltem implicite et in actu exercito; nam qui perfecte diligit Deum, vult adhibere media salutis a Deo ordinata.

Est autem notandum in hoc casu effectum sacramenti non produci ex opere operato sed ex opere operantis. Propterea sola attritio numquam sufficit, neque poenae remissio semper eadem habetur ac in sacramento, neque producitur character; quare postea sacramentum potest aut etiam debet re suscipi.

Ceterum non possunt voto suscipi sacramenta ordinis et matrimonii, quia, sicut nemo fit sacerdos aut maritus eo, quod ordinari aut uxorem ducere cupit, ita non accipit alios effectus horum sacramentorum; nam cum haec sacramenta pertineant ad homines in certis statibus constitutos, sacramentales eorum effectus non recipiuntur, priusquam homines reapse in his statibus constituuntur. Alia vero sacramenta quia instituta sunt ad sublevandam necessitatem humanam, cui homo subiacere potest, quando sacramenta recipere non potest, ita ex benignitate Dei instituta sunt, ut possint per votum sui effectus quosdam conferre, sicut etiam passio Christi operabatur in vetere testamento quodammodo per votum sui, i. e. per fidem vivam, qua apprehendebatur (cf. *Suarez* disp. 8, sect. 1).

ART. II.

DE INTENTIONE SUSCIPIENDI SACRAMENTA.

Prop. XXVIII. Ad valorem sacramentorum in adultis requiritur intentio ea suscipiendi.

309. *In iis, qui numquam habuerunt usum rationis, nulla intentio requiritur.* Si enim requireretur, non possent ullum sacramentum valide suscipere; hoc autem est contra universalem et constantem doctrinam et praxim ecclesiae. Sicut tales homines sine propria voluntate sunt in peccato, ita etiam sine propria voluntate a peccato liberari possunt. Quod autem valet de infantibus, valet etiam de perpetuo amentibus (cf. *Denz.* n. 102 410 791).

310. *In adultis requiritur aliqua intentio ad valorem sacramentorum, i. e. saltem intentio sacramenti in confuso seu intentio recipiendi quod tradit ecclesia, et quidem intentio saltem aequivalenter absoluta, sicut supra explicatum est de ministro (n. 274). Nam in adultis omnis iustificatio fit „per voluntariam susceptionem gratiae et donorum“ (Cone. *trid.* sess. 6, c. 7). Ergo sine voluntatis concursu neque gratia.*

neque alia dona, quae cum gratia ex voluntate Dei nexa sunt, recipi possunt. Ergo homines se praeparare debent ad iustificationem, dum inter alia „proponunt suscipere baptismum" (1. c. c. 6. *Denz.* n. 798 799). Idem docent theologi vix non omnes cum *S. Thoma* (3, q. 68, a. 7). Et iam antea *S. Augustinus* (De bapt. contra donat. 1. 4, c. 24; M 43, 175): „Cum alii pro iis [parvulis] respondent, ut impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in evangelio dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter movet: Aetatem habet, ipse pro se loquatur" (Io 9, 21). Concordat praxis ecclesiae. Opinio vero *Caietani*, sufficere voluntatem neutralem", qua homo saltem non dissentit, „communiter reprobatur a doctoribus ... et signanter a SS. N. P. Benedicto XIV in instruet, de bapt." (*S. Alphonsus* 1. 6, n. 81).

311. Cum vero *non eadem intentio requiratur in omnibus sacramentis*, videndum est in tractatu de singulis sacramentis, quae intentio ad singula sit necessaria. Hic generatim notandum est minorem voluntatis concursum requiri in subiecto quam in ministro sacramentorum, quia actus subiecti non influit efficienter in sacramenti confectionem, sed est condicio praerequisita ad hoc, ut subiectum sit dispositum. Unde „certum est etiam apud omnes non requiri in suscipiente sacramenta intentionem actualem et virtualem, sed sufficere habitualement, i. e. aliquando habitam et non retractatam" (*S. Alphonsus* 1. 6, n. 81). Hoc clare docetur ab *Innocentio III*, cap. Mai. de bapt. (*Denz.* n. 411). Excipitur matrimonium, cuius suscipientes sunt etiam ministri, ergo debent saltem virtualem intentionem habere; et cum quadam modificatione idem dicendum est de sacramento poenitentiae.

ART. m.

DE FIDE ET PROBITATE SUBIECTI SACRAMENTORUM.

Prop. XXIX. Ad validam tantum sacramentorum susceptionem, excepto sacramento poenitentiae, neque probitas neque fides subiecti requiritur.

312. *Solus valor sex sacramentorum praeter poenitentiam non praesupponit ullam probitatem vel fidem.* Hoc efficitur ex definitionibus multorum conciliorum et pontificum docentium haereticos valide baptizari, confirmari, ordinari. Hoc sufficiente[^] constat ex Prop. XXI; nam ibi non agitur de solis ministris haereticis sed etiam de subiectis haereticis. „Supponunt ergo sacramentum susceptum sine vera fide et consequenter sine ulla supernatural! dispositione voluntatis esse validum" (*Suarez* disp. 14, sect. 2, n. 6). Diserte idem docet

S. Augustinus: „Si inter baptizatos aliquis existat, qui se fateatur malam, cum baptizaretur, habuisse conscientiam, quod per illam forte occasionem ad aliquod flagitium pervenire voluisset . . . denuo baptizandum esse censebitis? Nequaquam hoc dicturus, nequaquam facturus es. Baptismi ergo puritas a puritate vel immunditia conscientiae sive dantis sive accipientis prorsus distincta est“ (Contra litt. Petii. l. 2, c. 35, n. 82; *AI* 43, 288). Idem docet alibi de homine pertinaciter haeretico (Contra ep. Parm. l. 2, c. 16; *Af* 43, 77).

313. *Excipitur sola paenitentia*, quia hoc sacramentum requirit actus paenitentis aut ut materiam sacramenti secundum communioem opinionem aut saltem ut condicionem sine qua non. In aliis vero sacramentis subiectum non concurrat in ullo genere causae vel condicionis per bonos actus ad valorem sacramenti, quia sacramentum subsistere potest sine ulla bonitate ex parte subiecti. Hoc constat de sacramentis, quae imprimunt characterem; similiter de matrimonii vinculo; porro eucharistia est sacramentum permanens, ergo iam ante actus subiecti sacramentaliter praesens est et independenter ab his actibus praesens manet. Extrema vero unctio, quia eodem durante mortis periculo iterari nequit, sine dubio valide suscipi potest ab indigno; nam nisi esset valida, esset nulla et proinde repeti posset.

314. *Schol.* De reviviscentia sacramentorum.

Ex thesi efficitur posse hominem valide suscipere sacramentum et tamen carere fructu sacramenti, quia gratiae opponit obicem malae voluntatis. Si postea voluntatem corrigit et obicem removet, sacramentum dicitur reviviscere.

Reviviscentia igitur in eo consistit, quod sacramentum gratiam, quam hic et nunc non potest producere propter obicem in suscipiente, postea producit obice remoto. Licet enim sacramentum ipsum postea physice non iam existat, permanet tamen moralis exigentia, quae ex ritu valide applicato in hominem derivatur, et sic manet titulus quidam iuris ad gratiam recipiendam, cum primum obex removetur. Haec res nullam difficultatem habet in ea sententia, quae tribuit sacramentis causalitatem moralem.

Sacramentum baptismi valide sed propter defectum dispositionis cum fictione seu cum obice, i. e. infructuose, susceptum, sive id cum culpa factum est sive sine culpa, postea si per meliorem dispositionem obex removeatur, fructum suum ex opere operato producere theologo unanimiter docent. Ita *S. Augustinus:* „In illo, qui fictus accesserat, fit, ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione et veraci confessione purgetur, quod non posset sine baptismo, ut, quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit“ (De bapt. contra donat. l. 1, c. 12, n. 18; *AI* 43, 19; cf. l. 3, c. 13). Ita *S. Thomas* (3, q. 69, a. 10) aliique theologo, quos

citatur et sequitur *Suarez* (disp. 8, sect. 3). Secundum *Vazquez* (disp. 159, sect. 1, n. 6) et *De Lugo* (disp. 9, sect. 3, n. 22) „omnes scholastici” idem docent. (Cf. *S. Alphons.* 1. 6, n. 87.)

315. Immerito a quibusdam *Vazquez* dicitur contrarium docere. Solum enim dicit *duplicem esse modum, quo reviviscentia baptismi explicetur*, et utrumque esse probabilem. Unum esse commune scholasticorum, qui dicant baptismum ita reviviscere, ut ex opere operato conferat gratiam et auferat reatum omnem, qui fuerit ante baptismum. Hanc sententiam *Vazquez* dicit „commune et satis probabilem” (l. c. c. 4 ab init.). Sed vult „probabilem etiam esse interpretationem, quam Scotus adhibet, tametsi et praecedentem aliquo modo defendere Scotus et Gabriel contendunt”. Hi igitur „denegant baptismum, recedente fictione, remissionem alicuius culpae ex opere operato, hanc enim totam dicunt fieri virtute solius contritionis seu sacramenti poenitentiae remissionem fictionem, sed solam ei remissionem concedunt totius poenae etiam temporalis pro peccatis dumtaxat, quae ante baptismum et cum ipso commissa sunt” (l. c. n. 38). Negant autem scotistae Scotum umquam tale quid docuisse (*Bosco*, De sacram., sect. 6, n. 5 sq).

Haec Vazquesii explicatio admittenda non est, sed omnino dicendum in reviviscentia baptismi reatum sive culpae sive poenae, qui ante baptismum fuit, ex opere operato remitti. Hoc constat:

a) quia peccata ante baptismum commissa non possunt per sacramentum poenitentiae remitti; omnes autem docent tolli obicem baptismi per attritionem cum sacramento poenitentiae. Ergo in hoc casu per solam attritionem una cum baptismo explicanda est remissio reatus, qui fuit ante baptismum. Ergo si quis inculpabiliter baptismum suscipit cum obice et postea, antequam ullum novum peccatum mortale commisit, elicit actum attritionis, tolluntur peccata eius virtute baptismi.

b) Si verum est baptismum posse reviviscere quoad remissionem poenae temporalis, nulla est ratio, cur non possit etiam reviviscere quoad remissionem culpae.

c) Haec est sine dubio sententia S. Augustini, ut late ostendit card. *de Lugo* (De sacram., disp. 9, sect. 3, n. 23 sq).

316. *Quodsi quis post baptismum infructuose susceptum peccatum mortale commisit*, hoc delendum est contritione vel attritione cum sacramento poenitentiae. Quod quando fit, in eodem instanti, quo tollitur peccatum post baptismum commissum, peccata ante baptismum commissa virtute baptismi remittuntur. „Unde utrumque sacramentum concurrat ad remissionem omnium peccatorum; dicitur tamen baptismus concurrere indirecte solum ad remissionem eorum, quae commissa sunt post baptismum, quia dare Deum illam gratiam ad finem auferendi eiusmodi peccata non provenit ab exigentia baptismi sed sacramenti poenitentiae; sicut e contra Deus dat illam gratiam ad finem tollendi

peccatum originale et alia antecedentia baptismum propter exigentiam non paenitentiae sed baptismi. Quia tamen tota illa gratia et quilibet gradus opponitur aequae ex se omnibus peccatis mortalibus, utrumque sacramentum dicitur concurrere ad ea omnia remittenda vel directe vel saltem indirecte" (*De Lugo* l. c. sect. 4, n. 61).

Haec interim sufficiant ad explicandum conceptum reviviscentiae. Num autem et quomodo singula sacramenta reviviscere possint, nondum hoc loco explicandum est.

Prop. XXX. Ad sacramenta licite et cum fructu recipienda requiritur dispositio suscipientis adulti.

317. *Eos, qui numquam habuerunt usum rationis, posse sine ulla dispositione, ut cuius non sint capaces, sacramenta fructuose suscipere testatur universalis ecclesiae doctrina et praxis. Tales enim baptizari ecclesia non solum permittit, sed etiam praecipit.*

318. *In iis, qui habent usum rationis, ad fructuosam sacramentorum susceptionem ante omnia fides praesupponitur. Sine fide enim impossibile est placere Deo (Hebr 11, 6). Unde cum eunuchus Candacis reginae dixisset: „Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?“ respondit ei Philippus: „Si credis ex toto corde, licet“ (Act 8, 36 37). Fides igitur sive sine sacramento sive cum sacramento initium est omnis iustificationis (cf. Prop. X, schol. 1). Obiectum, quod hac fide saltem implicite credi debet, est omnis veritas revelata. Cum vero non omnia implicite tantum credi possint, sed necessario quaedam explicite credenda sint, potest quaestio fieri, quarum rerum fides ante susceptionem sacramentorum requiratur. Ad quam quaestionem respondetur in tractatu de fide divina (VIII, n. 459 sqq); hic sufficit dicere requiri ea, de quibus baptizandi interrogari debent iuxta rituale rom.*

Neque vero requiritur fides actualis, quando sacramenta suscipiuntur, sed sufficit in sacramento paenitentiae fides virtualis, in reliquis sacramentis habitualis, i. e. qui suscipit sacramentum, non debet eo momento, quo suscipit, actum fidei elicere, sed sufficit, si antea elicuit neque retractavit; in sacramento vero paenitentiae eatenus fides ad effectum sacramenti debet concurrere, quatenus ab ipsa contritione non potest seiungi. Quod autem valet de fide, similiter valet de spe. Nam S. Paulus praecise requirit fidem „ut sperandarum substantiam rerum“ (Hebr 11, 1) et fidem „Dei remuneratoris“ (ib. v. 6). Hinc „spe salvi facti sumus“ (Rom 8, 24).

319. *Qui vero peccata actualia gravia commisit, ante susceptionem sacramentorum debet paenitere. Quem enim peccasse non paenitet, is veniam et gratiam consequi nequit. Paenitentiam agite, et baptizetur unus-*

quisque vestrum“ (Act 2, 38). „Paenitemini et convertimini, ut de-
leantur peccata vestra“ (Act 3, 19). Ita docet *conc. trid.* sess. 6, c. 6:
«Disponuntur ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia et adiuti,
fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes
vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud im-
primis: a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem,
quae est in Christo Iesu, et dum peccatores se esse intellegentes, a
divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam
Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum
sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis iustitiae
fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata
per odium aliquod et detestationem, h. e. per eam paenitentiam, quam
ante baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere bap-
tismum, incohare novam vitam et servare mandata divina” (*Denz.*
n. 798).

320. Tandem ut licite quis suscipiat sacramenta, *liber esse debet ab
excommunicatione* et ab omni censura, qua susceptio huius sacramenti
interdicitur. Nam cum ecclesiae credita sunt sacramenta, is qui
contra ecclesiae prohibitionem sacramentum sibi arripit, peccat contra
religionem. Potest autem absolute aliquis censura esse implicatus,
licet sit in statu gratiae.

321. *Habitus infusi ante sacramenta mortuorum nulli requiruntur,*
quia in ipsa iustificatione peccatori infunduntur (*Conc. trid.* l. c. c. 7.
Denz. n. 800). Ad sacramenta vero vivorum praerequiritur status
gratiae, cum haec sacramenta instituta sint ad augendam gratiam.
Unde qui est in statu peccati mortalis, debet prius saltem actum
contritionis elicere; susceptioni vero eucharistiae debet etiam con-
fessionem praemittere (*Denz.* n. 880), excepto casu urgentis necessitatis.
Relate vero ad alia sacramenta de tali praecepto non constat.

322. *Qui scienter sine debita dispositione sacramentum aliquod sus-
cipit, grave sacrilegii peccatum committit.* Sacrilegium enim est in-
digna tractatio rei sacrae; res autem prae ceteris sacrae sunt sacra-
menta. Ergo sacramenta indigne tractare non solum est sacrilegium
sed etiam peccatum maximum in genere sacrilegii (*S. Thomas* 2, 2,
q. 99, a. 3). Itaque si iam est peccatum mortale indigne administrare
sacramenta, gravius peccatum est eadem indigne suscipere. Nam
indigna susceptione sacramenta suo principali fructu privantur, id
quod non fit ex indigna administratione (cf. *De Lugo*, De sacram, disp. 9,
sect. 1, n. 1). Quare *S. Paulus* de eucharistia monet: „Quicumque
manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus
erit corporis et sanguinis Domini. . . . Qui enim manducat et bibit
indigne, indicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Do-

mini® (1 Cor 11, 27 sq). Hoc cum quadam modificatione applicari potest ad singula sacramenta; nam in omnibus sacramentis secundum moralem valorem est et tractatur sanguis Christi; et insuper cum sacramenta moraliter sint actiones Christi, is qui indigne suscipit sacramentum, quodammodo Christum cogit, ut circa se actionem inutilem perficiat et signum ponat, quod vi institutionis significet hominem, cui applicatur, hic et nunc sanctificari, cum tamen significatio haec in eo, qui indigne sacramentum suscipit, plane falsa evadat.

Prop. XXXI. Ad licitam sacramentorum susceptionem praeterea requiritur, ut a debito ministro petantur.

323. *Nemo potest sacramentum licite petere ab eo, qui illud valide daturus non est*, tum quia invalida susceptio sacramenti est fictio quaedam in se mala, tum quia petendo sacramentum ab eo, qui fecte daturus est, eum inducit ad grave sacrilegii peccatum. Possunt praeterea accidere scandala et periculum haeresis aliaque mala.

Duplici autem modo potest hoc peccatum committi, sci. quando sacramentum petitur aut ab eo, qui nullam potestatem habet, aut ab eo, qui potestate non rite usus praevideatur, ita ut non conficiat sacramentum. Ergo duplex peccatum committit, qui petit absolutionem a sacerdote, quem scit iurisdictione carere, et similiter, qui vult ordinari ab episcopo haeretico, qui non solet servare substantialem ritum {*Suarez, De sacram, disp. 12, sect. 1, n. 1*).

324. *Non licet sacramentum petere ab eo, qui potestate sua omnino non potest licite uti.* Hoc accidit, quando minister quomodocumque publice et nominatim suspensus est ab administratione sacramenti sive per excommunicationem sive alio modo. Nam cum minister in hoc casu plane non possit administrare sacramentum sine peccato, is qui petit ab eo sacramentum, petit peccatum. Hoc autem est illicitum.

Excipitur casus necessitatis in articulo mortis, quando alius minister non adest, qui potest sacramentum administrare; dummodo absit periculum perversionis et simulatio haeresis. Ita docet *S. Augustinus*: „Si quem forte coegerit extrema necessitas, ubi catholicum, per quem accipiat [baptismum], non invenerit et in animo pace catholica custodita per aliquem extra unionem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa unitate catholica accepturus, si statim etiam de hac vita migraverit, non eum nisi catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum se catholicae congregationi etiam corporali praesentia reddiderit, unde numquam corde discesserat, non solum non improbamus, quod fecit, sed etiam securissime verissimeque laudamus | (De bapt. contra donat. l. 1, c. 2, n. 3; *M* 43, 110). Ita statuit *conc. trid.* sess. 14, c. 7: „Pie admodum, ne hac ipsa occasione

aliquis pereat, in ecclesia Dei custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet paenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt" (*Denz.* n. 903). Porro omnes theologi concedunt in casu extremae necessitatis licitum esse accipere baptismum et paenitentiam a ministro vitando, nisi alius adsit. Dat autem ecclesia hanc permissionem, quia non vult filios suos hora extremi periculi, quando de aeternitate agitur, praesidio sacramentorum necessariorum privari. Quamvis enim adultus per solam contritionem salvari possit, tutior tamen via salutis est per susceptionem sacramentorum. Num autem haec permissio extendenda sit etiam ad sacramenta minus necessaria, disputant theologi. Plurimi affirmant de viatico, quia, inquiunt, de hoc exstat praeceptum divinum, cui cedit praeceptum ecclesiasticum. Magis dubitatur de extrema unctione, excepto casu, quo alia sacramenta administrari non possint. Sacramenta autem ordinis et matrimonii vix in quaestionem veniunt nisi in extraordinariis circumstantiis, de quibus vide *Suarez* (De censur. disp. 11, sect. 1, n. 24), *S. Alphons.* (l. 6, n. 88).

Ratio, cur in extrema necessitate licite quis possit petere sacramenta a ministro per se vitando, haec est, quia sine peccato fieri potest. Esset enim peccatum aut propter ecclesiae vetitum aut propter malum ministri statum. Atqui ecclesiae vetitum cessat, et minister potest se per actum contritionis in meliore statu ponere. Quodsi non facit, ipsi imputatur, non ei, qui necessitate compulsus ministri auxilium petit.

325. *Ex rationabili causa licite sacramentum petitur a ministro, qui potestate sua potest licite uti, sed male usus praevidetur.* Hoc potest accidere, quando sacerdos aliquis scitur esse vel simpliciter in statu peccati mortalis vel etiam censura ligatus, sed non publice. Qui duo casus non distinguuntur. Nam *conc. constantiense* fidelibus simpliciter concessit communicationem in sacris cum haereticis toleratis. Ergo excommunicatio non publica hac in re non constituit novum impedimentum; sed tota quaestio ad hoc revocatur, num a sacerdote indigno liceat sacramenta petere. Ad hanc quaestionem *S. Thomas* (3, q. 82, a. 9) respondet: „Non omnes peccatores sunt per sententiam ecclesiae executione potestatis privati. Et sic, quamvis sint suspensi quantum ad se ex sententia divina, non tamen quantum ad alios ex sententia ecclesiae. Et ideo usque ad sententiam ecclesiae licet ab iis communionem accipere et eorum missam audire." Nam „quamdiu ab ecclesia toleratur in ministerio, ille, qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato eius, sed communicat ecclesiae, quae eum tamquam ministrum exhibet" (ib. q. 64, a. 7 ad 2). Hoc autem intellegendum est ita, ut in tali casu petere sacramentum non sit res ex natura sua et per se mala. Unde videndum est, quid requiratur, ut etiam hic et nunc non sit mala.

if

W<

ttu

a>

... 0
 ↓ i i

Actio enim ministri in casu supponitur mala, sed haec malitia est separabilis ab administratione sacramenti, quam suscipiens petit. Ergo petitio in se non est mala, quia non versatur circa malum obiectum. Per accidens autem is, qui facit, quod petitur, simul peccat, cum non peccaret, nisi alter peteret sacramentum. Unde ex bona petitione occasionem sumit faciendi malum seu accipit scandalum. Hoc autem scandalum non est datum sed solum acceptum. Tale scandalum nemo tenetur prohibere nisi secundum regulas caritatis, quae non obligant hominem ad omittendam actionem, ex qua alius propter suam malitiam scandalum sumit, nisi in quantum actio sine gravi incommodo omitti potest.

326. Ergo imprimis *non licet sine ulla ratione petere sacramentum a ministro peccatore*, ut docet S. Thomas (In 4, dist. 24, q. 1, a. 3, conci. 5 ad 3): „Quamdiu minister ecclesiae, qui est in mortali, ab ecclesia sustinetur, ab eo sacramenta recipere licet. . . . Sed tamen praeter necessitatis articulum non esset tutum, quod eum induceret ad aliquid sui ordinis exsequendum durante illa conscientia, quod ille in peccato mortali esset.” Quae doctrina ab omnibus theologis admittitur.

Quaeritur, *quae sit ratio sufficiens ad licite petendum sacramentum a ministro peccatore*. *Resp.*: Sufficit non solum moralis necessitas, ut implendi praeceptum confessionis et communionis vel adhibendi remedia contra periculum lapsus, sed etiam *quaelibet notabilis utilitas*, ut si quis se vult sacramento liberare a peccato mortali, vel si secus fructu sacramentorum diu caret, vel si aliter non potest lucrari iubilaeum vel alias indulgentias, tandem ob alias rationes similes et simpliciter graves (cf. Suarez, De sacram, disp. 18, sect. 1, n. 11; S. Alphons. 1. 6, n. 89).

Minor etiam ratio requiritur, ut quis licite petere possit sacramenta a ministro indigno, qui est petentis pastor proprius; nam cum pastor proprius ex iustitia teneatur dare sacramenta ovibus suis, non facile ob malitiam eius subditi debent iure suo privari. Immo quidam dicunt in hoc casu sine ulla limitatione licitum esse petere sacramenta, quamvis alius minister adsit (cf. Suarez 1. c. n. 5). Hoc tamen rectius negatur, quia caritas semper postulat, ut vitetur occasio ruinae proximi, quamdiu sine difficultate vitari potest.

Similiter *facilius peti potest sacramentum a ministro, qui iam paratum se exhibet ad illud administrandum*, quam ab eò, qui invitari debet; quia minor est cooperatio, etiam mere materialis, ad peccatum proximi. Immo ut quis accedat ad sacram communionem, quam sacerdos peccator iam distribuit, nulla opus est specialis ratio: quia etiam ii, qui docent talem distributionem esse peccatum mortale, tamen plerumque concedunt esse unum tantum. Ergo quia per singulas distributiones non fit novum peccatum, ille, qui accedit, non praebet occasionem peccandi (S. Alphons. 1. c.).

327. *Qui sine rationabili causa petit sacramentum a ministro indigno, committit grave peccatum contra caritatem.* Praeterea si minister est notorie indignus, potest accedere ratio scandali pro aliis, periculum perversionis etc.

Ceterum si minister non est palam sed occulte indignus, non solum licita sed etiam praescripta esse potest petitio vel susceptio sacramenti, si quis praeter morem abstinendo peccatum sacerdotis manifestaret. Hoc tamen nostris temporibus non tam facile accidet, quia lex recipiendi sacramenta a sacerdote proprio iam universaliter relaxata est.

Tandem quilibet homo et a fortiori minister publicus sacramentorum tamdiu praesumitur bonus, quamdiu non probatur malus. Ergo quamdiu indignitas sacerdotis non est moraliter certa, non adesse censenda est. Neque subditorum est inquirere in vitam pastorum suorum, ut sciant, utrum sint digni an indigni ministri, sed ius eius, qui ecclesiae auctoritate constitutus est minister, praevalet, donec manifeste apparet eum hoc ius amisisse.

APPENDIX.

DE SACRAMENTALIBUS.

Prop. XXXII. Sacramentalia sunt vel caerimoniae sacrae ab ecclesia institutae vel res ab ecclesia ad pium fidelium usum benedictae.

328. In Prop. XIX diximus Christum non determinasse materiam et formam sacramentorum usque ad infimam speciem, sed ita, ut servata substantia possint alii et alii ritus in sacramentorum administratione adhiberi. Hi igitur *ritus, quos in sacramentorum administratione ecclesia observat, vocantur sacramentalia*, i. e. res pertinentes ad sacramenta. Sacramentalia enim proxime referuntur ad reverentiam sacramentis (et sacrificio) conciliandam et mediantibus his ad sanctificationem fidelium et cultum Dei. Inveniuntur autem sacramentalia ex omnibus categoriis: substantiae, ut quod debet aqua vino misceri; quantitatis, ut trina infusio aquae; qualitatis, ut quod panis debet esse azymus; relationis, ut quod minister debet speciali modo deputari; temporis et loci, ut dies festi et templa; habitus, ut vestimenta sacra; situs, ut genuflexio; actionis et passionis, ut cantus et alapa in confirmatione accepta. Possunt tamen omnes ad actiones revocari, in quantum sunt circumstantiae in sacris actionibus observandae; et sic sacramentalia sunt actus externi a virtute religionis imperati.

329. *Vtilitas* talium caerimoniarum a *conc. trid.* ita describitur: „Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis ex-

ferioribus ad rerum divinarum meditationem tolli, propterea pia mater ecclesia ritus quosdam, ut sci. quaedam submissa voce, alia vero elatiore in missa pronuntiarentur, instituit. Caerimonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus multa, ex apostolica disciplina et traditione, quo et maiestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur (sess. 22, c. 5; *Denz.* n. 943). Simili modo loquitur *catech. rom.* de caerimoniis sacramentorum (P. 2, c. 1, n. 18).

Utilitas ergo sacramentalium in eo est, a) quod per ea sacramentorum dignitas commendatur; b) quod conferunt ad sancta sancte tractanda; c) ut sacramentorum virtus magis explicetur; d) ut membra ecclesiae distinguantur ab haereticis, qui caerimonias ab ecclesia praescriptas non observant.

330. *Instituta sunt sacramentalia non a Christo ipsout* iam vidimus (n. 103 sqq 220). Ecclesia enim sibi ius tribuit ea abrogandi et immutandi. Potest confirmari secundo ab auctoritate negativa, quia neque ex Scriptura neque ex Traditione constat Christum Dominum eiusmodi caerimonias instituisse. Quin potius dogma est receptum ab omnibus theologis Christum in lege nova nulla praecepta praeterquam

* Fortasse a re alienam non erit hunc conceptum institutionis a Christo factae paulo magis explicare. Itaque sensu stricto a Christo institutum est, quod actu voluntatis Christi ita in perpetuum praeceptum est, ut per nullam auctoritatem humanam abrogari vel mutari possit, ut e. g. ecclesia vel sacrificium missae. Latiore sensu a Christo institutum dici potest, quod Christus nulli quidem homini praecepit, sed quod vel verbis vel exemplo aliquo modo commendavit. Hac ratione Christus dici potest instituisse ieiunium quadraginta dierum, formulam orationis dominicae, lotionem pedum, quamvis nemo vi positivi praecepti divini obligetur ad servandum ieiunium quadraginta dierum vel ad recitandam orationem dominicam vel ad pedes alteri lavandos (cf. De lege div. posit. V, n. 553; De virt. theol. VII, n. 461). Tandem latissimo sensu a Christo institutum dici potest, quidquid ex iis, quae Christus instituit, quadam conaturalitate profluit. Sic e. g. conaturaliter fit, ut ecclesia potestatem a Christo acceptam eiciendi daemones per quosdam ritus externos exercent. Unde exorcismus potest dici institutus a Christo, quia est a Christo quantum ad potestatem, non quantum ad determinatum ritum. Iam negantes sacramentalia instituta esse a Christo negamus institutionem primo modo intellectam, qua abrogatio vel mutatio ritus instituti subtrahatur potestati ecclesiae.

Porro aliquid ab ecclesia abrogari vel mutari non potest duplici modo, aut quia obstat positivum praeceptum divinum, aut quia obstat lex naturalis vetans, ne fiat abrogatio vel mutatio sine utilitate, immo cum detrimento boni publici. Ob hanc rationem ecclesia non potest e. g. abrogare observantiam diei dominicae vel alia, quae ita in usuin populi christiani transierunt, ut ex eorum abrogatione vel mutatione scandalum et perturbatio generalis oriretur. Hoc autem loco quando negamus ecclesiae potestatem abrogandi et mutandi ritum aliquem, eam tantum abrogationem et mutationem respicimus, cui obstat lex divina positiva.

Omnia, quae ab ecclesia fiunt, vim et efficaciam habent a Christo et mediate ad eum referuntur, hic autem quaeritur de causa immediata sacramentalium.

fidei et sacramentorum dedisse. . . . Hoc etiam pertinuit ad perfectionem legis evangelicae. In vetere enim lege, quia erat lex servitutis magis consistens in exterioribus oneribus quam in interiore gratiae spiritu, plurimae caerimoniae fuerunt divina institutione traditae ac praeceptae; at vero lex nova est lex gratiae et spiritus; et ideo solum in ea tradidit Christus, quae ad gratiam obtinendam sunt necessaria media vel utilia instrumenta; reliqua vero ecclesiae suae disponenda commisit" (*Suarez, De sacram, disp. 15, sect. 3, n. 2*).

331. *Ecclesia igitur potestatem habet sacramentalia instituendi.* Hoc iam indicatur in S. Scriptura, ubi S. *Paulus* loquens de ritu in dispensatione eucharistiae servando dicit: „Cetera autem, cum venero, disponam" (1 Cor 11, 34). Et Sanctus quidem *Augustinus* putat apostolum tunc dedisse legem eucharistiam non administrandi nisi ieiunis (Ep. 54 ad Ianuar. c. 6, n. 8; *M* 33, 203). Alii SS. Patres multas caerimonias enumerant, quas partim ab apostolis, partim postea institutas esse dicunt. Ita S. *Iustin. M.* (Apol. I c. 61-65; 6, 419-427); *Tertullian.* (De bapt. c. 1; *M* 1, 1206); S. *Basil.* (De Spiritu Sancto 1.1, c. 27, n. 67; 32, 191) multique alii; saepissime vero S. *August.* (cf. *Suarez* l. c. n. 3). Apostolorum igitur praxim secuta est ecclesia, quae sibi hanc potestatem semper attribuit. Tandem *conc. trid.* hanc rem declaravit contra haereticos.

Ergo ecclesia potest materiam et formam et ministros sacramentalium assignare et ea, quae instituit, abolere et mutare. Ecclesia autem hic intellegitur auctoritas ecclesiastica, i. e. imprimis summus pontifex et dein singuli episcopi pro ratione potestatis hac in re ipsis concessae. Nulla vero nostris temporibus est potestas episcoporum circa caerimonias, quae universali lege toti ecclesiae praescriptae sunt. Quaecumque ad praxim sacramentalium pertinent, habentur in rituali rom. et caerimoniali episcoporum.

332. Praeter eas caerimonias, quae administrationem sacramentorum respiciunt, ecclesia etiam alia quaedam instituit, quae *extra sacramentorum administrationem a fidelibus ad pios usus adhibeantur.* Hae igitur res vocantur sacramentalia, tum quia quandam cum sacramentis similitudinem prae se ferunt, tum ut hoc nomine ab ipsis sacramentis distinguantur. Priscis enim temporibus haec omnia sacramenta dicta sunt \ sed quia facile ex similitudine nominis res ipsae confundi poterant, rebus diversis significandis diversa quoque imposita sunt nomina. S. *Thomas* hos ritus vocat „sacra“ vel „sacramentalia" (1, 2, q. 108, a. 2 ad 2; 3, q. 65, a. 1 ad 8), posteriores vero theologi „sacramen-

1 *Hugo Vici*, ea „sacramenta minora" appellat, in quibus etsi principaliter salus non constet, tamen salus ex iis augetur, in quantum devotio exercetur* (De sacram. 1. 2, P. 9, c. 1: *M* 176, 471).

alia (*Suarez* disp. 15, sect. 1, n. 1 4). Immo nunc fere sacramentalia vocari solent ii tantum ritus, qui extra sacramenta adhibentur, cum ii ritus, qui in sacramentorum administratione adhibentur, caerimoniae vocari soleant.

Sacramentalia a Patre *G. Arendt* ita *definiuntur*: «Signa ad cultum Dei externum legitime instituta, quibus ecclesia Christi tamquam instrumentis utitur ad ceteros effectus superuaturales in sua ordinaria potestate contentos, praeter proprium sacramentorum propriumque sacrificii effectum, fidelibus impertiendos (*Analecta eccl.*, Romae 1898, 44, vel in libro *De sacramentalibus*, Romae 1900, 7). Quae quidem definitio vera est et ab auctore apte explicatur et defenditur. Videtur tamen paulo intricatior et diffusior. Brevius fortasse dici potest: *Sacramentalia sunt signa sacra ab ecclesia adhiberi solita ad fidelibus impertiendos fructus impetrationis ecclesiasticae*. Id tantum notandum est, vocem impetrationis hic intellegi eo modo, quo supra (n. 146) diximus sacramenta esse obiectivam petitionem. Sicut in sacramentis adest significatio voluntatis Christi, ut rite suscipientes ea accipiant effectum sacramentis significatum, ita in sacramentalibus adest petitio ecclesiae, ut effectus sacramentalibus significatus a Deo producat, sive hic effectus est expulsio daemonum sive consecratio aliqua sive aliud bonum spirituale vel temporale a Deo obtinendum. Etiam tum, cum ecclesia in sacramentalibus potestate sua utitur (quod sine dubio in quibusdam sacramentalibus, ut in consecrationibus et benedictionibus, fit; cf. *Analecta eccl.* 1899, 82 sq), non ipsa immediate effectum producit, sed aliquid facit, cuius intuitu Deus operatur. Omnis autem talis actio recte dici potest petitio vel impetratio, quae dividitur in meram supplicationem et exigitivam impetrationem.

Si quae vero actio sacra est, quae nullo modo significat bonum fidelibus conferendum sed e. g. solam segregationem alicuius rei ab usu profano, haec actio potius non est numeranda inter sacramentalia, quia deest analogia cum sacramentis, quippe quae immediate significant bonum spirituale fidelibus conferendum.

333. *Quot sint sacramentalia*, dici nequit, quia eorum numerus cotidie augeri vel minui potest. Solent tamen ad sex genera reduci, quae hoc versu exprimuntur: «Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens. „*Orans* indicat orationem dominicam [cf. *S. August.*, *Enchir.* c. 71; *Af* 40, 265. Aliter *Billuart*, *De sacram.* diss. 7, a. 4] et ceteras preces, praesertim publicas [seu nomine ecclesiae factas]; *tinctus* aspersionem aquae lustralis et sacras in diversis consecrationibus unctiones; *edens* manducationem esculentorum, quae a sacerdote benedicuntur; *confessus* confessionem generalem, quae fit in distribuenda sacra communione, necnon in missa et officio; *dans* eleemosynam praesertim et quidquid ex praecepto virtutis et ecclesiae tribuitur; *benedicens* benedictionem

[papae,] episcopi, abbatis, sacerdotis, item benedictiones candelarum, cinerum, palmarum etc.“ (*Schuetz*, Theol. dogm. III, ed. 5, 622 sq; cf. *Haine*, Theol. sacram. 511 sq).

Quoad hanc divisionem quaedam observanda sunt. Non omnia, quae hic enumerantur, simpliciter inter sacramentalia referenda videntur, ut oratio dominica et eleemosyna. Nam haec duo independenter ab interventione ecclesiae non aliam habent efficaciam nisi orationis et bonorum operum, quibus homo specialiter disponitur ad accipiendam remissionem peccatorum, quia veniam peccatorum precari et aliis misericordiam exhibere movet Deum ad veniam dandam et misericordiam tribuendam, et hoc est, quod Deus in S. Scriptura revelavit. Sic etiam efficaciam horum operum SS. Patres explicant. Neque vero oratio dominica vel eleemosyna, quomodocumque honeste facta, ritus sacer seu signum sacrum dici potest et consequenter sic neque ad sacramentalia proprie dicta pertinet. Aliud autem est, si haec publice et ex ecclesiae ordinatione fiunt, quia sic signa sacra fieri possunt.

Lotio pedum addi potest illi enumerationi, non quia Christus eam ut caerimoniam sacram instituit (nam Christus apud Io 13 solummodo verbo et exemplo commendavit exercitium humilitatis; supra n. 97). sed quatenus ab ecclesia in reverentiam exempli Christi inter sacros ritus recepta est (quem ritum abolendi ecclesia habet perfectam potestatem).

Consecratio chrismatis, in quantum ex praecepto Christi instituta censenda est, non est sacramentale, prout nunc de sacramentalibus loquimur, sed pars essentialis sacramenti confirmationis, ad quod requiritur materia non quaelibet sed consecrata. Similiter dicendum de materia extremae unctionis. In quantum vero chrisma vel oleum benedictum ex ecclesiae ordinatione ut signa sacra fidelibus adhibentur, omnino sunt sacramentalia.

Itaque tuto negari potest et melius negatur haec, quae modo enumeravimus, esse sacramentalia a Christo instituta, prout sacramentalia a sacramentis distinguuntur, et potius retinenda videtur communissima doctrina theologorum sacramentalia non esse a Deo vel a Christo instituta sed ab ecclesia. Hoc etiam valet de formulis exorcismi; nam Christus, etsi ecclesiae dedit potestatem eiciendi daemones, non tamen ullos ritus instituit, quibus specialis vis expellendi daemones inesset.

Quia tamen de hac re neque definitio conciliorum neque constans traditio exstat, liberum est cuivis aliter opinari.

334. *Dividi possunt sacramentalia in actiones*, ut est e. g. confessio generalis, et *res*, ut sunt numismata, aqua benedicta etc.; dein in benedictiones reales et personales, prout aut res aut personas pro objecto habent; porro in exorcismos et benedictiones, prout proxime

<1

*ti
i«S]] !
Hi

IV

W
{Vⁿ}
1«:

tir. :

JWi 1 |

W

.i

«*1

M

; |.

aut eiectionem daemoniacae potestatis aut impetrationem alicuius boni spectant; tandem in consecrationes et benedictiones invocativas seu simplices, prout res benedictae aut a reliquis rebus in usum ecclesiasticum segregantur aut in usu et vita cotidiana pie usurpari possunt (cf. *Analecta eccl.* 1898, 47 sq).

Prop. XXXIII. Sacramentalia neque gratiam sanctificantem producant neque alias gratias conferunt ex opere operato sed per modum impetrationis ecclesiae.

335. *Sacramentalia non producant gratiam sanctificantem ex opere operato.* Nam si hanc producerent, non differrent a sacramentis, quippe quae sint signa efficacia gratiae. Cum vero supra (Prop. XVIII) probatum sit ecclesiam non posse sacramenta instituire, constat sacramentalia ab ecclesia instituta non esse efficacia gratiae. Haec igitur res est omnino certa et indisputata apud theologos catholicos (*Suarez* disp. 15, sect. 4, n. 3).

336. *Num vero sacramentalia alias gratias possint conferre ex opere operato, disputant theologi. Alii affirmant.* Ita *Bellarminus*, postquam enumeravit ut effectus sacramentalium: morborum curationem, daemonum expulsionem, peccatorum venialium remissionem, haec ait: "Probabile est posse ecclesiam instituire eiusmodi caerimonias ad eosdem effectus per applicationem meritorum Christi, ita ut ex opere operato illos effectus producant, quomodo sacramenta ex opere operato iustificant. Christus enim meruit sine dubio ecclesiae suae non solum gratiam et gloriam sed etiam omnia alia beneficia, quae illi utilia esse possunt. Et quidem ad gratiam et iustificationem impii consequendam instituit ipse sacramenta ... ad alia beneficia minora reliquit ecclesiae potestatem, ut instituat signa, quibus applicentur ipsius merita. Ita quidam disputant, sed non est hoc usque adeo certum" (De sacram. 1. 2, c. 31, prop. 3). Similiter loquuntur de remissione peccati venialis *Dorn. Soto* (In 4, dist. 15, q. 2, a. 3) et alii (cf. *Lacroix* 1. 6, p. 1, n. 321).

337. *Alii autem hoc negant, et haec est sententia communior.* Ita *Suarez* (1. c. n. 5), *De Lugo* (De paenit. disp. 9, sect. 4, n. 59), *S. Alphons.* (1. 6, n. 92). Eandem sententiam negativam *Coninck* his rationibus probat: Ecclesia, sicut non potest signa efficacia gratiae sanctificantis instituire, quia solus Deus potest hanc gratiam conferre, ita non magis potest instituire signa efficacia gratiarum aliarum, quas etiam solus Deus potest dare. Assertionis autem: Deum dedisse hanc potestatem ecclesiae, nullum est fundamentum. Secundo constat sacramentalia effectum suum non producere infallibiliter, ut experientia constat. Atqui quae sunt efficacia ex opere operato, quantum ex se

effectum infallibilem habent. Tertio ecclesia in benedicendis sacramentalibus numquam utitur verbis assertivis sed deprecatoriis tantum, ut ostendat se totum effectum a divina misericordia per preces suas exspectare (De sacram, q. 71, a. 3, n. 28 sqq).

338. *Habent tamen sacramentalia specialem efficaciam praeter eam, quae iis communis est cum omnibus bonis operibus.* Nam si totus valor eorum reducendus est ad opus operantis, non apparet, cur non omnia bona opera externa dicenda sint sacramentalia. Cum igitur ab omnibus fidelibus et ab ipsa ecclesia sacramentalibus specialis quaedam virtus adscribatur, videndum est, in quo haec virtus consistat.

Nihil autem inveniri potest, quo sacramentalia ab aliis bonis operibus distinguantur, nisi *preces ecclesiae*, quibus Deus rogatur, ut iis, qui sacramentalibus utuntur, speciales gratias largiatur. Hae enim preces cum Deo sint specialiter acceptae, propter eas Deus gratias dabit, quas alias daturus non est. Quae tamen preces non infallibilem effectum habent; „aliquando enim iustis de causis Deus non concedit universaliter ea, quae ab ecclesia petuntur (De Lugo, De paenit. disp. 9, sect. 4, n. 63. Suarez disp. 15, sect. 4, n. 7. S. Alphons. l. 6, n. 93). Hinc in sacramentalibus inest virtus aliqua independens a merito eius, qui iis utitur, et secundum hanc negativam partem convenit iis efficacia ex opere operato. Sed quia haec efficacia ad opus operantis ecclesiae reducitur, non debet sacramentalibus simpliciter attribui efficacia ex opere operato. (Cur autem preces ecclesiae non habeant infallibilem effectum, vide S. Thom. 2, 2, q. 83, a. 15 ad 2.) ..Unde communiter docent theologi sacramentalia agere tantum per modum causarum occasionalium, non vero tamquam causas efficientes; videlicet occasione applicationis sacramentalium Deus ipse pios motus excitat; ad id autem non determinatur per vim aliquam, quae in ipsis permanenter resideat, sed per preces, quibus antea postulavit ecclesia produci data occasione effectum" (Migne, Curs. theol. XX, ed. 2, 1551 nota).

Prop. XXXIV. Quae sit singulorum sacramentalium specialis efficacia, tum ab eorum natura tum ab intentione ecclesiae pendet.

339. *Non omnia sacramentalia eundem habent effectum.* Quamvis theologi soleant quaerere, quosnam effectus habeant sacramentalia, tamen sensus huius quaestionis est indefinitus, sci. non quaeritur, num omnia et singula sacramentalia tales producant effectus, sed num sit unum vel alterum inter illa, quod talem effectum habeat. Nam cum virtus sacramentalium derivanda sit ex oratione ecclesiae, sacramentalia aliam efficaciam habere nequeunt, quam quae ab ecclesia petitur. Ergo maxime ex his orationibus discendum est, ad quid sacramentalia valeant.

III-lit !

It? I

340. *Quaedam sacramentalia vel potius caerimoniae nullam specialem efficaciam ex oratione ecclesiae habent.* Talia sunt, quae simpliciter adhibentur ad cultum divinum aut sine ulla benedictione, ut candelae non benedictae et varia ornamenta, aut cum benedictione, qua tamen non postulatur aliquis specialis fructus. Talis est e. g. benedictio vasorum pro sacris oleis includendis: „Exaudi, Pater clementissime, preces nostras: et haec purificanda vasa, ecclesiae tuae sacri ministerii usui praeparata, benedicere et sanctificare digneris. Per Christum Dominum nostrum. Amen (in app. *rit. rom.*, ed. ratisb. 1884, p. 96). Tales igitur res et benedictiones solum valent ad maiorem reverentiam sacramentis conciliandam, quatenus ea, quae cum iis aliquo modo cohaerent, ut res sacrae ab ecclesia tractantur. Ideo, ut iam dictum est, hae res non sunt sacramentalia sensu presso sed latiore, quatenus sunt res pertinentes ad sacramenta et generatim ad cultum divinum.

341. *Alia vero benedicuntur cum postulatione specialium effectuum.* Ita in benedictione aquae lustralis orat ecclesia: „Deus, qui ad salutem humani generis maxima quaeque sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto propitius invocationibus nostris et elemento huic multimodis purificationibus praeparato virtutem tuae benedictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens ad abigendos daemones morbosque pellendos divinae gratiae sumat effectum, ut, quidquid in domibus vel in locis fidelium haec unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa; non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens, discedant omnes insidiae latentis inimici; et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, adspersione huius aquae effugiat atque discedat, ut salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita ab omnibus impugnationibus sit defensa (*Rit. rom.* p. 249 sqq). Varios igitur sacramentalium effectus possumus distinguere.

342. *Sacramentalia habent vim expellendi daemones.* Constat enim ex tractatu de angelis (III, n. 408 sqq) non solos homines sed etiam creaturas irracionales multis modis daemonum infestationibus vitiari. De tentationibus, obsessionibus et similibus daemonum operationibus sacrae litterae saepe loquuntur. Sanctus vero *Paulus* docet omnem creaturam esse vanitati subiectam, non volentem sed per maledictum Dei, quod ei propter peccatum hominum inflictum est; et sic „omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc" et est in „servitute corruptionis" (Rom 8, 20 sq). Quidquid autem est sub maledicto, est quodammodo extra regnum Dei et sub potestate diaboli (1 Cor 5, 5. Act 26, 18); consequenter omnis creatura, quae est sub maledicto, est etiam sub potestate diaboli, qui rebus abutitur ad nocendum hominibus, ut e. g. patet ex libro Tobiae. Propterea SS. Patres pestilentias, grandines, turbines, famem aliasque id genus plagas

irae daemonum adscribunt (*Probet, Sakramente und Sakramentalien, Tübingen 1872, 33 sqq.*).

Contra has igitur daemonum impugnationes ecclesia adhibet tum exorcismos tum alia sacramentalia, quae, si abstrahimus a merito ipsius ministri, triplici modo efficaces contra daemones esse possunt. Supponimus hanc sacramentalium efficaciam esse tantum moralem, quia sine ullo fundamento affirmaretur sacramentalia physice aliquid posse in daemones. Ergo: a) *daemones naturaliter horrent mysteria fidei*, quibus se victos esse sciunt; ideo viso signo crucis et audito nomine Iesu aliisque similibus torquentur et fugiunt; b) *ecclesia oratione impetrat fugam daemonum*, quia, sicut omnem aliam gratiam, ita etiam hanc propter sanctitatem suam a sponso suo Christo facile impetrat; ecclesia etiam videtur c) *habere specialem potestatem imperandi daemonibus*. Cum enim talem potestatem ministris suis det in ordinatione exorcistarum, videtur plus intellegere quam solam facultatem rogandi Deum, ut ipse abigat daemones. Cum tamen Deus possit iustas habere causas prohibendi in aliquo casu expulsionem daemonis, haec potestas non est absolute efficax (*Suarez disp. 15, sect. 4, n. 14*). Haec omnia facile colliguntur ex iis, quae ecclesia praescribit pro exorcismis, sci. ut minister sit morum integritate commendatus, ut ieiunium cum oratione coniungat, ut reliquias, stolam, crucis signum adhibeat, ut in nomine Dei daemones praecipiat etc. (*Hit. rom. p. 359 sqq. Cf. S. Thom. 2, 2, q. 90*).

343. *Sacramentalia liberant a peccatis et poenis peccatorum.* Ita enim ecclesia orat e. g. in benedictione novae crucis: ut hoc signum Acaelesti tua benedictione sanctificare digneris, ut omnibus hic genu flectentibus ac tuae Maiestati supplicantibus largior et cordis compunctio et admissorum indulgentia concedatur" (*Hit. rom. p. 91*). Ex his autem verbis apparet ecclesiam petere remissionem culpae et poenae rogando fidelibus bonum motum compunctionis. Neque vero possunt peccata gravia et poena aeterna remitti nisi per sacramenta. Ergo per sacramentalia petit ecclesia, ut remittantur peccata venialia et poenae temporales. Haec est doctrina *S. Thomae*: «Benedictio episcopalis, aspersione aquae benedictae, quaelibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia dedicata, et si qua alia sunt eiusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum ... in quantum inclinant ad motum paenitentiae, qui est detestatio peccatorum vel implicite vel explicita (3, q. 87, a. 3c et ad 1; cf. q. 65, a. 1 ad 6 et q. 83, a. 3 ad 3). — Praeterea potest ecclesia sacramentalibus indulgentias adnectere, et ita per potestatem clavium a temporali poena liberare; sed tunc remissio non fit per ipsum sacramentale. (Cf. *Analecta eccl. 1899, 36 sqq.*)

344. *Tandem sacramentalia valent ad impetrationem bonorum temporalium.* Bona enim temporalia a Deo petit ecclesia praesertim, quando

benedicit res ad communem vitae usum inservientes. Ita in benedictione novae domus rogat „de rore caeli abundantiam et de pinguedine terrae vitae substantiam in benedictione agrorum, „ut fructus, quos aëris et pluviae temperamento nutrire dignaris, benedictionis tuae imbre perfundas, ut fertilitate terrae esurientium animas bonis affluentibus repleas“ (cf. *Thomas Waldensis*, De sacramental, c. 167 sq; *Probst* 1. c. p. 62 sq).

Prop. XXXV. Sacramentalia quaedam ex praecepto observari, omnia cum reverentia tractari debent.

345. *Ii ritus, qui pro sacramentorum administratione praescribuntur, strictae obligationis sunt.* Nemo enim potest negare ecclesiam habere potestatem talia praescribendi; et ex altera parte constat ecclesiam stricta circa hanc rem praecepta imposuisse. Hoc patet ex *rituali rom.*, in quo varia verbis strictam obligationem enuntiantibus praecipuntur. Nam dicitur: „Sacramentorum . . . ritus hoc opere praescribuntur“ (tit. 1, n. 17). „Cum ad hoc [baptismi] sacramentum conferendum alia sint de iure divino absolute necessaria, ut materia, forma, minister; alia ad illius sollemnitatem pertineant, ut ritus ac caerimoniae, quas ex apostolica et antiquissima traditione acceptas et approbatas nisi necessitatis causa omittere non licet . . .“ (tit. 2, n. 2), et alia similia de aliis sacramentis. — *Conc. trid.* sess. 7, can. 13 de sacram, definit: „S. q. d. praeceptos et approbatos ecclesiae catholicae ritus in sollemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni aut sine peccato a ministris prohibitu omitti aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, A. S.“ (*Denz.* n. 856). — Immo iam in vetere ecclesia caerimoniae sub gravi obligatione impositae, et ii, qui obediere noluerunt, a communione fidelium reiecti sunt (cf. *Bellarmino*, De sacram. 1. 2, c. 31). — *Ratio* est, quia, si caerimoniarum observatio esset plane libera, nullus ordo, nulla uniformitas in ecclesia existere potest. Quare ne ipsi quidem haeretici omnibus caerimoniis carere potuerunt, sed solum in odium ecclesiae alias introduxerunt (cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 93, a. 1).

Ex his patet grave peccatum esse omittere caerimoniae ab ecclesia in administrandis sacramentis praescriptas, nisi materiae levitas excuset. Quae vero sit materia gravis, quae levis, tum ex obiecto tum ex verbis praecepti tum ex fine ecclesiae pendet.

346. *Cetera sacramentalia, quae non pertinent ad administrationem vel susceptionem sacramentorum, ecclesia libero fidelium usui relinquit.* Nemo igitur tenetur ad ea usurpanda. Peccare quis circa ea potest aut contemptu aut irreverenti tractatione. Ergo qui ea irrideret aut diceret eorum usum esse superstitiosum et rationali homine indignum

et eiusmodi alia, sane peccaret. Si cui tamen particularis tantum aliquis ritus non placeret, non statim reus censendus est peccati, qui talem ritum reprehenderet, dummodo ne pertinaciter loqueretur contra ecclesiam. Nam possunt quidam ritus paulatim minus apti fieri pro temporum mutatione; quam ob rem ipsa ecclesia interdum quosdam ritus abrogat novosque inducit. In tractandis vero sacramentalibus attendendum est, ad quem finem benedicantur. Ita aqua lustralis potest effundi in agros, domos etc., ut Deus iis benedicat. Similiter esculenta quaedam benedicuntur, non solum ut hominibus sed etiam ut brutis prosint. Ergo talia dare animalibus non est prohibitum. Item aqua lustrali uti ad sedandam sitim vel candela benedicta ad illuminandum cubiculum non est peccatum, quia tales res ecclesia non vult absolute usui profano subtrahere (S. *Alphons.* l. 6, n. 94). Haec res multum a morali aestimatione pendet, et in omnibus vitandum est scandalum. (Quoad totam doctrinam de sacramentalibus praeter ea, quae iam allegata sunt, cf. *Franc. Schmid*, Die Sakramentalien, Brixen 1896.)

M

««

Z:

Si-I i
g H
I

I

48

TRACTATUS II. DE BAPTISMO

PRAENOTANDA.

347. „Ex iis quidem, quae hactenus de sacramentis universe tradita sunt, cognosci potest, quam necessarium sit ad christianae religionis vel doctrinam percipiendam vel pietatem exercendam ea intellegere, quae de illorum singulis credenda catholica ecclesia proponit" (*Catech. rom.* P. 2, c. 2, n. 1). Cum igitur aggressuri simus tractatus de sacramentis in specie, notandum est secundum easdem fere categorias singula sacramenta considerari posse, quas antea ad sacramenta in genere adhibuimus. Sed ordo horum capitum non idem semper seruari potest; nam existentiam alicuius sacramenti si probaverimus, eo ipso ostensum habebimus Christum esse talis sacramenti institutorem, cum nullum sit in nova lege sacramentum nisi a Christo institutum. Praeterea quaedam in his tractatibus quaerenda sunt, quae non adeo spectant ad sacramenta in genere, ut est e. g. necessitas sacramentorum. Haec enim varia est in variis sacramentis. Contra quaestio de numero sacramentorum ad solum tractatum de sacramentis in genere pertinere potest.

Itaque in tractatu de sacramento baptismi agemus:

- Sectione I. De existentia et essentia baptismi.
- , II. De effectibus baptismi.
- „ III. De necessitate baptismi.
- „ IV. De subiecto baptismi.
- , V. De ministro baptismi.
- „ VI. De caerimoniis baptismi.

SECTIO 1.

DE EXSISTENTIA ET ESSENTIA SACRAMENTI BAPTISMI.

ART. I.

DE EXSISTENTIA BAPTISMI.

Prop. XXXVI. Baptismus est verum novi testamenti sacramentum.

348. *Nomen* baptismi et baptizandi, quod generatim significat lotionem, in S. Scriptura adhibetur tum sensu proprio tum sensu metaphorico. Et sensu quidem proprio significat lotionem sive profanam sive sacram (2 Esr 4, 23. Idt 12, 7. Mc 7, 4. Lc 11, 38. Hebr 9, 10). Sensu metaphorico significat vel malorum copiam (Mc 10, 38. Lc 12, 50) vel bonorum largam donationem (Act 1, 5). Usu vero ecclesiastico nomen baptismi significat illud sacramentum, quo homo lotione aquae et pronuntiatione formulae: „Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti“, mundatur ab omni reatu culpae et poenae et fit membrum mystici corporis Christi; seu brevius: „Est sacramentum regenerationis per aquam in verbo“ (*Catech. rom.* P. 2, c. 2, n. 5). Haec est *definitio metaphysica* per genus et differentiam; *physice* vero consideratus baptismus definiri potest: ablutio aquae sub explicita invocatione SS. Trinitatis.

Praeter nomen „baptismi“ et in S. Scriptura (Eph 5, 26. Tit 3, 5) et apud SS. Patres alia quoque nomina huic sacramento induntur, et quidem apud graecos scriptores nomen *φωτισματο* (illuminationis), apud latinos vero tinctionis (*Tertull.*) maxime in usu sunt (de nominibus graecis cf. *Greg. Naz., Orat.* in sancta lum. n. 17 sqq; *N* 36, 353, et *Clem. Alex., Paedag.* 1. 1, c. 6; *M* 8, 281) L

Baptismum esse verum novae legis sacramentum omnes, etiam haeretici (exceptis unitariis), admittebant. Quare quidam theologi de hac re ne thesim quidem statuunt. Nostra aetate multi protestantes negant baptismum esse sacramentum a Christo institutum.

1 De appellatione *σφραγίδα* cf. *Fr. I. Dülger*, Sphragis. Eine altchristliche Taufbezeichnung, Paderborn 1911, 70 sqq.

349. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Christus dicit: Ἐάν μη τι γεννηθή ε ὕδατο και πνεύματο , ου δυνατοί εισελδέϊν ει την βασιλείαν του ιεροῦ (Io 3, 5). Qui textus explicandus est secundum ea, quae postea ab apostolis iussu Christi fieri videmus, qui sci. baptizabant aqua, ut hoc ritu homines mundarent a peccatis et reciperent in ecclesiam (Act 2, 38 41; 8, 36; 10, 47). Ergo apostoli habuerunt mandatum Christi ad litteram exsequendi id, quod Christus Nicodemo in regno suo futurum esse dixerat. Consequenter verbum aquae in sermone Christi secundum sensum proprium accipiendum est. Itaque quod *Calvinus* dixit per aquam hic metaphorice significari ipsum Spiritum Sanctum, ab omnibus exegetis et catholicis et protestantibus merito ut falsum reicitur. Verbum autem πνεύματο , quamvis per se sit ambiguum, tamen in contextu habet determinatam significationem; nam nasci vel regenerari ex Spiritu numquam habet alium sensum nisi regenerari ex Spiritu Sancto (cf. Tit 3, 5. Gal 4, 5 6. Rom 8, 9). Ergo recte Vulgata vertit: «nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto". Qui natus est ex Spiritu Sancto, dicitur spiritualis (πνευματικό), i. e. talis, qui virtute Spiritus Sancti aliam omnino vitam agit, atque agere posset virtute proprii spiritus (Rom 7, 18 sqq; 8, 26. Gal 5, 16 sq. 1 Cor 2, 14 sq). Quare baptismus Christi conferri dicitur in Spiritu Sancto (Mc 1,8. Mt 3, 11. Lc 3, 12 16. Io 1, 26 33. Act 19, 2 sqq). Ergo sensus verborum Christi est: Ut quis recipiatur in regnum meum, debet per aquam ut causam instrumentalem et per Spiritum Sanctum ut causam principalem regenerari ad vitam supernaturalem gratiae. Alii textus (Mt 28, 19. Mc 16, 16) non indigent expositione ad probandam hanc thesim. Cf. supra n. 29 118 119 145 146 205; infra n. 382.

350. *Arg. 2.* Ex SS. Patribns.

SS. Patres non solum obiter de hac re locuti sunt, sed longos tractatus et integros libros de hac re scripserunt. Ut saltem nonnulla afferamus, in epist. *Barnabae* (c. 11, n. 11) legimus: „Descendimus quidem in aquam pleni peccatis et sordibus; emergimus autem fructificantes in corde timorem et in spiritu spem in Iesum habentes/ In *Doctrina duodecim apostolorum* (c. 7) haec habentur: «Quod baptismum attinet, ita baptizate: Haec omnia dicentes baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, in aqua viventi [i. e. fluenti]. Nisi autem habeas aquam viventem, in alia aqua baptiza; nisi potes in frigida, [baptiza] in calida. Sin neutram habes [ad immergendum], effunde in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti." Modum baptizandi describit *Iustinus M.* (Apol. I c. 61; *M G*, 419 sqq). *Tertullianus* librum composuit «De baptismo adversus Quintilianum", qui incipit: «Felix sacramentum aquae nostrae, qua abluti delictis pristinae caecitatis in vitam aeternam liberamur" (*M* 1, 1197). Copiosissime vero de baptismo egerunt *S. Ambrosius*, De myst. (.V 16),

Art. 1. De existentia baptismi. Prop. XXXVI. Schol. 1.

et (ipse vel alius) tribus primis libris De sacramentis (ib.), et *S. Augustinus* variis tractatibus contra donatistas; inter graecos *S. Basilius* (Horn. 13 de baptismo; *M* 31, 423sqq), *Greg. Naz.* (Or. 40 de bapt.; *Jf* 36, 359), *CyriU. Hieros.* (in Catechesibus passim et praecipue in secunda mystagog.; *M* 33). *Scholastici* de baptismo agunt in 4 dist. 3 etc. vel in 3, q. 66 etc. Cf. supra n. 30 88 121 143 147 161 184 sq 216.

351. *Artj.* 3. Ex conciliis.

Concilia primorum saeculorum non tam existentiam baptismi quam eius necessitatem contra haereticos definiverunt, ut *milevit. II* can. 2 (*Denz.* n. 102). Posterioribus saeculis *conc. florent*, docuit: „Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis ianua est; per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur ecclesiae. Et cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua et Spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum caelorum introire⁸ (*Denz.* n. 696). *Conc. trid.* sess. 7, can. 3, de bapt.: „S. q. d. in ecclesia romana, quae omnium ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam, A. S.“ (*Denz.* n. 859).

352. *Schol.* 1. Quo tempore sacramentum baptismi sit institutum,

Cum Christus post resurrectionem suam apostolis mandatum dedit: „Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti⁸ (Mt 28, 19), luce clarius est ipsum per se sacramentum baptismi instituisse. Sed quaeri potest, utrum tum demum instituerit an iam antea.

Respondent multi cum 5. *Thoma*: „Tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum. Hanc autem virtutem accepit baptismus, quando Christus est baptizatus. Unde tunc vere baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum sacramentum⁸ (3, q. 66, a. 2). „Propter infinitam virtutem Christi ex contactu carnis suae vis regenerativa pervenit non solum ad illas aquas, quae Christum tetigerunt, sed ad omnes ubique terrarum per omnia futura saecula⁸ (3, q. 78, a. 5)¹. Obiciunt alii hoc non posse admitti, quod neque baptismus, quem Christus tunc suscepit, baptismus

¹ Alio loco ait: „Multiplex fuit baptismi institutio. Fuit enim primo institutus quantum ad *materiam* in baptismo Christi. Tunc enim vim regenerativam aquis contulit. Et aliquo modo fuit *forma* figurata per praesentiam trium personarum in signo visibili. . . . Et similiter *fructus* baptismi ibi praefiguratus est, quia caeli aperti sunt super eum. Sed *necessitas* eius fuit declarata lo 3, 5. . . . Sed *usus* fuit in-cobatus, quando misit discipulos ad praedicandum et baptizandum, ut patet Matth. 10. Sed *efficaciam* habuit ex passione Christi quantum ad ultimum effectum, qui est apertio ianae. Sed *divulgatio* eius quantum ad omnes nationes praecepta fuit Matth. ult., 19, ubi dixit: Euntes docete omnes gentes etc/ (In 4, dist. 3, q. 1, a. 5, sol. 2).

Christi fuerit, sed Ioannis; neque Christus tunc qua legislator sacramentum instituerit, sed potius paenitentis personam, aliena peccata in se suscipientis, gesserit, cum sacramenti institutio necessario supponat actum legislatoris. Ita *Wirceburgenses* (De bapt. n. 11). Explicat autem *Suarez*: hanc sententiam asserentem Christum instituisse sacramentum baptismi, quando ipse baptizatus est, non esse in hoc rigore intellegendam . . . ut [baptismus] ex tunc haberet suam significationem et virtutem . . . sed tunc indicatam esse materiam et formam huius sacramenti et paulo post tempore opportuno vel facto vel verbis vel utroque simul tradidisse Christum hanc institutionem" (De sacram, disp. 19, sect. 2, n. 4). Haec explicatio sine dubio admitti potest; nam SS. Patres saepe docent Christum tunc aquae vim sanctificandi tribuisse, ut ait *S. Ambrosius*: „Baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutae per carnem Christi, quae peccatum non cognovit, baptismatis ius haberent" (In Luc. 1. 2, n. 83; *Ji* 15, 1583; cf. *S. Chrysostomus*, In Matth. hom. 12, n. 3; *M* 57, 206). Mundatio aquae non intellegenda est qualitas aquae indita sed destinatio aquae, ut in futurum esset materia sacramenti. Praeterea apparitio Trinitatis in baptismo Christi adumbratio quaedam fuit formae sacramentalis.

Sed manifestum est hoc modo nondum responsum esse ad quaestionem, quo tempore institutio proprie dicta sacramenti facta sit (cf. *S. Thom.* 3, q. 73, a. 5 ad 4).

353. *Alii* igitur putant baptismum institutum esse, quando Christus Nicodemo dixerit: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.“ Ita *Estius* (In 4, dist. 3, § 11). Sed haec sententia admittenda non est, quia fieri nequit, ut legislator legem det in privato colloquio cum homine privato; ad legem enim requiritur debita promulgatio. Ergo Christus potius censendus est instruxisse Nicodemum de iis, quae in regno suo futura erant.

354. *Quidam* dicunt Christum instituisse baptismum iam ante passionem suam, quando primo miserit discipulos suos ad baptizandum; exactum autem tempus ignotum esse. Ita *Scotus* (In 4, dist. 3, q. 4): „Discipuli Christi ante passionem Christi baptizabant (Io 3, 26; 4, 2). Convincitur ergo tempus institutionis fuisse ante illud tempus, quo discipuli Christi baptizabant, licet praecise hora institutionis non legatur in evangelio.⁶ Similiter *Biel* (In 4, dist. 3, q. unie., a. 3, dub. ult.). Consentunt *Suarez* (disp. 19, sect. 2, n. 1), *Wirceburg.* (n. 11 in fine), alii. Cui sententiae possumus acquiescere; nam revera determinatum tempus institutionis nusquam indicatur; ex altera autem parte videtur satis certum Christum iam ante passionem suam baptismum instituisse. „Aliqui moderni censent hoc esse dogma fidei; non tamen ita censeo . . . solum est haec sententia probabilior et Scripturis conformior et

communis theologorum" (*Suarez* 1. c. sect. 1, n. 4). Rationes pro hac sententia sunt, quia baptismus, quem discipuli Christi administrabant, certe non erat Ioannis baptismus, ut patet tum ex querela discipulorum eius, tum ex responso Ioannis (Io 3, 25 sqq); neque fuit tertius aliquis baptismus et a Ioannis baptismo et a nostro sacramento distinctus, quia hoc gratis fingitur; et quia Christus non aliter praedictus erat baptizaturus nisi in Spiritu Sancto, et ipse paulo ante Nicodemo de hoc tantum baptismo locutus erat. Praeterea non videtur supponendum Christum fecisse apostolos sacerdotes et dedisse iis sacram eucharistiam, antequam essent baptizati. Haec est doctrina S. Augustini et aliorum Patrum, quos citat Suarez (1. c.).

355. Tandem *alii* dicunt baptismum non esse institutum nisi post resurrectionem Christi, cum Dominus diceret apostolis: „Euntes docete omnes gentes baptizantes. ...” Ita *Alexander Hal.* (In 4, q. 12, membr. 3, a. 1), *Canus* (De loc. 1. 8, c. 5), alii, et provocant ad plures SS. Patres. Ratio est, quam affert *Tertullianus*: Baptismus Christi „dari non poterat utpote nondum impleta gloria Domini nec instructa efficacia lavacri per passionem et resurrectionem, quia nec mors nostra dissolvi posset nisi Domini passione, nec vita restitui sine resurrectione ipsius” (De bapt. c. 11; *M* 1, 1212). Sed responderi potest Christum potuisse iam ante passionem merita sua caelesti Patri per sacramenta offerre ad hominum salutem, sicut revera antea instituit eucharistiam, etsi sacramenta ante Christi ascensionem nondum poterant actualiter aperire ianuam caeli. Apud Mt 28, 19 Christus dedit apostolis mandatum etiam gentes baptizandi, cum usque ad id tempus non baptizassent nisi iudaeos (cf. *Zeitschr. für kathol. Théologie* XXIX, Innsbruck 1905, 53 sqq).

356. *Schol. 2.* De baptismo Ioannis.

Cone. trid. sess. 7, can. 1 de baptismo definivit: „S. q. d. baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, A. S.” (*Denz.* n. 857). Quae definitio est contra doctrinam Lutheri, Calvini, Zwinglii affirmantium utrumque baptismum eiusdem fuisse efficaciae. Contrarium autem clare efficitur ex S. Scriptura; nam Ioannes baptizabat in aqua, Christus autem baptizat in Spiritu Sancto (Mt 3, 11. Mc 1, 8); unde qui solum Ioannis baptismum susceperant, debebant iterum in nomine Christi baptizari (Act 19, 4 5). Ex Act 19, 4 quidam concludunt Ioannem baptizasse hac formula: „Ego vos baptizo in eum, qui venturus est post me.” Hoc quidem est incertum, sed plane evidens est ex illis verbis S. Pauli baptismum Ioannis non habuisse efficaciam ex opere operato efficiendi id, ad quod Christi baptismus institutus est. „Quaero itaque, si baptismo Ioannis peccata dimittebantur, quid amplius praestare potuit baptismus Christi iis, quos apostolus Paulus post baptismum Ioannis Christi baptismo voluit

baptizari?6 (*S. August.*, De baptism, contra donat. l. 5, c. 10; *M* 43, 183; cf. *Tertullianus*, De baptism, c. 10; *Chrysostomus*, Horn. 12 in Matth., n. 2; in Actus hom. 40, n. 2; *Patrizi*, De evang. l. 3, diss. 43, n. 42). Baptismus igitur loannis simili modo sicut ablutiones sacramentales in vetere testamento (Hebr 9, 10) erat signum paenitentiae de peccatis et spei in Messiam venturum.

Ad quaestionem autem, *num baptismus loannis fuerit sacramentum*, respondet *S. Thomas*: „Baptismus loannis non erat per se sacramentum sed quoddam sacramentale disponens ad baptismum Christi, et ideo aequaliter pertinet ad legem Christi, non autem ad legem Moysi6 (3, q. 38, a. 1 ad 1; cf. *Bellarminus*, De baptism, c. 19).

ART. II.

DE ESSENTIA BAPTISMI.

Prop. XXXVII. Materia remota valida baptismi est omnis et sola aqua naturalis, materia autem licita baptismi sollemnis est aqua ad baptizandum consecrata et decenter munda.

357. *Aqua naturalis* dicitur, tum ut indicetur aqua vera, i. e. sensu proprio et non metaphorico intellecta, tum ad exclusionem aliorum liquorum naturalium, qui ab hominibus neque habentur neque dicuntur aqua, ut sunt sanguis, vinum etc., tum in oppositione ad varios liquores artificiosos, qui quidem dicuntur aqua sed cum addito, ut aqua rosacea et eiusmodi. Sequitur ^materiam sive elementum huius sacramenti esse omne naturalis aquae genus, sive ea maris sit sive fluvii sive paludis sive putei aut fontis, quae sine ulla adiunctione aqua dici solet6 (*Catech. rom.* P. 2, c. 2, n. 7); ergo etiam aqua ex pluvia, rore, nive, glacie collecta, similiter aquae minerales; porro etiam aqua impura, dummodo alienae res in parva quantitate admixtae sint. Quo magis autem aliae materiae admixtae sunt, eo magis dubia fit materia.

Inter veteres *haereticos* manicbaei et quintilliani aqua omnino uti nolebant ad sanctificandos homines; nostris diebus varii haeretici putant aquam non esse de necessitate baptismi.

Pars I. Materia valida est omnis et sola aqua.

358. *Arg. I.* Ex S. Scriptura.

Christus Dominus aquam materiam huius sacramenti indicavit (Io 3, 5), et apostoli hac materia et non alia usi esse leguntur (Act 8, 36; 10, 47). Sanctus vero Paulus docet typum huius sacramenti fuisse transitum maris rubri, qui in figura factus est nostri baptismatis (1 Cor 10, 2 6), quatenus iudaei quidem in Moyse baptizati sunt in nube et mari, i. e. transeuntes per mare rubrum et sequentes nubem lucidam, signum Dei praesentis, exierunt ex ser-

vitute aegyptiaca in libertatem populi Dei et in Moysen baptizari sunt, i. e. se devoverunt legi mosaicae; christiani autem per aquam baptismi transeunt ex servitute diaboli in regnum Christi et in Christum baptizantur, i. e. Christi servitio devoventur. Sanctus vero Petrus aliam baptismi figuram assignat diluvium, in quo „octo animae salvae factae sunt per aquam; quod (= quae, propter graecum ὕδωρ) et vos nunc similis formae salvos facit baptismus (8 *v. ai vμá ἀντίτυπον νυν σώζει βάπτισμα*) (1 Petr 3, 20 sq). Sicut enim aqua tunc portabat arcam, ne illi octo diluvii undis mergerentur, ita nunc aqua baptismi homines salvos facit ex perditione peccati. His autem clare significatur aquam esse materiam baptismi. Praeterea apud prophetas (Is 55, 1. Ez 47, 2; cf. 36, 25. Zach 13, 1) haec aqua sanctificationis praedicitur.

359. *Arg. 2.* Ex SS. Patribus.

Patrum testimonia iam quaedam audivimus in thesi praecedenti, ut ex „Doctrina duodecim apostolorum“. Similiter in epist. *Barnabae* legimus: „De aqua quidem scriptum est ad israelitas, quomodo baptismum, qui affert peccatorum remissionem, non sint recepturi, sed alium sibi paraturi“ (c. 11, η. 1). *TertuU.*: „Nos pisciculi secundum *IXΘΓΝ* nostrum Iesum Christum in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus“ (De baptism, c. 1; *M* 1, 1198). — *S. Augustinus*: „Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquae in verbo. Tolle aquam; non est baptismus“ (In Io. tr. 15, n. 4; *M* 35, 1512). Cf. Pastor *Hermae*, Similit. 9, c. 16; *S. Iustin.*, Apol. I n. 61 (*M* 6, 422); vulg. *Ambros.*, De sacram. 1. 1, c. 3 4 (*M* 16, 420); *S. Cyrill. Hier.*, Cat. myst. 2, c. 4 (*M* 33, 1079).

„U“

360. *Arg. 3.* Ex definitionibus et praxi ecclesiae.

Doctrina nostra traditur ab *Innocentio III* (*Denz.* n. 412) et a *cone, lateran. IV* (*Denz.* n. 430). Porro in decreto *Eugenii IV*: „Materia huius sacramenti est aqua vera et naturalis, nec refert, frigida sit an calida“ (*Denz.* n. 696). Tandem *conc. trid.* definivit: „S. q. d. aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, A. S.“ (*Denz.* n. 858).

Concordat praxis ecclesiae orientalis et occidentalis, quae elucet ex libris ritualibus (cf. *Denz.*, Rit. orient. I 14 sq 191 sq).

36L *Arg. 4.* Confirmatio ex ratione.

Ratio, cur Christus huic sacramento assignaverit aquam ut materiam, est duplex: a) quia ablutio aquae, qua corpus mundatur, est signum aptissimum purgationis animae a peccatis; praeterea sicut aqua refrigerat, ita baptismus concupiscentiam mitigat; aqua sedat

sitim corporalem, baptismus spiritualem. Denique aqua est aptissima materia ad repraesentandam sepulturam, qua vetus homo cum peccatis suis sepelitur, ut novus resurgat (Coi 2, 12). Cf. S. Thom. 3, q. 66, a. 3.

Ex his significationibus maxime prima tam nota est, ut non solum apud iudaeos inveniatur «aqua lustrationis" (Nm 8, 7 ἱικεη ·')» aqua peccati, i. e. aqua ad tollenda peccata) sed etiam apud gentiles, ut refert Tertullianus: «Nationes extraneae ab omni intellectu spiritualium potestatum eadem efficacia idolis suis subministrant, sed viduis aquis sibi mentiuntur. . . . Villas, domos, templa totasque urbes aspergine circumlatae aquae expiant passim ; certe ludis apollinaribus et eleusinis tinguntur. Itaque se in regenerationem et impunitatem periuriorum suorum agere praesumunt. Item penes veteres, quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat. Igitur si de sola natura aquis, quod propria materia sit in auspicia emundationis, blandiuntur, quanto id verius aquae praestabunt per Dei auctoritatem, a quo omnis natura earum constituta est" (De baptism, c. 5; M 1, 1204). Cf. Dollinger, Heidentum und Judentum 197 216 533.

b) Quia baptismus est omnibus necessarius, electa est materia obvia et communis {Catech. rom. P. 2, c. 2, n. 10}.

Pars II. Materia licita baptismi sollemnis est aqua ad baptizandum consecrata et munda.

362. Constat ex lege ecclesiastica: «Aqua sollemnis baptismi sit eo anno benedicta in sabbato sancti paschatis vel sabbato pentecostes, quae in fonte mundo nitida et pura diligenter conservetur" {Rit. rom.}. Hunc vero ritum benedicendi aquam baptismalem esse antiquum patet eo quod etiam in ecclesiis orientalibus servatur {Denz., Rit. orient. I 202 233 274 sqq}. Idem constat ex doctrina «S. Basilii (De Spir. S. c. 27 ; M 32, 191) et aliorum Patrum (cf. Probst, Sakram. 74 sq).

Ob Basilii et aliorum quorundam Patrum de benedictione aquae baptismalis doctrinam nonnulli innuunt hanc benedictionem illis Patribus visam esse essentialem. Ita Touttaeus in S. Cyrilli Hieros. catech. 3, n. 3: «Eodem accedit multorum Patrum doctrina, qui adeo benedicendi fontis necessitatem urgent, ut ea re praetermissa nullam in baptismalibus aquis sanctificandi vim agnoscere videantur." Addit tamen hoc non esse nimis premendum, cum eodem modo SS. Patres interdum de ritibus manifeste accidentalibus loquantur. Similiter Pourrai, La théologie sacram. 53 sq.

Dicendum est SS. Patres non raro considerare totum complexum rituum alicuius sacramenti ut aliquid unum et ex iis hoc modo acceptis argumentari. Ita ex benedictione fontis efficitur secundum fidem catholicam non aquam nude consideratam sed solum ex praesentia Spiritus Sancti sibi adiuncta valere ad purgandas animas. Ergo ex

verbis benedictionis logice colligitur praesentia Spiritus Sancti, non tamen iis ontologice fit aqua efficax ad purgandam animam.

Usus erat primitivus baptizandi in fluminibus vel in mari, ergo in aquis non habentibus benedictionem episcopalem (cf. supra n. 350; infra n. 368). Potius communis est doctrina Patrum Christum baptismo suo omnem aquam sanctificasse ad regenerationem spiritualem efficiendam (supra n. 121 352).

S. *Basilius* in libro de Spiritu Sancto (c. 27, n. 66; *M* 32, 187 sq) distinguit dogmata et praedicationes, quae in S. Scriptura leguntur, et alia, quae „in mysterio [i. e. sine scripto] data ex apostolorum traditione recepimus". Inter haec alia enumerat signum crucis, consuetudinem precandi facie ad orientem versa, preces eucharisticas; dein pergit: „Benedicimus autem et aquam baptismatis et oleum unctionis, immo ipsum etiam, qui baptismum accepit. Ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque traditione? Ipsam vero olei unctionem quis sermo, scripto proditus, docuit? Iam ter immergi hominem unde haustum? Reliqua autem, quae fiunt in baptismo, velut renuntiare satanae et angelis eius, ex qua Scriptura habemus?" Hoc est totum, quod de necessitate benedicendi aquam dicit. In capite vero 15, ad quod etiam provocant, nihil dicit nisi aquam esse in baptismo imaginem, gratiam vero effici per Spiritum Sanctum. „Itaque si qua est gratia in baptismo, non est ex ipsius aquae natura, sed ex Spiritus praesentia" (*M* 32, 131).

Idem effert S. *Gregorius Nyss.*: „Hoc beneficium non aqua largitur (esset enim omni creatura sublimior) sed Dei praeceptum et accessus Spiritus, qui mystice ad nostram liberationem venit. . . . Quare non contempnas divinum lavacrum, neque id tamquam commune propter usum aquae parvi facias. Nam id quod operatur [qui operatur Spiritus Sanctus] magnum est, et ab ipso mirabilia fiunt, quae perficiuntur." Illustrat hoc consecratione altaris, eucharistiae, sacerdotum (In bapt. Christi; 46, 285).

S. *Cyrillus Hieros.* ait: „Ne huic lavacro tamquam nudae et simplici aquae attende, sed ad gratiam Sancti Spiritus, quae una cum aqua datur, specta. . . . Aqua simplex Spiritus Sancti et Christi et Patris invocationem percipiens, vim sanctitatis acquirit" (Catech. 3, n. 3; *M* 33, 430). Haec obvio sensu de forma baptismi intelleguntur, neque quicquam dicunt de necessitate alicuius benedictionis. In eadem catechesi n. 9 ait: „Sanctificavit baptismum Iesus, quando ipse baptizatus est. Si Filius Dei est baptizatus, equis baptismum poterit salva pietate contemnere?" (Af 33, 442.)

In „Constitutionibus apostolorum" (7, 43, 5) indicatur formula ad benedicendam aquam, nihil dicitur de eius necessitate. Videtur vero in sequenti capite doceri, sine unctione chrismatis cum sua invocatione baptismum non valere; quae est doctrina falsa (cf. ed. *Funk* p. 451).

S. *Cyprianus* in epistulis de bapt. 70 sqq (//766 sqq) solum docet ab haereticis non posse aquam sanctificari, ut et ipsa vim sanctificandi accipiat. Non ideo putavit aquam ab episcopo catholico benedictam continere in se virtutem regenerationis. Secus debuit dicere haeticorum baptismum, tali aqua collatum, esse validum, a qua sententia multum abfuit.

S. *Ambrosius* quidem loquens de benedictione aquae baptismalis, ait: „Aqua sine praedicatione dominicae crucis ad nullos usus futurae salutis est; cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lavacri et salutaris poculi temperatur" (De myst. c. 3, n. 14; *M* 16, 393). Sensus est: aqua ex natura sua non potest salutem efficere, sed haec efficacia ad eam a cruce Christi derivatur, et hoc indicatur signo crucis. „Aqua non mundat sine Spiritu", ut ibidem explicat (c. 4, n. 19). Etiam in libro „De sacramentis" legimus prius fontem consecrari et tunc descendere baptizandum (l. 1, c. 5, n. 18; *J*/16, 422). Sancti igitur Patres docent baptismum esse efficacem non ex aquae natura, sed ex gratia Dei, quae precibus advocatur. Utrum autem hae preces, quibus gratia Dei petitur, sint ad hoc absolute necessariae, an solum additae sint ad clarius significandum, quod in sacramentis fit, omnino non inquirunt.

Nunc in ecclesia usus aquae benedictae ad baptizandum praecipitur, et plerique theologi censent hoc praeceptum obligare sub gravi, nemo tamen opinatur benedictionem aquae ad validitatem baptismi esse necessariam.

Aquae benedictae, si forte non sufficiat, alia non benedicta in minore quantitate admisceri potest; sin corrupta est, alia benedicenda est etiam extra tempora constituta; immo hoc semper fit, ubi baptisterium non habetur, secundum formulam, quae habetur in rit. rom.

Cum lex ecclesiastica aquam baptismalem praescribat pro solo baptismo sollemni, nulla est obligatio utendi aqua benedicta in baptismo privato, quamvis convenienter adhibeatur aqua saltem lustralis, si commode haberi potest. Aquam vero in omni baptismo debere sufficienter mundam esse, ita ut aqua valde immunda uti sine necessitate facile possit esse grave peccatum, per se intellegitur, cum hoc postulet reverentia sacramento debita (cf. S. *Alphons.* l. 6. n. 102 sq).

Prop. XXXVIII. Materia baptismi proxima est ablutio aquae, sive per immersionem sive per infusionem sive per aspersionem.

JPars I. Materia proxima baptismi est ablutio.

363. *Catech. rom.:* „Monere oportebit, ne forte fideles in eum errorem inducantur, ut existiment, quod vulgo dici solitum est, aquam ipsam, quae ad conficiendum baptismum in fonte asservatur, sacramentum esse; tunc enim sacramentum baptismi dicendum est, cum aqua ad

abluendum aliquem, additis verbis, quae a Domino instituta sunt, re ipsa ūtimur (P. 2, c. 2, n. 6). Ratio est, quia aqua ipsa ante usum neque est signum neque causa gratiae. Ergo tum demum aqua est sacramentum, cum in ipso usu fit signum efficax gratiae. Antea autem aqua benedicta est solum aliquod sacramentale.

Propterea theologi communiter dicunt baptismum esse ipsam abluionem (S. Thom. 3, q. 66, a. 1. Suarez disp. 20, sect. 2, η. 1). Hoc idem colligitur ex SS. Patribus et S. Scriptura; nam baptismus vocatur *λουτρόν*, lavacrum (Eph 5, 26. Tit 3, 5). Aqua autem non est lavacrum ante usum; idem patet ex ipso nomine baptismi.

364. Quaeritur, *quid sit ablutio*. Imprimis certum est esse physicinn contactum aquae ad corpus; nam sine contactu aqua non abluit. Secundo videtur necessarius contactus successivus per motionem aquae super corpus; nam nemo dixerit aquam abluere illam rem, in qua immobiliter consistit, cum sine ullo motu sordes non amoveantur. Quando vero aqua fluit super corpus vel digito baptizantis aqua sufficienter multa super corpus ita movetur, ut possit significare abluionem, certe habetur ritus validus. Neque vero opus est sordes corporales reapse removeri, cum baptismus non sit «carnis depositio sordium» sed signum spiritualis abluionis.

365. *Ille autem ipse abluere debet, qui formam pronuntiat*, quia secus sensus non verificatur: „Ego te baptizo.” Ergo invalidus est baptismus, si alter tenens baptizandum verba pronuntiat, alter vero aquam infundit; quia tunc secundum humanam acceptationem potius huic alteri actio abluendi tribuitur. Idem valet de forma graecorum: „Baptizatur servus Dei.” Nam baptizans debet his verbis significare se velle sua potestate ministeriali uti; seu verba debent habere sensum practicum. Qui vero enuntiat, quod alium videt facientem, theoreticam tantum enuntiationem ponit; ergo sacramentum non administrat. Contra ubi aqua non ab altero infunditur, sed naturaliter fluit, is qui baptizandum huic aquae fluenti supponit, ab omnibus censetur abluere; proinde si simul formam pronuntiat, valide baptizat. Sin, qui baptizat, proiciat baptizandum in fluvium, simul dicens formam, dubius est baptismus, quia haec actio humano modo non videtur dici posse ablutio (S. Alphons. 1. 6, n. 106).

366. Tandem quaeritur, *quanta ablutio requiratur*, i. e. quid abluere debeat. Per se enim, qui dicit: «Ego te baptizo», deberet totum corpus baptizandi abluere, et revera per multa saecula plerumque sic factum est et nunc fit in ecclesiis orientalibus (Denz., Rit. orient. I 235 287. Probst, Sakram. 108). Postea vero, i. e. a saec. XIII, in ecclesia latina usus invaluit aquam effundendi super *solum caput* baptizandi. Causa mutationis erat, quia lotio totius corporis, praesertim si de

adultis agitur, multas incommoditates secum ferro solet. Cur autem valeat haec partialis ablutio, hanc rationem reddit *S. Thomas*: „Principalis pars corporis, praecipue quantum ad exteriora membra, est caput, in quo vigent omnes sensus et interiores et exteriores. Et ideo, si totum corpus aqua non possit perfundi propter aquae paucitatem vel propter aliquam aliam causam, oportet caput perfundere, in quo manifestatur principium animalis vitae. Et ideo debet praecipue lavari illa pars corporis, in qua manifestantur opera animae' (3, q. 66, a. 7 ad 3).

367. Quia autem in nulla alia exteriori parte corporis tota vita animae ita quodammodo concentratur, si ita loqui licet, sicut in capite, propterea non plane certus est baptismus collatus *in alia parte*, etiam principali. Quare *rit. rom.* de infante, qui propter periculum baptizandus est, antequam plene natus sit, haec praescribit: BSi infans caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur, et tunc, si natus vixerit, erit sub condicione baptizandus.' Multo magis dubius est baptismus, si digiti vel alia minima pars abluta sit, et a fortiori, si capilli tantum; nam haec si abluuntur, homo ipse non potest simpliciter dici lotus (cf. *S. Thom.* 3, q. 68, a. 11 ad 4; *Suarez* disp. 20, sect. 2, n. 9 sqq; *De Lugo*, Resp. mor. 1. 1, dub. 1; *S. Alphons.* 1. 6, n. 107, q. 3 4).

w
Γ.'

Pars II. Baptismus fieri potest sive per immersionem sive per infusionem sive per aspersionem.

368 Ritus *immersionis* est antiquissimus in ecclesia et aperte indicatur in S. Scriptura (Act 8, 36); hoc ritu Christus ipse baptizatus est (Mt 3, 16), et propter hunc ritum baptismus dicitur *λουτρό*», lavacrum, balneum. Solebant autem priscis temporibus baptizare in fluminibus vel in mari, *ἐν νόατι ξώνη* ut est in „Doctrina duodecim apostolorum' (c. 7). *Tertullianus* dicit: „Nulla distinctio est, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur, nec quicquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane et quos Petrus in Tiberi tinxit' (De bapt. c. 4; *MI*, 1205). Postea vero a saec. IV prope ecclesias exstruebantur baptisteria, quae etiam vocabantur fontes baptismales, fontes sacri, sacrae piscinae, *χολυμβοτραι*, quae ita comparata erant, ut homines in ea possent descendere et immergi; i. e. vel sacerdos caput baptizandi stantis in aquam immergebat vel super caput stantis in aqua manu sua aquam effundebat; mulieribus vero a diaconissis in baptisterio assistebatur (cf. *Probst*, Sakram. 113 117 sqq).

369. *Ritus immersionis prae ceteris aptus est ad significandam sepulturam et resurrectionem spiritualem*, de qua apostolus loquitur: „An

ignoratis, quia, quicumque baptizari sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizari sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus (Rom 6, 3-4). Quia igitur haec mystica significatio in immersione clarius exprimitur (cf. *Cyrrill. Hieros.*, Catech. myst. 2, §. 4; *M* 33, 1079), propterea, inquit S. *Thomas*, „hic modus baptizandi est communior et laudabilior“ (3, q. 66, a. 7 ad 2). Postea tamen in ecclesia occidentali hic modus magis magisque in desuetudinem abiit, quamvis ne nunc quidem sit absolute illicitus. Lex enim ecclesiastica haec est: „Baptismus licet fieri possit aut per infusionem aquae aut per immersionem aut per aspersionem, primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro ecclesiarum consuetudine retineantur“ (*Pit. rom.*).

370. Quod autem quidam theologi, ut *Scotus* (In 4, dist. 3, a. 8) et alii, affirmant, ut baptismus sit validus, non solum immersionem sed etiam *emersionem* a baptizante esse efficiendam, immerito dicunt. Licet enim nulla emersio sequatur, sed baptizatus in aquis moriatur, tamen sufficienter significata est ablutio animae, id quod solum requiritur ad existentiam baptismi (*Suarez* disp. 20, sect. 3, n. 5).

371. Ritus *infusionis* vel *aspersionis* a quibusdam graecis schismaticis invalidus habebatur, qui propterea baptizatos a latinis iterum baptizabant (cf. *Denz.* n. 435). Postea tamen in concilio florentino nullam difficultatem contra usum latinum moverunt. Et revera:

«

372. *S. Scriptura* iam sufficienter innuit validitatem baptismi, qui non fiat per immersionem. Cum enim uno die baptizarentur tria milia hominum in sola urbe Ierusalem (Act 2, 41), non est verisimile hos baptizatos esse per immersionem. Simile argumentum probabile multi vident in eo, quod S. Paulus in carcere baptizavit custodem cum omni familia (Act 16, 33). Ceterum necessitas immersionis nullibi docetur in Scriptura.

373. *Sancti Patres* saepe docent validum esse baptismum per infusionem collatum. Ita „Doctrina duodecim apostol.“ c. 7 (supra n. 350). Similiter S. *Cyprianus* (Ep. 69, n. 12) Magno dubitanti de valore baptismi per aspersionem facti scribit: „Nec quemquam movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur aegri, cum gratiam dominicam consequuntur, quando Scriptura Sancta per Ezechielem prophetam loquatur et dicat: Et aspergam super vos aquam mundam . . . (Ez 36, 25). Unde apparet aspersionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere“ (*II* 761). Eos, qui propter gravem morbum non poterant per immersionem baptizari, baptizatos esse aspersione vel infusione constat ex *Eusebio* (H. E. 1. 6, c. 43; *M* 20, 623) et ex actis sanctorum martyrum; ita ex actis S. Laurentii, S. Bacchii iunioris, S. Gratiliani, aliorum (ôf. *Martène*, De antiq. eccl. rit. 1. 1, c. 1,

a. 14; *Migne*, Curs, theol. XX 81 sqq). Baptismus eorum, qui aegri infundebantur aqua, dicebatur baptismus clinicorum (*χλίνη*) vel grabatoriorum.

Doctores *scholastici* de hac re unanimiter semper docuerunt, quod docet 8. *Thomas*: Immersio non est de necessitate baptismi, [sed] potest fieri baptismus per modum aspersionis vel etiam per modum effusionis (3, q. 66, a. 7).

374. *Rationes* autem congruae sunt, quia secus baptismus propter defectum aquae saepe esset impossibilis, similiter in gravi morbo dari non posset; deinde in frigidis regionibus esset res non raro difficilis; tandem ratio decentiae facilius servatur in infusione quam in immersione.

375. *Aspersio* vix umquam adhibetur, quia nimis facile dubius fit baptismus ob paucitatem aquae, quae forte baptizandum tangit. Si tamen ita applicatur, ut aqua fluat super caput baptizandi, manifeste non differt essentialiter ab infusione.

376. *Schol.* De trina ablutione.

Trinae ablutionis *usus est antiquissimus* in ecclesia, ut testatur *Tertullianus*: „Ter mergitatur (De cor. mil. c. 3; *M* 2, 79), *S. Hieronymus*: „Multa, quae per traditionem in ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptae legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare (Contra Lucif. n. 8; *J*/ 23, 164). Quem usum *S. Rasilus* dicit esse ex apostolica traditione (De Spiritu Sancto c. 27, n. 66; *if* 32, 187).

Neque vero trina ablutio est de necessitate sacramenti, quia ad materiam baptismi essentialiter nihil requiritur nisi ablutio, quae adest, sive unica est sive trina. Unde cum saec. VI in Hispania ariani dicerent trina ablutione significari tres distinctas naturas Patris, Filii, Spiritus Sancti, catholici in detestationem haeresis coeperunt uti una tantum ablutione. Qua de re consultus a S. Leandro Hispalensi S. *Gregorius M.* respondit: „Reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismo vel ter vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus potest personarum trinitas et in una divinitatis singularitas designari (Epist. 1. 1, ep. 43; 2f 77, 498). Idem docuerunt *synodi toletana* (a. 633) can. 6 et *wonnatiensis* (a. 868) can. 5.

Pelagius I (Ep. ad Gaudentium; *Denz.* n. 229) et *conc. constantinop. I* (can. 1) docuerunt quidem baptismum quorundam haereticorum, qui unica ablutione utebantur, esse invalidum, non tamen propter unicum ablutionem sed propter formae corruptionem.

Etiam *hodie trina ablutio est praescripta* lege ecclesiastica, et censent multi theologi cum 8. *Thoma* (3, q. 66, n. 8) violationem huius legis esse grave peccatum. Ita *S. Alphonsus* (1. 6, n. 106, q. 5), qui simul monet formam non esse perficiendam ante tertiam ablutio-

nem, quia per unam ablutionem cum debita forma iam perficitur sacramentum, quamvis secundum alios hoc etiam pendeat ab intentione ministri (*S. Thom.* 1. c. a. 3).

PIO]). XXXIX. In forma baptismi essentialis est distincta expressio Dei unius et trini.

377. JVoitt. *Haeretici* veteres, ut gnostici, montanistae, sabelliani, paulianistae, loco SS. Trinitatis alia in forma baptismi ponebant, quae vide apud *Béllarm.* (De bap. c. 3), *Wirceburg.* (De bap. n. 34). *Lutherus* (in lib. De capt. babyl.) de sacramento baptismi docet: ^Quomodocumque tradatur baptismus, modo non in nomine hominis sed in nomine Domini tradatur, vere salvum facit; immo non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse in nomine Domini.8 Similiter loquitur *Zwinglius* in libro „De vera et falsa religione8, ubi agit de baptismo.

378. *Catholici* doctores quidam putaverunt baptismum collatum his verbis: „Ego te baptizo in nomine Iesu8, esse validum. Ita *Petrus Lomb.* (4, dist. 3, n. 5): „Aperte intellexisti in nomine Christi verum baptismum tradi . . . Qui ergo baptizat in nomine Christi, baptizat in nomine Trinitatis, quae ibi intellegitur. Tutius est tamen tres personas ibi nominare.8 Similiter *Beda*, *Hugo Viet.*, et ex posterioribus *Caietanus* (postea textus expunctus est), *Toletus* (De bap. a. 6).

Alii iique maximi theologi censent nunc quidem requiri ad valorem baptismi explicitam expressionem Trinitatis, sed apostolos ex divina dispensatione baptizasse in solo nomine Iesu, ut huic nomini apud Iudaeos reverentiam conciliarent. Ita *Albertus M.*, *Alexander Halensis*, *S. Bonaventura* (In 4, dist. 3, P. 1, a. 2, q. 2), *S. Thomas* (3, q. 66, a. 6), *Scotus* (In 4, dist. 3, q. 2), et secuti sunt magistros plurimi thomistae et scotistae.

Nos cum communiore sententia theologorum statuimus ut certum post tempora apostolorum semper necessariam fuisse distinctam expressionem Trinitatis ad valorem baptismi. Quid vero censendum sit de apostolorum agendi modo, ex argumentis patebit.

379. *Arg. I.* Ex S. Scriptura et constanti traditione ecclesiae.

Christus iussit apostolos baptizare „in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti8 (Mt 28, 19). Quorum verborum obvius et maxime naturalis sensus est, ut haec verba sint forma baptismi. Cur enim Christus expresse tres personas nominat, si solum voluit dicere: Baptizate in nomine Dei vel in nomine meo? Porro ecclesia occidentalis et orientalis semper haec verba ita intellexit, ut nullum iudicaret baptismum aliter collatum, ut iam audivimus (cf. supra n. 243).

ik-as FATHERS

nnimn ntnr.r nrm //n nHU

lasm μ

U

Praeterea *Pelagius I* ad *Gaudentium* scribit: „Si revera hi de haereticis, qui in locis dilectioni tuae vicinis commorari dicuntur, solummodo se in nomine Domini fuisse baptizatos forsitan confitentur, sine cuiusquam dubitationis ambiguo eos ad catholicam fidem venientes SS. Trinitatis nomine baptizabis. Sin . . . claruerit, quod in nomine Trinitatis fûerint baptizati, sola reconciliationis gratia impensa catholicae fidei sociare maturabis, ut tali dispensatione servata nihil aliter, quam quod evangelica iubet auctoritas, temeritatis cuiusquam spiritu videatur effectum" (*Denz.* n. 229).

Gregorius M. ad episcopos Hispaniae: „Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut, quilibet apud haeresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad ecclesiam redeunt [non iterum baptizentur]. . . . Hi vero haeretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, . . . cum ad ecclesiam veniunt, baptizantur, quia baptisma non fuit, quod in errore positi in SS. Trinitatis nomine minime perceperunt" (L. 3, Ep. 67; *M* 77, 1205).

S. Zacharias: „Si mersus in fonte baptismatis quis fuit sine invocatione Trinitatis, perfectus non est, nisi fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizatus® (Ep. 11; *M* 89, 943).

Ecclesia igitur universa in doctrina et praxi verba Christi semper ita intellexit, ut distincta expressio Trinitatis sit essentialis forma baptismi. Ergo quamvis ex solo textu evangelico non tam clare appareat, num Christus verba „in nomine Patris . . ." formam baptismi esse voluerit, tamen hoc est certum ex mente ecclesiae (cf. *Decr. Eug. IV* [*Denz.* n. 696] et *trid.* de bapt. can. 4 [*Denz.* n. 860]).

380. Contra *umquam validum fuisse baptismum collatum his verbis:* „Ego te baptizo in nomine Iesu, non potest evinci ex Sacra Scriptura. Dicitur quidem Act 2, 38: „Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi", et Rom 6, 3: „Baptizati sumus in Christo Iesu". Similiter Act 8, 12 16; 10, 48. Sed notandum est: in nomine Iesu baptizare non habere necessario hanc significationem: baptizare adhibito pro forma solo nomine Iesu; sed potest etiam significare: baptizare auctoritate a Christo accepta et baptismo aliquem recipere in fidem et ecclesiam Christi (cf. Mt 7, 22. Act 5, 28 40). Ergo cum aliunde constet in universa ecclesia semper invalidum habitum esse baptismum aliter collatum quam in nomine Trinitatis, secundum analogiam fidei dicendum est locis citatis illud „in nomine Iesu" non esse formam baptismi; nam dispensatio specialis pro temporibus apostolorum gratis fingitur.

381. Ita hanc rem iam *S. Cyprianus* explicat: „Iesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adiungeretur. Denique ubi post resurrectionem a Domino apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti

iubentur baptizare gentiles; quomodo ergo quidam dicunt. . . modo in nomine Iesu Christi gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari iubeat in plena et adunata Trinitate?" (Ep. 73 ad Iubai. n. 17-18; *H* 791.) Eodem modo verba Petri exponunt *S. Fulgentius* (Contra Fabian, fragm. 37: *M* 65, 830) et *S. Augustinus*: «Non nominatis Patre et Spiritu Sancto, in nomine Iesu Christi iussi sunt baptizari (Act 2, 38), et tamen intelleguntur non baptizati nisi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti" (Contra Maxim. 1. 2, c.17, n. 1; *M* 42, 783). Item *Origenes* (1. 5 in Ep. ad Rom.; *M* 14, 1039), *S. Ioan. Chrysost.* (Hom. 30 in 2 Cor 13, 13; *M* 61, 608), alii, qui omnino negant illud „in nomine Iesu" explicandum esse de baptismo collato hac forma: Ego te baptizo in nomine Iesu. *S. Athanasius* ait: „Qui aliquid de Trinitate detrahit et in solo Patris et Filii nomine baptizatur, aut sine Spiritu in Patre et Filio, nihil accipit . . . siquidem initiatio non nisi in Trinitate sita est" (Ep. 1 ad Serap. n. 30; *M* 26, 598). Ergo considerata praxi et doctrina antiqua ecclesiae explicatio scholasticorum, quos supra nominavimus, ut improbabilis reicienda est.

Immo in ipsa Scriptura videtur sufficienter innui ab apostolis in administrando baptismo non solum Iesum nominatum esse. Paulus enim audiens quosdam, quos baptizatos putabat, ignorare Spiritum Sanctum, mirans interrogat: „In quo ergo baptizati estis?" (Act 19, 3.) Quae interrogatio secundum obvium sensum supponit baptismum administrari etiam in nomine Spiritus Sancti.

W. Heitnviller librum scripsit „Im Namen Iesu" (Gottingen 1903), in quo probare studet: in nomine Iesu baptizare vi primae significationis nihil aliud esse nisi pronuntiare nomen Iesu tamquam magiam efficacem ad expellendos daemones.

Ratio argumentandi valde simplex haec est: Multis locis „in nomine alicuius" significat „cum pronuntiatione nominis alicuius". Ergo ubique hanc significationem habet, et si qui textus sunt, qui se non bene huic significationi accommodant, tamen supponendum est hanc significationem subesse, aut res consideranda est ut exceptio. Praeterea constat secundum fidem primorum Christianorum baptismo inesse vim liberandi hominem a potestate daemonum; alii autem effectus baptismo secundis tantum considerationibus adscripti sunt. Ergo habemus quod volumus. Cum haec altera assertio manifeste pugnet cum doctrina Scripturae et Traditionis, de priore tantum quaedam videamus.

Statim quoad primum textum evangeliorum, in quo legitur illud *εἰ οὐ μὲν τίνο* (Mt 10, 41 sq), Heitmüller fateri debet expositionem datam non quadrare b Nam certe nomen prophetae, iusti, discipuli

1 .Versuchen wir nun, auf Grund des bisher Erarbeiteten den Gebrauch unserer Formel in der altchristlichen Literatur zu verstehen, so stießen wir gleich bei der Pesch, Praelectiones dogmaticae. VI. Ed. 4.

pronuntiandum non est, ut beneficium ei collatum sit meritorium. Mt 18, 20 legimus: „Ubi sunt duo vel tres congregati *ει τό έμον όνομα*, ibi sum in medio eorum? Numquid sensus est: „Ubi duo vel tres pronuntiant nomen Iesu? Tertius textus exhibet verba Christi de baptismo: *Βαπτίζοντε ει το όνομα του πατρο χα'ι του υιοϋ χα'ι του άγιου πνεύματο* (Mt 28, 19). Hi soli tres textus exstant in evangelio Matthaei, qui exhibent formulam *ει τό όνομα*. Iamvero duobus prioribus textibus non indicatur materialis pronuntiatio nominis; de sensu tertii textus iam diximus.

Ceterum etiam aliae formulae: *εν τω όνόματι, επί τω όνόματι, διά τού όνόματο*, illum sensum non postulant neque ubique admittunt (cf. Mt 18, 5; 19, 29; 24, 5 9 etc.). Illa autem verba: *Ευλογημένο ο ερχόμενο εν όνόματι χοριου* (Mt 21, 9) vult Heitmüller interpretanda esse ita: „Qui venit, sit benedictus in nomine Iahve“, et provocat ad Ps 117 (118), 26. At neque in psalmo neque in evangelio hic est obvius sensus verborum. Omnes exegetae traxerunt *ε ονόματι* ad *ερχόμενο*, et etiam post Heitmüller pergunt ita exponere (cf. 1 Sam 17, 45).

Possunt multa alia afferri ad refutandum Heitmüller; sed quae dicta sunt, sufficiunt ad ostendendum eum non probasse thesim suam.

382. Tota praxis et doctrina ecclesiae inde a primis initiis tam constans est hac in re, ut mirum sit, quomodo dubitatio oriri potuerit. Praeter ea, quae iam allata sunt (supra n. 350 379), pauca quaedam alia audiamus. S. *Justinus M.* loquens de baptismo ait: „Deinde [catechumeni] eo ducuntur, ubi aqua est, et eodem regenerationis modo regenerantur, quo et ipsi sumus regenerati. Nam in nomine Parentis universorum ac Domini Dei ac salvatoris nostri Iesu Christi ac Spiritus Sancti lavacrum in aqua tunc suscipiunt. . . . Parentis omnium et Domini Dei nomen pronuntiatur . . . sed et in nomine Iesu Christi . . . et in nomine Spiritus Sancti . . . is, qui illuminatur, äbluitur | (Apol. I c. 61; *M* 6, 419 sq). *Tertullianus*: „Lex tingendi imposita est et forma praescripta. Ite, inquit, docete nationes tingentes eas in nomen Patris . . . s (De bapt. c. 13; *M* 1, 1215); „mandans, ut tingerent in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, non in unum; nam nec semel sed ter ad singula nomina in singulas personas mergitatur" (Adv. Prax. c. 26; *Jf* 2, 190). S. *Ambrosius*: „Nisi baptizatus fuerit [catechumenus] in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum nec spiritualis gratiae munus häurire (De myst. c. 4, n. 20: *M* 16, 394. Cf. De sacram. 1. 2, c. 5 7; *Af* 16, 427 430). S. *Augustinus*: „Quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum

ersten Stelle Mt 10, 41 42 auf Schwierigkeiten. Es nnterliegt keinem Zweifd, dafi wir mit der für das heDenistische Sprachgebiet konstatierten Bedeutung hier nicht auskommen' (p. 112).

constat, illic defuerint?" (De bapt. l. 6, c. 25, n. 47; J/ 43, 214.) *Isidor. Hispal.*: «Si omissa qualibet Trinitatis persona baptismus detur, manifeste in regenerationis sollemnitate nihil agitur, nisi tota Trinitas invocetur" (De off. eccl. l. 2, c. 25; M 83, 821). Cf. *S. Athanas.*, Ad Serap. ep. 4, n. 12 (Af 26, 654); *S. Gregor. Naz.*, Or. 33, n. 17 (Af 36, 235); *S. Ioan. Damasc.*, De fide orth. l. 4, c. 9 (Af 94, 1119).

«Didache" praecipit: «Baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti" (c. 7). «Constitutiones apostolorum": «Ita baptizabis, sicut Dominus iniunxit nobis dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti" (VII, 22, 1; cf. III, 16, 4; 17, 1 sqq, ed. *Funk* 211 407). «Canones apostolorum" 49: «Si quis episcopus aut presbyter secundum Domini constitutionem non baptizaverit in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum . . . deponatur" ; 50: «Si quis episcopus vel presbyter non tres mersiones unius initiationis fecerit, sed unam mersionem, quae in mortem Domini detur, deponatur. Non enim dixit Dominus: In mortem meam baptizate, sed: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti" (ibid. p. 579 sq). «Canones Hippolyti" 122: Presbyter baptizandum ter immergit; «singulis vicibus autem dicit: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti" (ed. *Achelis* 97). Sic poteris percurrere omnes libros canonicos vel liturgicos ecclesiae occidentalis et orientalis; ubique invenies hanc, non aliam, formam baptismi praescriptam. Hoc autem signum est traditionis apostolicae. «Didache" etsi tam distincte effert formam baptismi, tamen dicit Christianos esse baptizatos «in nomine Iesu" (9, 5); ergo haec verba non significant formam, sed auctorem.

1 Cum verba Christi: *Βαπτιστέ αὐτοῦ εἰ τὸ ὄνομα τοῦ -ατμοῦ καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος* (Mt 28, 19) in omnibus codicibus et versionibus inveniantur et a tot Patribus allegentur et exponantur, irrationabile est eorum genuinitatem ad dubitare. Hoc tamen ausi sunt quidam rationalistae, ut *Conybeare* (*Zeitschrift für neutestamentliche Wissenschaft*, Gießen 1901, 275 sqq) et quidam alii. Ratio eorum est, quod *Eusebius Caes.* in „Demonstratione evangelica" 1, 4; 1, 6; 3, 6 sq solum referat verba «docentes eos omnia, quaecumque mandavi vobis*, vel etiam addat „in nomine meo*, omittens verba „baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Unde concludunt eum in codicibus bibliothecae Caesariensis non invenisse haec verba. Iam si quis inspicit contextum, statim videt prioribus locis sermonem esse de novis praeceptis legis moralis Christi. Ideo citat sola verba, quae praecepta moralia respiciunt. Altero loco (3, 6) vult ostendere Christum non fuisse magum, cum dederit novam legem tam efficaciter, ut omnes gentes ei mox subiectae sint; hoc autem a nullo mago potuisse effici. Iterum apparet, cur omittat baptismum. Aliis autem locis *Eusebius* loquitur de institutione baptismi: „Neque aliter Servator, cum mysterium illud regenerationis in ipso apostolis mandaret iis, qui de gentibus crederent, nuntiandum, tradidit, quam ut baptizarent in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (De ecclesiastica theologia l. 3, c. 5; M 24, 1014). Evangelium „discipulis suis Dominus tradidisse dicitur, ubi ait: Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris . . .* (Contra Marcellum l. 1, c. 1; M 24, 715; cf. De theophania V; M 24, 630 sq). In epistula ad populum Caesariensem, quam nobis servavit *Socrates* (H. E. 1, 8; M 67, 70 sq), inter alia ait:

383. *Arg. 2.* Confirmatio ex ratione congrua.

Baptismus est sacramentum fidei et ianua ecclesiae; ergo convenit, ut tradatur in expressa invocatione SS. Trinitatis, quia haec invocatio est compendium totius fidei, et quia SS. Trinitas est ultimum fundamentum omnis salutis.

384. *Schol. 1.* Solvuntur variae quaestiones de forma baptismi.

Baptismus non valet hac forma collatus: „Ego te baptizo in nomine Trinitatis”, quia secundum argumenta allata requiritur distincta expressio trium personarum. Quaestio vero, num suppositio nominum Genitoris et Geniti pro Patre et Filio formam essentialiter mutet, mere speculative neganda est, ut supra diximus (n. 225). Haec enim negans opinio, quam defendunt *Caietanus* et alii, habet «fundamenta non parum urgentia et æpparentia ut ait *Suarez*, «quia sensus substantialiter non mutatur et est aequè clare expressus». Attamen cum eodem dicendum est propter plurimorum theologorum oppositam doctrinam practice non licere uti his vocibus, id quod omnes concedunt (*Suarez*, De sacram, disp. 21, sect. 4). Immo praecise spectata auctoritate externa haec forma secundum *Lehmkuhl* «faceret baptismum aliquatenus dubium» (II, n. 89).

385. *Qui diceret: „In nominibus Patris . . . invalide baptizaret,* quia tolleretur significationem unitatis et indicaret multipliciter naturarum: *nomen enim in forma baptismi non significat sonos materiales sed essentiam et auctoritatem (*S. Thom.* 3, q. 66, a. 5 ad 6).

386. Ad quaestionem, *num valeat sacramentum, si dicatur: Ego te baptizo in nomine Patris et in nomine Filii et in nomine Spiritus Sancti,* simpliciter affirmative respondent *Dom. Sotus* (In 4, dist. 3, q. unica, a. 5, § «Unde ad argumentum fateor»); *Suarez* (De bapt. disp. 21, sect. 3, n. 10); *Toletus* (IV, q. 66, a. 5, dub. 12), secundum quem theologi «hanc probant esse veram formam»; *Estius* (In 4, dist. 3, § 6). Praeter hos *S. Alphonsus* (l. 6, n. 111) citat *Coninck, Laymann, Henriquez, Diana, Concina*; et oppositam sententiam tantum non censet «omnino improbabilem». Alii tamen doctores dubitant, et ideo videtur dicendum

«Dominus noster, cum discipulos suos ad praedicandum mitteret, dixit: Ite ac docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris. . . .» Numquam Eusebius indicat defuisse haec verba in quibusdam codicibus (cf. quae de his quaestionibus scripserunt *Riygenbach*, Der trinitarische Taufbefehl, Gütersloh 1903, et *Chase* in The Journal of Theological Studies VI, Oxford 1905, 481 sqq).

Alii dicunt illa verba non esse dicta a Christo, a) quia Christus non resurrexerit, b) quia etsi resurrexisset, locutus non esset discipulis, cum homo in corpore glorificato naturaliter non possit loqui, c) quia Christus non docuerit discipulos suos formulas. Sed primum est falsum, secundum absurdum, tertium nullius momenti; nam cur Christus, qui docuit formulam orationis dominicae, non docuit formulam trinitariam? Haec igitur vix consideratione digna sunt.

licere in hoc casu sub condicione iterum baptizare, at strictam obligationem non adesse. Cf. resp. S. Offic. 13. Ian. 1882 (*Zitelli*, Appar. iur. eccl. p. 262).

387. *Qui omitteret hoc incisum „in nomine“, destrueret definitum sensum*, quia verba „in Patre et Filio et Spiritu Sancto“ habent sensum nimis indefinitum, cum non significant baptismum fieri auctoritate Trinitatis et baptismo hominem Trinitati devoveri. Haec autem debent exprimi, ut valor sit omnino indubius. Ergo si particula „in“ omittetur vel alia suppleretur, solutio quaestionis inde penderet, num illae duae significationes sufficienter sint expressae.

388. *Schol, 2.* De quibusdam dictis S. Ambrosii et Nicolai I.

Difficultatem creat aliquis textus sancti *Ambrosii*: „Plenum est [baptisma], si Patrem et Filium et Spiritum Sanctum fatearis. Si unum neges, totum subrues. Et quemadmodum, si unum in sermone comprehendas, aut Patrem aut Filium aut Spiritum Sanctum, fide autem nec Patrem nec Filium nec Spiritum Sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum; ita, quamvis et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum dicas et aut Patris aut Filii aut Spiritus Sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium“ (De Spir. S. l. 1, c. 3, n. 42; *M* 16, 714).

His verbis videtur S. Ambrosius affirmare validitatem baptismi solo nomine Iesu collati. At accurate inspicienti facile patet s. *doctorem omnino non agere de forma baptismi sed de fide suscipientis* seu de confessione vel negatione Trinitatis. Dicit igitur etiam tunc baptismum effectum gratiae non habere, cum „aut Patris aut Filii aut Spiritus Sancti minuas potestatem“, licet in eorum expresso nomine suscipias sacramentum. Hoc autem non est verum de ministro sed de subiecto: nam qui non recte credit, potest valide baptizare, sed non potest baptismo iustificari. Deinde dicit non solum „in Christi nomine plenum esse baptismatis sacramentum“, sed etiam in nomine Patris tantum vel Spiritus Sancti, „quia, qui unum dixerit, Trinitatem signavit“. Inauditum autem est in solo nomine Patris vel Spiritus Sancti baptismum valide conferri posse. Tandem Ambrosius alibi diserte pro valore baptismi requirit distinctam expressionem Trinitatis (supra n. 382). Ergo hoc loco nihil aliud voluit docere nisi eum, qui recte profiteatur unam personam divinam, posse fructum sacramenti suscipere, cum in una persona aliae contineantur; contra eum, qui omnes quidem ore profiteatur, sed haeretice de una sentiat, non posse iustificari (cf. *Migne*, P. L. 16, coi. 713 in nota). Potest conferri cum hoc textu S. Ambrosii S. *Basilius*, De Spiritu Sancto c. 12 (*J/* 32, 115), quem, ut saepe solet, presse sequitur Ambrosius; sed *Basilius* ibi clare docet apostolos non contulisse baptismum in solo nomine Iesu.

<<'

Sri

IHf

1*.

*1

*m

<>

Recte autem scribit *Bellarminus*: «Praecipuum fundamentum omnium auctorum post Ambrosium [affirmantium valorem baptismi in solo nomine Iesu collati] est ipsius Ambrosii auctoritas; quare si forte Ambrosius non illud voluerit dicere, quod eius verba sonare videntur, ruit fundamentum praecipuum illius opinionis (De bapt. c. 3). Nam omnes scholastici, qui defendunt illam opinionem, textum Ambrosii allegant et secundum suppositum sensum huius textus Actus Apost. explicant (cf. 4, dist. 3 et 3, q. 66, a. 6 et commentatores utriusque loci).

389. Ex auctoribus autem posterioribus pro eadem sententia imprimis citatur *Nicolaus I*, qui interrogatus a bulgaris, num valeret baptismus collatus a iudaeo, respondit; «A quodam iudaeo, nescitis utrum christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos esse asseritis, et quid de iis sit agendum, consulitis. Hi profecto si in nomine SS. Trinitatis vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut exponit S. Ambrosius), constat eos non esse denuo baptizandos, sed primum, utrum christianus an paganus ipse iudaeus exstiterit, vel si postmodum fuerit factus christianus, investigandum est; quamvis non praetereundum esse credamus, quid beatus de baptismo dicat Augustinus: Iam satis, inquit, ostendimus ad baptismum, qui verbis evangelicis consecratur, non pertinere cuiusquam dantis vel accipientis errorem, sive de Patre sive de Filio sive de Spiritu Sancto aliter sentiat, quam doctrina caelestis insinuat ...» (Resp. de consulto bulgar. c. 104; *Mansi* XV, coi. 432. Sequuntur in contextu quaedam alia dicta S. Augustini).

Hoc responsum multipliciter quidem a doctoribus explicatur (cf. *Suarez*, De bapt. disp. 21, sect. 3, n. 13; *Wirceburg.*, De bapt. n. 45 sq), sed *verus sensus videtur esse hic*: Utrum baptismus a iudaeo collatus valeat necne, pendet ex intentione iudaei baptizantis. Si enim vere voluit baptizare, i. e. non suo nomine sed nomine SS. Trinitatis vel saltem Christi illam actionem ponere, valide baptizavit. Ut autem cognoscatis, quae fuerit iudaei mens, debetis inquirere, num ipse conversus fuerit ad religionem christianam. Quodsi ita sit, certe habuit intentionem nomine Christi baptizandi. Sed licet rectam fidem non habuerit, potuit tamen in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti valide baptizare, ut S. Augustinus testatur. — Haec sane explicatio magis quam ulla alia naturali sensui verborum satisfacit et pontificem ab omni macula erroris immunem relinquit. Etiam eo commendatur, quod pontifex non erat interrogatus de forma baptismi sed de persona ministri; unde recte respondit ex parte ministri omnia pendere ex eius intentione: baptismum autem conferri debere per distinctam expressionem Trinitatis supponit, quia provocat ad Augustini doctrinam, baptismum valere, si conferatur evangelicis verbis (quae habentur Mt 28, 19). licet minister de Patre vel de Filio vel de Spiritu Sancto

aliquid falsi sentiat (cf. in eodem responso c. 15). Ceterum verissimum est illa verba „vel tantum in nomine Iesu" non esse definitionem ex cathedra, immo totum responsum ita compositum est, ut nulla indicia prae se ferat alicuius definitionis ex cathedra; quare in eo a vero aberrare per se pontifex potuit, sed eum revera errasse ostendi nequit.

Prop. XL. In forma baptismi exprimi debet tum actio baptizantis tum subiectum baptismi.

390. Haec thesis est contra quosdam theologos, quos partim assentiens refert *Morinus* (De paen. l. 8, c. 16), qui docuerunt validum esse baptismum, licet actio baptizantis non exprimatur.

391. *Arg. 1.* Ex decretis summorum pontificum.

Alexander III: „Si quis puerum ter in aquam merserit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et non dixerit: ‚Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen‘, non est puer baptizatus“ (3 Decr. tit. 42, c. 1; *Denz.* n. 398).

Alexander VIII damnavit propositionem: „Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris etc. . . . praetermissis illis: Ego te baptizo“ (*Denz.* n. 1317).

Eugenius IV: „Cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit SS. Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum SS. Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum“ (*Denz.* n. 696).

392. *Arg. 2.* Ex praxi omnium ecclesiarum.

In libris ritualibus in forma baptismi semper, enuntiatur actus baptizandi. Quod mirum est, nisi omnibus persuasum fuit hoc esse de essentia formae; nam ceteroquin formae satis differunt. Ita latina forma semper fuit: „Ego te baptizo in nomine Patris ..." Contra forma graecorum consueta est: *Βαπτίζεται* (indicativus) *δούλο* (*δούλη*) *θεοῦ ἐν ὀνόματι τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος*, quam formulam validam esse declarat *Eugenius IV* (l. c.) (cf. *Martine*, De rit. l. 1, c. 1, a. 14, n. 15 etc., p. 51) b

393. *Arg. 3.* Ex consensu theologorum.

Nam paucissimis dubitantibus omnes alii unanimiter propositionem ut certam statuunt. Immo secundum *Suarez* „conclusio est de fide“ (De bapt. disp. 21, sect. 2, n. 1). Rationem vero reddit *S. Thomas*: „Quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet, quod determinetur in verbis formae, ad quid fiat; quod quidem non

¹ *Gregorius IX* papa videtur censuisse formam graecam non esse validam (cf. *Der Katholik* 1911, II 315 «<»).

fit per hoc, quod dicitur: In nomine Patris . . . quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Coi 3. Et ideo si non exprimatur actus baptismi vel per modum nostrum vel per modum graecorum, non perficitur sacramentum' (3, q. 66, a. 5 ad 2).

394. *Subiectum vero baptismi debet aliquo modo exprimi*, quia, nisi persona indicatur, quae baptizatur, verba: Ego baptizo . . . desinunt habere practicam significationem, cum practice non possint baptizari nisi determinati homines. „Unde colligit divus S. *Thomas* (1. c. ad 4) et theologi omnes necessarium esse exprimere hanc personam, quae baptizatur, aut proprio nomine aut per pronomen secundae vel tertiae personae, ut: baptizo te vel illum“ (*Suarez* 1. c. n. 6).

395. *Schol. 1.* Nnm debeat exprimi persona ministri.

Affirmare videtur S. *Thomas* Q. c.): „Oportet, quod in forma baptismi exprimatur causa baptismi. Est autem eius duplex causa: una quidem principalis, a qua virtutem habet, quae est SS. Trinitas; alia autem instrumentalis, sci. minister, qui tradit exterius sacramentum. Et ideo oportet in forma baptismi de utraque fieri mentionem/' Negat *Suarez*: „Non est de essentia huius formae, ut in ea exprimatur persona ministri. Est certa conclusio“ (1. c. n. 4). Ceterum haec difficultas vix est practica. Si enim minister ponens actionem simul in forma hanc enuntiat actionem, ab omnibus necessario intellegitur hanc actionem poni a ministro. Si tamen alia persona nominaretur, non valeret baptismus, ut si diceretur: Deus vel Christus te baptizat (*Vazquez* disp. 142, c. 2, n. 38).

396. *Schol. 2.* De vocabulo christianizandi.

Cum in quibusdam regionibus formaverint verba, quae ex etymo non significant actum ablutionis sed actum *christianizandi*, i. e. aliquem christianum reddendi, ut verbum *to christen* in lingua anglica, quaeritur, utrum tale verbum adhibitum in forma baptismi obsit validitati necne. Solutio quaestionis inde pendet, num ex usu eiusmodi verbum habeat significationem abluendi seu baptizandi. Quare de verbo simili *karstim* apud dalmatas adhibito ait *De Lugo*: „Constat, licet verbum illud *karstim* apud dalmatas non significet ablutionem communem, potuisse tamen ad illud genus ablutionis sacrae significandum adaptari et usurpari in ea significatione sacrae vel religiosae ablutionis; quod vero ita factum fuerit, probat usus“ (Resp. mor. l. 1, dub. 3, n. 14). Quare etiam de verbo anglico, si forte adhibeatur, solida dubitatio moveri posse non videtur. De aliis verbis, quae fortasse in variis regionibus formantur et diversam etymologiam habent, secundum idem principium indicandum est. Cf. *Zeitschrift fur kathol. Théologie* XX\ (1901) 318 sq, ubi *NiUes* hanc quaestionem respectu variorum rituum orientalium discutit.

SECTIO II.

DE EFFECTU BAPTISMI.

Prop. XLI. Effectus baptismi est regeneratio spiritualis, quae consistit in remissione omnis reatus culpae et poenae et in infusione gratiae et donorum, quibus homo fit vivum membrum mystici corporis Christi.

397. Sicut paucissimi tantum haeretici omnem baptismi utilitatem negarunt, ita *haeresiarchae saeculi XVI* ex una parte baptismi efficaciam nimis minuerunt, ex altera vero immodice extenderunt. Ex una enim parte docent hominem per baptismum non fieri intrinsecus ex peccatore iustum, sed, peccator cum maneat, merita Christi imputari ei in iustitiam (cf. *Bellarm.*, De bapt. c. 13). Ex altera parte docent baptismum non modo deleri peccata praeterita sed etiam futura, quatenus homo post baptismum in peccata lapsus sola recordatione baptismi denuo fiduciam divinorum promissorum excitet et hoc modo iustus a Deo reputetur. „Ita vides, quam dives sit homo christianus baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare nisi sola incredulitas; cetera omnia, si redeat vel stet fides in promissionem divinam baptizato factam, in momento absorbentur" (*Lutherus* de bapt. in libro De captiv. babyl.; cf. *Bellarm.*, De bapt. c. 14). Hunc alterum errorem damnavit *cone. trid.*, De bapt. can. 6 et 10 (*Denz.* n. 862 867), sed de hac quaestione agetur in tractatu de sacramento paenitentiae. Itaque hoc loco priorem errorem etiam ab ecclesia damnatum (*Denz.* n. 742) reicimus, ostendentes veram et internam hominis regenerationem et iustificationem per baptismum fieri. Supponimus autem eam fieri ex opere operato, quod haeretici etiam negant. Per se patet effectum actu non obtineri, quamdiu adest in suscipiente obex gratiae.

Pars I. Baptismo remittitur omnis reatus culpae et poenae.

398. *Arg. I.* Ex S. Scriptura.

„Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia, quicumque baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus? . . . Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu" (Rom 6, 2 sqq; 8, 1). Christus sanctificat ecclesiam „mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata" (Eph 5, 26 sq). „Nolite errare; neque fornicarii neque idolis servientes neque adulteri neque molles neque masculorum concubitores neque avari neque ebriosi neque maledici neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et haec

•• ii

r i

* i
IHI .

quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificari estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi et in Spiritu Dei nostri (1 Cor 6, 9 sqq). „Salvos facit baptisma . . .“ (1 Petr 3, 21). Alia iam habentur in praecedentibus.

399. *Arg. 2. Ex SS. Patribus.*

Tertullianus: Angeli, „qui unum semel anno liberabant (Io 5, 4), nunc cotidie populos conservant deleta morte per abluitionem delictorum. Exempto sci. reatu eximitur et poena. Ita restituitur homo Deo ad similitudinem eius, qui retro ad imaginem Dei fuerat“ (De bapt. c. 5; *M* 1, 1206). *S. Hieronymus* affert verba Oceani: „Omnia nobis baptismate condonata sunt crimina, nec post indulgentiam iudicis metuenda est severitas dicente apostolo: Et haec quidem fuistis . . .“, et assentit: „Omnia peccata donata sunt: bene et fideliter“ (Ep. 69 ad Ocean, n. 4; *M* 22, 657). *S. Augustinus:* „Salus hominis in baptismate facta est, quia dimissum est, quod peccati a parentibus traxit vel quidquid etiam proprie ante baptismum ipse peccavit“ (Contra duas ep. pelag. l. 3, c. 3, n. 5; *M* 44, 591). Item alius quidam inter opera S. Augustini: „Omnia prorsus delicta delet sanctum baptisma et originalia et propria, dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur“ (De symb. ad catech. c. 10; *J* 40, 659; cf. ib. 636-649). *S. Cyrillus Hieros.:* „Descendis in aquam ferens peccata, sed gratiae invocatio animam obsignans non te permittit ab immani sorberi dracone. Qui mortuus in peccatis descendisti, ascendis vivificatus in iustitia“ (Catech. 3, n. 12; *J* 33, 442). *S. Basilius:* „Baptismus captivus est redemptionis pretium, debitorum condonatio, mors peccati, regeneratio animae, indumentum lucidum, sigillum, quod conatu nullo frangi potest, vehiculum ad caelum, regni conciliator, adoptionis donum“ (Hom. in s. bapt. n. 5; *M* 31, 433).

400. *Arg. 3. Ex conciliorum definitionibus.*

Conc. flor.: „Huius sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur“ (*Denz.* n. 696). Similiter *conc. milev. II* can. 2 (*Denz.* n. 102), *conc. vienn.* (*Denz.* n. 483), quae testimonia statim citabuntur (cf. *Denz.* n. 424-464). Directe autem contra Lutheri doctrinam lata est definitio *conc. trid.* (sess. 5, can. 5): „Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, A. S. In renatis enim nihil odit Deus“ (*Denz.* n. 792).

Pars II. Baptismo infunduntur habitus gratiae et donorum.

401. Cum ex modo dictis constet hominem baptismo justificari, in tractatibus vero de gratia et de virtutibus probetur nullam esse in

hoc ordine iustificationem sine inhaerentibus donis gratiae et virtutum, eo ipso etiam certum est baptismo infundi dona gratiae et virtutum. Quare pauca tantum, quae magis ad ipsum baptismum pertinent, considerata sunt.

Aliquando enim disputabatur inter catholicos, num *etiam parvulis* statim in baptismo infunderentur habitus supernaturales, ut constat ex cap. «Maiores" *Innocenta III* (cf. De virt. theol. VIII, n. 22; *S. Thom.* 3, q. 69, a. 6). Quare *conc. viennense* declarat: «Opinionem, quae dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tamquam probabiliorem et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem sacro approbante concilio duximus eligendam" (*Denz.* n. 483). Nunc vero haec doctrina est de fidel. Clare hoc docet *conc. trid.*, quod postquam dixit iustificationis causam instrumentalem esse baptismum, ita ait: «In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem" (*Denz.* n. 800).

Praeterea de fide est baptismo characterem imprimi, quo character homo signatur ut pertinens ad corpus Christi mysticum, id quod iam antea probatum est (supra n. 178 sqq).

Pars III. Baptismo homo regeneratur et fit vivum membrum mystici corporis Christi.

402. *Arg. I.* Ex S. Scriptura.

Docet apostolus, scribens ad romanos, baptismo hominem mori peccato et incipere iam in Christo vivere (6, 3 sqq; 7, 5 6; 8, 9 sqq). In prima vero ad corinthios: «Omnes nos in unum corpus baptizati sumus.... Vos estis corpus Christi et membra de membro" (12, 12 sqq). Sicut enim per carnalem nativitatem omnes homines sunt membra illius corporis, cuius primus Adam est pater non solum physice sed etiam moraliter, ita per spiritualem nativitatem homines fiunt membra illius corporis, cuius caput morale est secundus Adam (cf. 1 Cor 15, 45 sqq). Consequenter, quemadmodum omnibus imputatur, quod primus Adam fecit, ac si ipsi fecissent, ita, quod secundus Adam fecit, imputatur omnibus membris corporis eius mystici, ac si ipsi fecissent. Christus autem morte sua pro peccatis satisfecit et gratiam meruit; ergo etiam omnes baptizati satisfecerunt pro peccatis suis et gratiam meruerunt. Haec est ratio, cur iis, qui baptizantur, omnia peccata quoad culpam et quoad poenam plane remittantur. «Quicumque enim baptizati estis, Christum induistis" (Gal 3, 27).

Est igitur homo baptizatus «nova creatura" (Gal 6, 15), creatus «in Christo Iesu" (Eph 2, 10), sicut per naturalem nativitatem homo

¹ *Straub* censet iam vi definitionis viennensis doctrinam esse infallibiliter certam (De ecclesia Christi II, n. 967 nota).

est vetus creatura, creatus in Adamo (Eph 4, 22 sqq). Generamur ex Adamo in peccatum, regeneramur ex Christo in justitiam (Io 3, 5). Quia autem baptismo homo plane novus generatur, vetera ita destruuntur, ac si numquam fuissent.

403. *Arg. 2.* Ex Traditione.

Cone, milev. II: „Parvuli ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt" (*Denz.* n. 102). *Cone, flor.:* „Per ipsum [baptisma] membra Christi ac de corpore efficimur ecclesiae. Et cum per primum hominem mors introiverit in universos, nisi ex aqua et spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum caelorum introire" (*Denz.* n. 696). *Cone. trid.* sess. 6, c. 7 et 14 (*Denz.* n. 799 sq 807). Similiter SS. Patres saepe de hac hominis per baptismum perfecta regeneratione et cum Christe coniunctione loquuntur. Ita *S. Gregor. Nyss.* Orat, in sanet. Ium. (Jf 46, 580), *S. Chrysost.* Catech. 1 ad illuminandos (*M* 49, 223 sqq), *S. August.* in sermonibus ad infantes habitis diebus paschali-bus (*Serm.* 224, n. 1; 225, n. 4; 226; .V 38, 1093 sqq).

404. *Arg. 3.* Ex ratione theologica.

Baptismo homo fit membrum corporis Christi mystici et qua tale membrum caractere signatur, ita ut omnes et soli baptizari sint et maneant christiani. Baptismo igitur ecclesia Christi primo constituitur. Christus autem ecclesiam suam esse vult omnino sanctam et ab omni ruga et macula puram, et ideo eos, qui baptizantur, gratia sanctificante instruit et tam perfecte mundat, ut nihil immundi in iis remaneat, „sed veterem hominem exuentes et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti sunt, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, ut nihil prorsus eos ab ingressu caeli remoretur" (*Cone. trid.* sess. 5, can. 5; *Denz.* n. 792).

Hinc baptismus dicitur aperire ianuam regni caelestis, quia satisfactio et merita Christi homini in baptismo tam perfecte applicantur, ut, si in hoc statu moriatur, statim sine mora caelum ingrediatur.

Simul autem cum gratia habituali datur etiam ius ad gratias actuales, quibus baptizatus vitam christiano dignam agere possit. Nam .per baptismum aliquis incorporatur Christo quasi membrum ipsius. Sicut autem a capite naturali derivatur ad membra sensus et motus, ita a capite spirituali, quod est Christus, derivatur ad membra eius sensus spiritualis, qui consistit in cognitione veritatis, et motus spiri-tualis, qui est per gratiae influxum. ... Et ideo consequens est, quod baptizati illuminentur a Christo circa cognitionem veritatis et fecundentur ab eo fecunditate bonorum operum per gratiae infusionem" (*S. Thom.* 3, q. 69, a. 5 ; cf. *Contra gent.* 1. 4, c. 59).

405. *Coroll. 1.* Ergo *baptismus iterari nequit*, non solum quia characterem imprimit, sed etiam quia est regeneratio, unius autem non est nisi una generatio eiusdem ordinis; dein quia est configuratio cum morte Christi, Christus autem semel tantum mortuus est; tum quia baptismus principaliter datur contra peccatum originale, hoc autem non iteratur (S. Thom. 3, q. 66, a. 9. *Cone. trid.*, De bapt. can. 11; *Denz.* n. 867).

406. „*De quibus dubium est, an baptizati fuerint*, baptizantur his verbis praemissis: Si baptizatus es, non te baptizo; sed: Si nondum baptizatus es, ego te baptizo etc.; non enim videtur iterari, quod nescitur esse factum." Ita *Alexander III* in decr. 3, tit. 42, c. 2 (*Denz.* n. 399). Intellegitur autem dubitatio rationabilis seu non aperte vana, nam sine ulla rationabili causa repetere baptismum esset fictio sacramenti, praxis sanae doctrinae opposita et violatio legis divinae et ecclesiasticae in re gravi. «Condicionali forma non passim aut leviter uti licet, sed prudenter et ubi re diligenter pervestigata probabilis subest dubitatio infantem non fuisse baptizatum" (*Rit. rom.* de bapt. c. 1, n. 9). Poena irregularitatis statuta est tum in eum, qui rebaptizat, tum in clericum, qui assistit, tum in eum, qui rebaptizatur, dummodo talis baptismus fiat sine ulla rationabili causa, nulla addita condicione et sollemniter (Decr. 3, tit. 42, c. 6 in fine et 5, tit. 9, c. 2). Hac irregularitate irretitus dicitur «fonte reus". Cf. de hac quaest. *Suarez*, De bapt. disp. 42, sect. 2; disp. 31, sect. 6.

407. *Coroll. 2.* „Sancta ecclesia semper intellexit sine maxima sacramenti iniuria fieri non posse, ut ei, qui baptismo expiatus est, eiusmodi pietatis officia, quae usitato nomine SS. Patres *opera satisfactionis* vocarunt, imponantur" (*Catech. rom.* P. 2, c. 2, n. 45). Ita docuerunt Patres ecclesiae et concilia, ut *trid.* sess. 6, c. 14 (*Denz.* n. 807). Possunt tamen opera poenalia et ante et post baptismum valere ad subigendam concupiscentiam, ad excitandam devotionem, ad impetrandas gratias. Quare in vetere ecclesia catechumeni ante baptismum ieiunare debebant, ut constat ex «Doctrina duodecim apostolorum" (c. 7) et *Tertulliano* (De bapt. c. 20; *M* 1, 1222).

408. *Schol.* „*Manere autem in baptizatis concupiscentiam* vel fomitem haec sacra synodus fatetur et sentit; quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus sed viriliter per Christi gratiam repugnantibus non valet; quinimmo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando apostolus peccatum appellat, sacra synodus declarat ecclesiam catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat" (*Cone. trid.* sess. 5, can. 5; *Denz.* n. 792). Praeter concupiscentiam etiam *manent aliae miseriae*

HI
M

↑

f.
V
V
.i.λ
4
Üf

i;

huius vitae, ut fatigationes, dolores, morbi, mors. Haec autem in baptizatis non sunt in satisfactionem pro peccatis praeteritis, sed ut Christo conformentur membra eius, et postquam cum eo passi fuerint, cum eo resuscitentur, et postquam pugnaverint, coronentur. Virtute autem baptismi hae omnes poenalitates auferentur in resurrectione.

Baptismo nemo liberatur ab iis poenis, quae *civilibus iudiciis* ob crimina imposita sunt, quamvis hae poenae coram Deo solam habeant rationem poenalitatis et sint materia exercitii virtutis. Pium tamen esset, sicut, qui baptizantur, poenas remittere (cf. 5. *Thom.* 3, q. 69, a. 2 ad 3; *Catech. rom.* P. 2, c. 3, n. 47).

A fortiori non liberantur baptizati ab observatione legum divinarum et ecclesiasticarum, neque eorum vota nulla fiunt et irrita, ut haeretici inepte docuerunt (cf. *Bellarm.*, De bapt. c. 15 sqq). Quorum doctrina damnata est a *conc. trid.* sess. 7, c. 7 et 8 (*Denz.* n. 863 sqq).

SECTIO III.

DE NECESSITATE BAPTISMI.

ART. I.

DE BAPTISMO FLUMINIS.

Prop. XLII. Baptismus fluminis necessarius est omnibus hominibus necessitate mediisive absoluta sive hypothetica.

M

409. *Necessitas mediisive* in eo consistit, quod res aliqua unicum medium praebet, quo salus aeterna obtineri potest. Haec necessitas est hypothetica, si in quibusdam condicionibus alio medio suppleri potest, quod quodammodo vicem prioris mediisive gerat, ut proxima propositione magis explicabitur. Quodsi in nulla condicione aliud medium supplens existat, necessitas est absoluta. In hac thesi abstrahimus a quaestione, utrum necessitas sit absoluta an hypothetica, quia ex sequentibus patebit (cf. *De Lugo*, De euchar. disp. 3, sect. 1).

Baptismus fluminis intellegitur ipsum sacramentum baptismi, cuius materia est aqua, et opponitur iis qui improprie dicuntur baptismis fluminis et sanguinis.

Ex *haeticis* nostram thesim sive omnino sive ex parte negarunt, pelagiani, de quorum errore agitur in tractatu de gratia, Wiclif, Zwinglius, Calvinus, alii (*Bellarm.*, De bapt. c. 4).

Ex *catholicis* putavit *Caietanus* in casu necessitatis parvulos fidelium orationibus parentum salvari posse (In 3, q. 68, a. 2 et 11). *Durandus* (In 4, dist. 6, q. 2), *Biel* (In 4, dist. 4, q. 2, a. 3, dub. 2), *Gerson* (Serm. de nativ. B. V.), *Toletus* (In 3, q. 68, a. 2) putant saltem credi posse Deum ex speciali privilegio interdum vota parentum pro filiorum salute exaudire et defectum baptismi supplere. *Klee* (Theol. dogm. III 160)

putavit infantes, qui baptizari nequeant, ante mortem rationis compotes fieri, ut actum caritatis elicere possint. *Schell* probabile censet ipsa morte parvulorum deleri peccatum originale (Dogmat. III 479).

410. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

„Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei“ (Io 3, 5). „Introire in regnum Dei“ est fieri heredem gloriae caelestis sive in re sive secundum ius tantum (Mt 5, 20; 7, 21; 18, 3. Mc 9, 46. Lc 10, 9 11. Col 1, 13 etc.). Ergo Christus aliis verbis dicit: Qui baptizatus non fuerit, heres non erit salutis et vitae aeternae. Consequenter sacramentum baptismi necessarium est ad salutem consequendam. Utrum autem haec necessitas sit medii an praecepti tantum, ex sola grammatica forma verborum erui non potest (cf. Io 6, 54). Intellegi reapse necessitatem medii sequentibus argumentis patebit.

411. *Arg. 2.* Ex definitionibus conciliorum, quibus verba illa evangelii authentice explicantur (supra n. 403). Provocando enim ad illa verba necessitatem baptismi tum pro adultis tum pro infantibus definiverunt *conc. inilevit. U* (*Denz.* n. 102), quae doctrina confirmata est ab *Innocentio I* (cf. inter August, epist. 176 et 182), *conc. flor.* (*Denz.* n. 696), *conc. trid.* (sess. 5, can. 4), quod definitionem concilii milevit. ad verbum fere transsumpsit (*Denz.* n. 791) et dein (sess. 7, can. 5 de bapt.) statuit: „S. q. d. baptismum liberum esse, h. e. non necessarium ad salutem, A. S.“ (*Denz.* n. 861; cf. 796). His addatur decretum „Lamentabili“, quo damnatur haec propositio 42: „Comunitas Christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tamquam ritum necessarium eique professionis Christianae obligationes adnectens“ (*Denz.* n. 2042).

412. *Arg. 3.* Ex SS. Patribus.

Tertull.: „Praescribitur nemini sine baptismo competere salutem ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: Nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam“ (De bapt. c. 12; cf. c. 13; *M* 1 1214 sq). *S. Oyrilus Hieros.*: „Qui in aquam descensurus es, ne ad elementi vilitatem attende, sed Spiritus Sancti efficacia salutem suscipe: nam sine ambobus salutem consequi non potes. Non ego sum, qui haec dico, sed Dominus Iesus Christus, qui huius rei potestatem habet; dicit enim: Nisi quis ...“ (Catech. 3, n. 4; 33, 430). *S. Basilius*: „Iudaeus circumcisionem non differt propter comminationem illam: ‚omnis anima, quae non circumcidetur die octavo, peribit de populo suo‘, tu vero circumcisionem non manu factam, sed quae per baptismum in expoliatione carnis perficitur, differs, posteaquam Dominum ipsum audivisti: ‚Amen, amen dico vobis, nisi quis... Tu nisi per aquam transieris, ab amara diaboli tyrannide non separaberis“ (Horn, in s. bapt. n. 2; *M* 31, 427). *S. Ambrosius* (supra

i
ii
i.
"C-
f».
»j|
ki!
«»:
1

η. 382). *S. August.*: .Noli credere nec dicere nec docere infantes, antequam baptizentur, morte praeventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus" (De anim. 1. 3, c. 9; J/ 44, 516). Cf. tract. De Deo creante III, n. 290.

413. *Arg. 4.* Ex ratione theologica.

Sicut generatio carnalis est medium necessarium ad vitam naturalem, ita generatio spiritualis est medium necessarium ad vitam supernaturalem. Atqui baptismus a Christo institutus est ut sacramentum generationis spiritualis. Ergo baptismus est medium necessarium ad vitam supernaturalem seu ad vitam aeternam.

Quare quamvis secundum antiquissimam *ecclesiae praxim* certi dies ad baptismum sollemniter administrandum constituti essent, sci. pascha et pentecoste, tum ut melius instruerentur et praepararentur baptizandi maiorque iis reverentia sacramenti inculcarentur, tum ut ecclesia fidelitatis eorum experimentum aliquod haberet, tamen in casu necessitatis baptismus statim dandum esse semper in confesso erat. Ita *Tertullianus* scribit: .Diem baptismo sollemniorem pascha praestat. . . . Exinde pentecoste ordinandis lavacris la(e)tissimum spatium est. . . . Ceterum omnis dies Domini est; omnis hora, omne tempus habile baptismo; si de sollemnitate interest, de gratia nihil refert" (De bapt. c. 19; *M* 1, 1122). .In necessitate infirmitatis positos" baptizandos esse, si vellent, saepius statutum est, ut a *conc. eliberilano* (anno 300) can. 38 39. De qua re scribit *Leo AL*: .Manifestissime patet baptizandis in ecclesia electis haec duo tempora [paschatis et pentecostes], de quibus locuti sumus, esse legitima . . . non interdicta licentia, qua in baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus subvenitur . . . ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc verae salutis singulare praesidium cuiquam denegemus" (Ep. 16, c. 5; *M* 54, 700). Huc pertinet praxis baptizandi infantes et permittendi in casu necessitatis administrationem baptismi quibuslibet hominibus. Haec praxis ecclesiae supponit baptismum omnibus esse ad salutem necessarium (*S. Thom.* 3, q. 68, a. 1 2 3).

414. *Difficultas* aliqua creatur ex 1 Cor 7, 14: .Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt." Attamen haec .sanctitas" filiorum parentis christiani non potest intellegi gratia sanctificans, quia analogia fidei et ipsa Pauli doctrina obstat, et quia neque coniux infidelis ita per coniugem fidelem sanctificatur. Ergo intellegitur aut sanctitas legalis, quatenus tales filii ex legitimo matrimonio nascuntur, aut potius intellegitur sanctitas aliqua incohatu, quatenus filii christianorum iam de iure pertinent ad ecclesiam; ergo sancti sunt, quia per parentes iam vocati sunt ad sanctitatem.

til

UH

415. (*oroll*) Ergo opinio Caietani et aliorum, qui censent secundum ordinariam legem Dei pueros alia ratione salvari posse, quando baptismi administratio sit impossibilis, admitti nequit, quia traditio ecclesiastica non novit talem legem, sed potius necessitatem baptismi ita effert, ut illi opinioni locus non sit (cf. *Denz.* n. 102). *S. Augustinus* ait: „Multum fallit et fallitur, qui eos [pueros non baptizatos] in damnatione praedicat non futuros" (De pecc. mor. et rem. l. 1, c. 16; *MU*, 120). Ita constantior docet (cf. Contra duas ep. pelag. l. 2, c. 6; *M* 44, 578. Contra Iul. l. 5, c. 11, n. 44; *M* 44, 809. Enchir, c. 93; *M* 40, 275. Epist. 166, c. 6, n. 16; 175, n. 6; 176, n. 2; *M* 33, 727 761 763. Sorm. 294; *M* 38, 1337). *Innocentius I* ad conc. milevit. scribit: „Illud vero, quod eos [pelagianos] vestra fraternitas asserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatum est" (3/ 20, 592). *Gelasius I* Epist. 7 haec scribit: „Neminem videmus exceptum; nec ausus est aliquis dicere parvulum sine hoc sacramento salutari ad aeternam vitam posse perducii; sine illa autem vita in perpetua futurum morte non dubium est. ... De parvulis autem quod asserit [haeresis pelagiana] sine sacro baptis- mate pro solo originali peccato non posse damnari, satis impia, satis profana propositio est" (*M* 59, 37). Anonymus, De vocatione gentium 2, 8: „Neque credi fas est eos, qui regenerationis non adepti sunt sacramentum, ad ullum beatorum pertinere consortium" (3/ 17, 1120). Cf. infra n. 448. Idem docent *S. Gregor. Naz.* (Or. in bapt. n. 23; *M* 36, 389), *S. Gregor. M.* (l. 9, ep. 52; *M* 77, 999), *S. Hieronymus*, alii, quos in tract. de pecc. orig. laudavimus (III, n. 289 sq). Idem scholastici, ut *S. Thomas*: „Non potest iis [pueris] alio remedio subveniri nisi per sacramentum baptismi" (3, q. 68, a. 3). „Et sic patet, quod puer illo [parentum fidelium] in deserto moriens sine baptismo salutem non consequitur" (Quodl. 6, a. 4). Hinc orta est doctrina scholasticorum de limbo parvulorum. Illa vero opinio Caietani a *Dominico Soto* censetur haeretica (In 4, dist. 5, q. unica, a. 2, § „Gravius autem dubium") et late ab eo refutatur; aliis videtur „valde aliena a sensu et dogmatibus ecclesiae, et ideo ut minimum temeraria et errori proxima" (*Suarez*, De bapt. disp. 27, sect. 3, n. 3).

416. *Neque asserendum est speciale privilegium*, quo aliqui saltem pueri non baptizati salventur. Quamquam enim Deus absoluto potest tale privilegium concedere, tamen dicendus non est revera concedere, nisi ipse revelaverit. Exceptiones enim a lege universali non supponi sed probari debent. Unde *Suarez* ait: „Existimo in huiusmodi necessitate non debere pios parentes petere a Deo, ut iustificet et salvet parvulos sine baptismo, quia hoc esset petere ab illo, ut contra legem suam agat, vel ut in universali lego pro omnibus lata dispenset, quod sine speciali revelatione aut instinctu Spiritus Sancti, qui revelationi aequivaleat, non licet, sicut non licet petere a Deo, ut aliquem dam-

natum ab inferno liberet, vel ut peccatorem adultum sine illius dispositione sanctificet⁸ (De bapt. disp. 27, sect. 3, n. 6).

417. *Schol.* *Quando inceperit haec baptismi necessitas, non convenit inter theologos.* Omnes quidem concedunt nullam fuisse necessitatem ante promulgationem novae legis. Baptismus enim non est necessarius ex natura rei sed ex lege positiva; lex autem positiva, ut obliget, promulgari debet. Quare etiam *conc. trid.* (sess. 6, c. 4) docet necessarium factum esse baptismum *post evangelium promulgatum* (Denz. n. 796).

Legis autem evangelicae promulgatio coepta est die pentecostes. Ergo pro quibusdam tunc iam baptismus necessarius erat. Attamen haec promulgatio nondum eo ipso poterat censi moraliter facta omnibus hominibus, ideoque non statim alia remedia, sive circumcisio sive sacramentum naturae, cessabant. Quando autem facta sit promulgatio sufficiens et alia remedia abrogata, ita pendet a morali aestimatione hominum, ut nihil certi et determinati statui posse videatur. Ceterum haec quaestio pertinet ad tractatum de lege positiva divina (V, n. 518. Cf. *Suarez*, De legib. 1.10, c. 4). Sufficiat hic notare secundum communem theologorum sententiam *iam per multa saecula promulgationem sufficienter factam esse pro toto orbe terrarum.*

ART. II.

DE BAPTISMO FLAMINIS.

Prop. XLIII. Principalis effectus baptismi etiam per votum baptismi obtineri potest.

418. Principalis effectus baptismi est collatio gratiae sanctificantis. Statuimus igitur hominem posse accipere gratiam sanctificantem per solum votum baptismi.

Votum baptismi intellegitur actus perfectae caritatis; nam qui hunc actum elicit, vult omnia facere, quae Deus facienda proponit; ergo vult etiam baptismum recipere, quippe quem Deus omnibus necessarium esse voluerit. Quia igitur nemo, qui nondum est baptizatus, in hoc ordine salutis actum caritatis elicere potest, nisi simul habeat voluntatem recipiendi baptismi, actus caritatis a tali homine elicited dicitur votum baptismi.

Baptismus autem flaminis (i. e. spiritus: flare = spirare) vocatur actus caritatis, quia collatio gratiae, quae fit per Spiritum Sanctum, vocatur metaphorice baptismus (Mt 3, 11. Act 1, 5). Hoc igitur nomen significat effectum baptismi in hoc casu conferri a solo Spiritu Sancto sine signo sacramentali.

419. *Arg. I.* Ex S. Scriptura.

Saepe a Deo vel Christo ei, qui Deum diligit, nulla alia addita condicione gratia promittitur. „Ergo diligentes me diligo“ (Prv 8, 17).

„Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum" (Io 14, 21). Cf. Lc 10, 27 28 et 1 Io 4 et inulta alia, quae accuratius tractantur in tractatu de paenitentia, ubi ostenditur omnem actum perfectae caritatis habere vim iustificandi (VII, n. 124 sqq). Ergo hoc valet etiam, antequam homo susceperit baptismum.

Confirmari hoc potest iis, quae narrantur Act 10, scii. Cornelium et totam domum eius iam accepisse Spiritum Sanctum ante baptismum, ita ut mirarentur iudaei et S. Petrus diceret: „Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos?" (v. 47).

420. *Arg. 2.* Ex decretis pontificum et conciliorum.

Innocentius III interrogatus de iudaeo, qui morti proximus se ipsum baptizaverat, docet nihil valere talem baptismum, sed statim addit: „Quamvis, si talis continuo decessisset, ad caelestem patriam protinus evolasset propter sacramenti fidem, etsi non propter fidei sacramentum" (3 deer., tit. 42, c. 4). Item de presbytero non baptizato: „Presbyterum, quem sine unda baptismatis diem clausisse significasti, quia in sanctae matris ecclesiae fide et Christi nominis confessione perseveraverit, ab originali peccato solutum et caelestis patriae gaudium esse adeptum asserimus incunctanter" (3 decr., tit. 43, c. 2).

Inter propositiones flamnatas Michaelis Bail sunt hae: Prop. 31: „Caritas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in paenitentibus potest esse sine remissione peccatorum." Prop. 33: „Catechumenus iuste, recte et sancte vivit et mandata Dei observat ac legem implet per caritatem ante obtentam remissionem peccatorum, quae in baptismi lavacro demum percipitur" (*Denz.* n. 1031 1033).

Conc. trid. (sess. 6, c. 4): iustificatio impii est „translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum salvatorem nostrum, quae quidem translatio post evangelii promulgationem sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei" (*Denz.* n. 796). Ergo aut baptismum aut eius voto homo iustificari potest, ut idem conc. statuit sess. 7, can. 4 de sacram.; cf. sess. 14, cap. 4 (*Denz.* n. 847 898). Votum autem baptismi non potuit aliter a concilio intellegi, quam intellegebatur secundum communem usum scholarum, i. e. sensu explicato.

421. *Arg. 3.* Ex SS. Patribus et theologis.

Videtur haec doctrina primum expresse proposita inveniri apud *S. Ambrosium*, qui de ea ut communiter nota loquitur. De morte

enim Valentiniani II. qui catechumenus interfectus est, haec scribit: „Audio vos dolere, quod non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est nisi voluntas, nisi petitio [i. e. quid potest homo ex sua parte facere nisi velle et petere]? Atqui etiam dudum hoc voti habuit, ut, et antequam in Italiam venisset, initiaretur, et proxime baptizari se a me velle significavit, et ideo prae ceteris causis me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam desideravit? non habet, quam poposcit? Certe, quia poposcit, accepit. Et unde illud est? Iustus quacumque morte praeventus fuerit, anima eius in requie erit (Sap 4, 7). Solve igitur, Pater sancte, munus servo tuo. . . . Qui habuit Spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam?" (De obitu Valent, n. 51-52; *M* 16, 1374.)

S. Augustinus saepe eandem doctrinam exponit, maxime De bapt. contra donat. l. 4, c. 21 (*M* 43, 171): „Nec ego dubito catechumenum catholicum divina caritate flagrantem haeretico baptizato anteponere; sed etiam in ipsa intus catholica bonum catechumenum malo baptizato anteponimus. . . . Melior est enim centurio Cornelius nondum baptizatus Simone baptizato. Iste enim et ante baptismum Sancto Spiritu impletus est, ille et post baptismum immundo spiritu inflatus est. . . .“; c. 25 (*M* 43, 176): „Quibus rebus omnibus ostenditur aliud esse sacramentum baptismi, aliud conversionem cordis, sed salutem hominis ex utroque compleri; nec si unum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse, ut et alterum desit. . . . complente Deo, quod non ex voluntate defuisset; cum vero ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvi.“ De hac doctrina Ambrosii et Augustini ait *S. Bernardus*: „Ab his duabus columnis difficile avellor, cum his, inquam, aut errare aut sapere me fateor, credens et ipse sola fide posse hominem salvari cum desiderio percipiendi sacramenti“ (Ep. 77 ad Hug. Viet. n. 8; *M* 182, 1036).

Bernardum sequitur *Hugo Victorinus* (l. 2, De sacram. P. 6, c. 7) et postea theologi scholastici. Audiatur unus *S. Thomas*: „Sacramentum baptismi dupliciter potest alicui deesse: uno modo et re et voto, quod contingit illis, qui nec baptizantur nec baptizari volunt, quod manifeste ad contemptum sacramenti pertinet, quantum ad illos, qui habent usum liberi arbitrii. . . . Et ideo hi, quibus hoc modo deest baptismus, salutem consequi non possunt, quia nec sacramentaliter nec mentaliter Christo incorporantur, per quem solum est salus. Alio modo potest sacramentum baptismi alicui deesse re, sed non voto. . . . et talis sine baptismo actuali salutem consequi potest propter desiderium baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interiori hominem sanctificat, cuius potentia sacramentis visibilibus non alligatur“ (3, q. 68, a. 2).

422. *Schol. 1.* Quaeritur, *utrum desiderium baptismi, quod cum actu caritatis haberi debet, necessario sit explicitum, an sufficiat im-*

plicitum, quod cum omni actu caritatis per se habetur. Dicendum est sufficere implicitum, quia homo nihil cogitans de baptismo actum caritatis elicere potest. Quod si accidit, iustificatio immediate sequitur secundum promissum Christi. Immo etiamsi cogitat de baptismo, potest tamen absolute actum caritatis elicere, nihil explicite statuens de baptismo. „Quamvis moraliter vix fieri possit, quin homo iam credens et amans Deum et proponens illi placere in omnibus, si simul actu cogitet de baptismo eiusque necessitate, statim illum desideret ac proponat suscipere, cum primum possit. Haec tamen moralis necessitas magis oritur ex propensione voluntatis suppositis prioribus actibus quam ex speciali institutione aut praecepto habendi talem actum" (Suarez, De bapt. disp. 27, sect. 2, n. 8).

423. *Schol. 2.* Quod theologi dicunt *baptismi effectum posse suppleri per actum caritatis in casu necessitatis*, quando ipsum sacramentum in re suscipi nequeat, non est ita intellegendum, ut ii, qui revera suscepturi sint baptismum, non possint antea iustificari per caritatem, sed ita: Nemo potest regnum caelorum intrare sine baptismo, nisi ei impossibile fuerit recipere sacramentum et tamen votum eius habuerit. Licet enim aliquis iam iustificatus sit, si tamen postea neglegat recipere baptismum, cum possit, amittit gratiam.

Hoc sensu etiam intellegendi sunt quidam *SS. Patres, qui negant catechumenum, quantumvis excellentem, posse ad aeternam vitam pervenire*. Ita e. g. *Cyrillus Hieros.*: „Neque si quis etiam virtutum operibus instructus signaculum per aquam non recipiat, ille caelorum regnum ingressurus est“ (Catech. 3, n. 4, cf. n. 10; *M* 33, 431 439). Hoc verum est, quatenus nulla bona vita prodest; si quis sua voluntate baptismo privatur. Hoc modo esse *SS. Patres explicandos patet ex eorum dictis, qui et nostram thesim diserte docent et simul negant sine baptismo salutem esse possibilem*. Ita e. g. *S. Augustinus*: „Quantumcumque, inquit, catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suae portat; non illi dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum“ (In Io. tract. 13, n. 7; *M* 35, 1496). Alibi autem, ut vidimus, docet votum baptismi sufficere ad iustificationem. Quomodo utrumque sit conciliandum, ex ipsius verbis apparet; nam dicit se loqui de catechumeno, qui virtutibus suis confisus baptismum sibi necessarium non esse putet. „Quare oportebat, ut Dominus baptizaretur? Quia multi contempturi erant baptismum, eo quod iam maiore gratia praediti viderentur, quam viderent alios fideles. Verbi gratia iam continenter vivens catechumenus contemneret coniugatum et diceret se meliorem, quam ille sit fidelis. Ille catechumenus posset dicere in corde suo: Quid mihi opus est accipere baptismum, ut et hoc habeam quod et iste, quo iam melior sum?“ (In Io. tract. 13, n. 6; *M* 35, 1495.)

MI
HI
HI !‘i
ni

411

Similiter aliorum Patrum dicta explicanda erunt, quamvis concedi possit nonnullos ex iis non omnino recte locutos esse (cf. *Suarez*, De bapt. disp. 27, sect. 2, n. 5, et *Wirceburg.*, De bapt. n. 71).

ART. III.

DE BAPTISMO SANGUINIS.

Prop. XLIV. Baptismus quoad remissionem omnis culpa^e et poenae tum in adultis tum in infantibus suppleri potest martyrio.

424. *Martyrium* est percussio letalis cruciatus, in odium fidei vel ob virtutis christianae exercitium inflictus et patienter toleratus. Itaque tria requiruntur ad martyrium: a) debet infligi talis cruciatus, ex quo mors naturaliter sequatur, licet martyr non statim moriatur aut inmo Deus miraculo mortem impediatur; b) debet cruciatus infligi in odium christianae fidei vel virtutis, quia 9martyres non facit poena sed causa6 (S. *August.*, Serm. 2 in Ps. 34, n. 13; *M* 36, 340); c) debet cruciatus patienter tolerari, unde, qui in sacro bello pugnans cadit, non est martyr. — Haec tria postulat ecclesia, ut aliquem tamquam martyrem colat (cf. *Bened. XIV*, De serv. Dei beatif. 1. 3, c. 11). Martyrium igitur voluntarie susceptum ex se seu secundum speciem actus est *actus fortitudinis*, quae est virtus moralis; imperatur autem hic actus a caritate vel alia virtute, pro qua quis mortem subit (cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 124, a. 2 et 3). In infantibus martyrium non est actus virtutis neque ullam rationem meriti habet. Ergo in iis effectus martyrii non potest aliter explicari, nisi quia Deus ita voluit. Adulti autem possunt quidem iustificari per martyrium; attamen illis non licet baptismum omittere, quia martyrium instat, sed solum si baptizari nequeunt, martyrio iustificantur. Quae autem dispositiones supponantur in adultis, infra dicetur (cf. De vint, moral. IX, η. 62 sqq).

425. *Arg. 1.* Ex promissione Christi.

„Qui perdiderit animam suam propter me [moriendo in hac vita], inveniet eam [in altera vita]" (Mt 10, 39). „Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam" (Io 12, 25). „Qui perdiderit animam propter me, salvam faciet illam" (Lc 9, 24).

426. *Arg. 2.* Ex SS. Patribus.

Tertullianus: „Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet. . . . Hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repraesentat et perditum reddit" (De bapt. c. 16; *M* 1, 1217). 5. *Cyprianus*: „Numquid potest vis baptismi esse maior aut potior quam confessio, quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur, ut sanguine suo baptizetur? . . . Sciant . . . catechumenos. . . non privari baptismi sacramento, utpote qui bap-

tizentur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo, de quo et Dominus dicebat se habere aliud baptisma baptizari. Sanguine autem suo baptizatos et passione sanctificatos consummari et divinae pollicitationis gratiam consequi declarat in evangelio idem Dominus" (Ep. 73 ad lubaian. n. 21; *H* 794 sq). *S. Augustinus*: „Quicumque etiam non recepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum in iis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis. Qui enim dixit: Nisi quis renatus fuerit. . . alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: Qui me confessus fuerit . . .“ (De civ. Dei l. 13, c. 7; $\Lambda\Gamma$ 41, 381). *S. Cyrillus Hieros.*: „Si quis baptisma non recipiat, salutem non habet, solis martyribus exceptis, qui etiam sine aqua regnum recipiunt" (Catech. 3, n. 10; *M* 33, 439). *S. Ioan. Chrysost.*: „Sicut ii, qui baptizantur, aquis, ita qui martyrium patiuntur, abluuntur proprio sanguine" (Horn, in mart. Lucian, η . 2; *M* 50, 522 sq). Similiter loquuntur SS. Patres in sermonibus, quos habuerunt die festo SS. Innocentium, ut *S. August.*, *S. Leo M.*, *S. Bernardus* (cf. De novissimis IX, n. 609)L

427. *Arg. 3.* Ex praxi ecclesiae.

Ecclesia colit ut martyres etiam eos, qui ante baptismum in odium fidei necati sunt, numquam vero pro iis orat. sIniuria est pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari" (*S. August.*, Serm. 159, c. 1; *M* 38, 868; cf. In Io. tract. 84; *M* 35, 1847). Idem docet *Innoc. III* in decr. 3, tit. 41, c. 6, § 2.

428. *Arg. 4.* Ex ratione theologica.

Rationem internam, cur Deus martyrium loco baptismi accipiat, ita explicat *S. Thomas*: Baptismus efficaciam inde habet, quod homo configuratur per eum Christo crucifixo (Rom 6, 3 sq). Atqui homo per martyrium multo perfectius configuratur Christo crucifixo quam per baptismum. Ergo convenit martyrium non minoris efficaciae esse quam baptismum. Similiter Spiritus Sanctus, qui tamquam prima causa omnem sanctificationis effectum producit, perfectissime operatur in martyrio, nam producit summum dilectionis argumentum visibile, quia maiorem caritatem nemo habere potest, quam ut animam suam ponat pro amicis suis (Io 15, 13). Ergo baptismus sanguinis tum ex parte passionis Christi tum ex parte operationis Spiritus Sancti praeeminentiam habet prae baptismo fluminis in ratione efficaciae; non tamen in ratione sacramenti, quare characterem non imprimit (3, q. 66, a. 11 12). In pueris vero, qui martyrium patiuntur, adest solum maior conformitas pum Christo crucifixo, non vero signum alicuius actus virtutis.

¹ Cf. *I. P. Kirsch*, Die Lehre von der Gemeinschaft der Heiligen im christlichen Altertum, Mainz 1900, 62 sqq.

429. *Schol.* Quae dispositio in adulto requiratur, ut effectum martyrii consequi possit.

Requiri fidem supernaturalem et voluntatem tolerandi poenas ob motivum supernaturale, ex notione martyrii efficitur. *In homine peccatore praeterea sine dubio requiritur retractatio peccati.* Conc. enim *trid.* docet ad impetrandam veniam peccatorum quovis tempore contritionis motum fuisse necessarium (sess. 14, c. 4 de sacram, paenit.; *Dem.* n. 897). Attamen voluntas pro Christo moriendi videtur sufficientem retractationem peccati includere, quia qui pro Deo contemnit summum bonum creatum, a fortiori renuntiat aliis bonis creatis. Quare *S. Thomas* simpliciter docet: „Martyrium purgat ab omni culpa et veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem invenerit peccato inhaerentem (3, q. 87, a. 1 ad 2).

Requiri autem actum caritatis aut in homine peccatore actum contritionis perfectae, ut martyrium effectum suum habere possit, non videtur verisimile. Nam a) martyrium potest ex se gratiam conferre iis, qui obicem non ponunt, ut patet exemplo infantium martyrum. Atqui nulla apparet ratio, cur martyrium minoris efficaciae sit in adultis quam in infantibus. Ergo dummodo homo non habeat complacentiam peccati, vi ipsius martyrii aut primam aut secundam gratiam accipiet, b) Patres et theologi docent martyrium esse maioris efficaciae quam baptismum. Atqui baptismus gratiam confert independentem a caritate vel contritione perfecta. Ergo a fortiori martyrium, c) Christus, ut discipulos ad martyrium excitet, praecipue inducit motivum timoris: „Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (Mt 10, 28). Ergo motivum timoris vel aliud simile motivum sufficit ad habendum martyrium; atqui omni martyrio indiscriminatim SS. Patres attribuunt effectum perfectae sanctificationis.

430. Unde intellegitur *martyrium quasi ex opere operato efficaciam habere*, non vero mediante actu contritionis aut caritatis. Neque ideo vitae traditio dicitur maxima dilectio, quia semper summum actum dilectionis internae supponit, sed quia inter opera externa est summum amoris documentum. Neque obstant verba apostoli: „Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest (1 Cor 13, 3). Sensus enim verborum est: Qui non diligit proximum suum [de caritate enim proximi sermo est in antecedentibus et consequentibus], quidquid de cetero facit, Deo placere non potest, id quod est in omni casu verissimum. Caritatem autem Dei habitualemente martyrium, nisi iam invenit, ipsum secum affert (cf. *Suarez*, De grat. l. 12, c. 10, n. 27).

Contra vero etiam summum desiderium pro Christo ex caritate moriendi non constituit martyrem proprie dictum neque efficaciam

martyrio propriam habet, licet maioris meriti esse possit quam ipsum martyrium; sed effectus martyrii tunc tantum habetur, quando homo vi cruciatuum illatorum in eo statu constituitur, ut mors iam naturaliter evitari nequeat {*Suarez, De bapt. disp. 29, sect. 3, n. 25*}.

431. Aliunde autem *homini nondum baptizato, quando mortem appropinquare cognoscit, praeceptum incumbit recipiendi baptismi*, aut si est peccator baptizatus, confitendi peccata, aut si nequit, eliciendi actum contritionis, quo praecepto non liberatur per spem martyrii. Unde si in processu canonizationis inveniretur eum, qui pro Christo mortuus esse dicitur, aliquid horum sua voluntate omisisse, recte monet *Benedictus XIV* non fore procedendum ulterius in causa. Generatim solet diligenter inquiri, quomodo martyres, si tempus non defuerit, ad martyrium se praeparaverint (De serv. Dei beatific. 1. 3, c. 15, n. 12 sq).

Ceterum per se patet eum, qui ita paratus est, ut pro Christo patienter ferat gravissimos dolores et ipsam vitam tradere velit, secundum ea, quae moraliter accidunt, vix posse non habere actum perfectae caritatis, ita ut martyrium reapse semper fere sit actus imperatus a caritate. Quidquid autem requiritur, ut martyrium effectum habere possit, Deus procurabit, ut in martyre non desit. Quare si de vero martyrio certo constat, in alia non est amplius necessario inquirendum.

SECTIO IV.

DE SUBIECTO BAPTISMI.

ART. I.

DE BAPTISMO ADULTORUM.

Prop. XLV. Subiectum baptismi est imprimis omnis homo adultus nondum baptizatus.

432. *Omnes homines adulti praecepto Christi tenentur ad suscipiendum baptismum.* Nam Christus iussit apostolos suos omnibus hominibus administrare baptismum. Atqui huic praecepto administrandi baptismum, quod Christus dedit apostolis, in hominibus respondet obligatio suscipiendi baptismum; sicut praecepto praedicandi fidem respondet praeceptum amplectendi fidem. Ideo praxis ecclesiae semper fuit hoc praeceptum hominibus inter primos fidei articulos inculcandi, idque eo magis, quod baptismus est unica via et ianua, qua quis potest intrare ecclesiam. Ergo omnes homines, sicut tenentur ad intrandam ecclesiam, ita tenentur ad suscipiendum baptismum {*Suarez, Do bapt. disp. 31, sect. 1*}.

433. *Ut baptismus adulti sit validus, requiritur voluntarius eius consensus.* Haec autem intentio non debet esse actualis, sed sufficit *habitualis*. „Res est communis et certa . . . et sumitur ex *conc. carthag. III*, can. 34 et *araus. I*, can. 12 et ex cap. „Maiores⁴ et ex *August.* l. 1 de adult, coniug. c. 26^e (*Suarez*, De bapt. disp. 24, sect. 1, n. 5). Ratio est, quia voluntas recipientis non requiritur ad constituendum baptismum, sed praerequiritur ut condicio, sine qua susceptio effectus sacramenti non esset voluntaria. Est autem voluntaria, quamdiu quis consensum semel datum non retrahit.

Itaque etiam *amentes* vel *dormientes* valide baptizantur, si antea habuerunt voluntatem recipiendi baptismum, ut constat ex doctrina *Innocenta III* (*Denz.* n. 411) et theologorum (*S. Thom.* 3, q. 68, a. 12). Attamen homines in tali statu versantes non licet baptizare, nisi periculum sit in mora vel usus rationis censeatur perpetuo impeditus. Praeter hos casus expectanda est ea condicio, in qua homo possit cum actuali cooperatione baptismum suscipere, tum propter dignitatem sacramenti tum propter maiorem fructum recipientis. Si vero necessitas cogit, amentes valide et licite baptizantur, licet hic et nunc contradicant, quia haec contradictio, cum non sit actus humanus, nequit destruere priorem consensum.

434. *Consensus est sufficiens, dummodo sit simpliciter voluntarius, licet sit involuntarius secundum quid, i. e. aut vi aut metu extortus.* Imprimis enim de metu interno non potest esse dubium, cum Christus ipse hoc metu adigat homines, ut fiant christiani. „Qui non crediderit, condemnabitur¹ (*Mc* 16, 16). Quare nihil communius fuit praedicatoribus evangelii quam consideratione malorum a Deo intentatorum homines adducere ad suscipiendum baptismum. Attamen etiamsi metus sit externus et per iniuriam illatus, nihilominus, si homo interne consentit, hic consensus est sufficiens ad valorem baptismi. Constat ex decreto *Innocenta III*: „Is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit sacramentum, talis, sicut et is, qui fecte accedit, characterem suscipit christianitatis impressum, et ipse tamquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei christianae⁸ (*Denz.* n. 411). Ratio est, quia ille, qui dat consensum simpliciter voluntarium, revera vult, etsi forte nollet, nisi metus ei incuteretur; efficacius enim est voluntarium simpliciter quam involuntarium secundum quid; intentio autem fortior praevallet. „Quare qui Christianus esse renuit, morti potius succumbere debet quam se sinere baptizari (*Scotus*, In 4, dist. 5, q. unie. a. 7, § „Quod si contra⁸). Nam si consentit, recipit characterem et vi characteris perenniter manet christianus et ad Christiana officia implenda cogi potest. Immo cum ecclesia non possit iudicare de internis, cogetur, quam primum extrinsecus consensit in baptismum.

435. Notandum autem est *in consensu praestando ad baptistnum suscipiendum hominem plenissime sui iuris esse neque a cuiusquam voluntate pendere*. Ita filius potest baptismum suscipere contra voluntatem patris et servus contra voluntatem domini. Neque enim requiritur tertii voluntas ad valorem, quia valor sacramenti pendet solum a subiecto, ministro, materia, forma, neque ad liceitatem, quia unusquisque potest usurpare licite, quidquid ei est necessarium necessitate medii et praecepti. «Ecclesia vero, quamvis interdum possit prohibere usum sacramenti propter eius reverentiam vel aliam iustam causam, non potest tamen sua sola prohibitionem efficere invalidum sacramentum, si ea non obstante omnia necessaria adhibeantur" (*Suarez, De bapt. disp. 24, sect. 1, n. 8*).

436. *Ad licitam et fructuosam susceptionem baptismi, non vero ad validam, requiritur fides et spes; et si homo peccata propria commisit, etiam requiritur saltem attritio*. Neque vero ulla attritio requiritur de peccato originali, quia nemo retractare potest quod hereditate tantum accepit. Neque requiritur confessio peccatorum personalium, cum sacramento paenitentiae non possint remitti nisi peccata post baptismum commissa. «Si qui tamen baptizandi ex devotione sua peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda, non ad hoc, quod iis satisfactio imponeretur [vel absolutio daretur], sed ad hoc, quod contra peccata consueta iis spiritualis informatio vitae traderetur" (*S. Thom. 3, q. 68, a. 6*). Debet baptizandus ante baptismum, si fieri potest, restituere bona aliena, si quae habet, reparare damna fortasse illata et scandalum datum, removeere occasiones peccati proximas, brevi: omnia ea facere, sine quibus vera ad Deum conversio impossibilis est. Hae et similes videntur fuisse rationes, ob quas olim in quibusdam ecclesiis baptismum praemittebatur confessio, quae non erat sacramentalis, sed quaedam ratio conscientiae ad habendam directionem spiritualem (cf. *Suarez, In 3, q. 68, a. 6, comment. n. 2*).

1.1!

Si quis vero baptismum sine debita dispositione suscipit, valide quidem, sed infructuose baptizatur, at postea remoto obice sacramentum reviviscit (supra n. 314).

437. *Schol. 1.* Quaiido praeceptum suscipiendi baptismum hominem adultum obliget.

Certo obligat in periculo vitae, id quod per se patet. Sed praeterea dicendum hoc praeceptum obligare hominem, ut, quam primum digne et commode possit, baptismum recipiat, i. e. non valde diu differat. Sancti enim Patres vehementissimis orationibus invehuntur in eos, qui differunt baptismum. Ita *S. Basilius*: „Differs deliberasque et cunctaris? Tu, qui a puero fidei rudimentis imbutus es, nondum assensisti veritati? . . . Cave deprehendaris promissa facere vitae lon-

gioris. . . . Subde indomitam cervicem tuam, Christi fias iumentum, ne iugo solutus liberam vitam agens facilis praeda fias bestiarum⁴ (Horn. 13 ad s. bap.; *M* 31, 426). Ita S. *Gregor. Ngs.* hom. *πρωτου βραουοντα ει το βαπτισαα.* (*λι* 46, 415) et alii Patres saepe. Immo ecclesia dilationem baptismi ita exhorrescebat, ut in eos, qui baptismum usque ad finem differebant, poenam inhabilitatis ad suscipiendos ordines saepius statuerit, id quod primum factum esse videtur initio saec. IV a *concilio neocaesarensi* can. 12.

Ratio, cur obligatio suscipiendi baptismum sit vere urgens, ea est, quod baptismus est sacramentum regenerationis, quo homines constituuntur membra ecclesiae et capaces fiunt mediorum gratiae, quae Christus instituit. Atqui spiritualiter vivere, esse membrum ecclesiae, mediis gratiae uti debet homo omni tempore vitae suae. Ergo quam primum intellexit hanc obligationem, eam sequi debet, neque potest sine peccato ad longum tempus respuere beneficia sibi a Christo in ecclesia parata. Consequenter homo obligatur, ut studeat acquirere dispositionem ad susceptionem huius sacramenti necessariam. Et haec quidem omnia sunt iuris divini, non iuris ecclesiastici. Immo nisi adesset ius divinum determinans tempus suscipiendi baptismum, ecclesia illud determinare non posset, quia non habet iurisdictionem in eos, qui non sunt baptizati (*Suarez*, De bap. disp. 31, sect. 2, n. 5 sqq; *Vazquez*, In 3, disp. 140).

438. Ergo qui, cum commode possit suscipere baptismum, diu differt sine ratione, peccat. *Quando autem peccatum dilationis sit grave*, non facile dici potest. Nonnullorum mensium dilatio non videtur gravis, quia ex vetere ecclesiae instituto talis dilatio saepe accidere poterat; nam adulti extra necessitatem non baptizabantur nisi sabbatis paschatis et pentecostes. „Quem ritum⁴, inquit *rit. rom.*, „quatenus fieri commode potest, in adultis baptizandis, nisi vitae periculum immineat, retineri decet aut certe non omnino praetermitti⁴ (*Rit. rom. de tempore bap.*). Ergo intervallum, quod intervenire potest post sufficientem instructionem catechumeni et proximum sabbatum paschatis, non est tantum, ut intra illud praeceptum suscipiendi baptismum urgeat, secus ecclesia tale intervallum statuere non potuit (cf. *S. Thorn.* 3, q. 68, a. 3).

439. *Schol. 2.* Utrum ad valorem baptismi requiratur expressa voluntas recipiendi baptismum, an sufficiat voluntas generalis faciendi omnia ad salutem necessaria.

Sufficere voluntatem generalem docent *Coninck* (In 3, q. 64, a. 8, dub. 5, n. 103), *Bosco* (De sacram, disp. 1, sect. 8, conci. 2, n. 30), alii. Postulat expressam voluntatem card, *de Lugo* (De sacram, disp. 9, sect. 7, n. 129) secutus *Suaresium* (De sacram, disp. 14, sect. 2, n. 4 versus finem). *Ratio*, quam reddit *Suarez* et quam de Lugo magis

explicat, est haec: „Baptismus, quia est ianua ad ecclesiam et in eo fit prima sollemnis professio fidei et legis Christi, ideo videtur requirere in adulto voluntatem magis expressam et formalem." Sed haec res cum tota quanta e morali aestimatione pendeat, theoretice vix cum certitudine definiri potest. Practice autem eligendum est id, quod est tutius, i. e. nemo baptizandus est, nisi qui voluntatem recipiendi baptismum diserte expresserit. In casu vero necessitatis, quando agitur de moribundo sensibus destituto, dummodo ne antea formaliter aut aequivalenter contradixerit susceptioni baptismi, videtur baptismus saltem sub condicione conferendus, quia non certo constat in hoc casu sacramentum esse invalidum, et in extremis omnia tentanda sunt. Postea vero, si aegrotus reconvalescit et dicit se velle baptizari, sacramentum sub condicione renovandum est. Si autem non vult, signum est eum antea non magis voluisse, et baptismus fuit invalidus (cf. *S. Augustinus*, De adult, coniug. l. 1, c. 26; *Ai* 40, 469).

440. *Schol. 3.* Quaestio movetur, *mini praeceptum suscipiendi baptismum etiam obligaverit beatam virginem Alariam et apostolos.* — Res est incerta, ut iam ait *Tertull.* (De bapt. c. 12; *Ai* 1, 1213). *Negativam* sententiam sequitur *Oswald*, *affirmativam* plerumque tenent scholastici, ut *Scotus* (In 4, dist. 4, q. 6, n. 3), *Suarez* (De bapt. disp. 31, sect. 1, n. 3), *Bosco* (De bapt. sect. 4, conci. 9, n. 9 sqq). Attamen notandum est beatam virginem non potuisse suscipere baptismum ut sacramentum regenerationis, ut qua non indigeret, sed potuit suscipere characterem et augmentum gratiae.

ART. II.

DE BAPTISMO INFANTIUM.

Prop. XLVI. Infantes capaces sunt baptismi fructuose recipiendi.

441. De hac thesi convenit inter catholicos et plerosque acatholicos. In dubium vocarunt saec. XII waldenses et quidam alii, saec. XVI vero anabaptistae, quorum reliquiae quaedam nostris temporibus exstant. Directum testimonium pro paedobaptismo non habetur ex S. Scriptura; coniecturae autem locus est ex Act 16, 15 33 et 1 Cor 1, 16, ubi narratur integras familias baptizatas esse.

442. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Infantes possunt introire in regnum caelorum (1 Tim 2, 1 sqq). Atqui nemo potest introire in regnum Dei sine baptismo (Io 3, 5). Ergo infantes fructuose possunt suscipere baptismum.

Ceterum Christus expresse significavit infantium esse regnum caelorum: *B*Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium

est enim regnum Dei. Arnen dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud" (Mc 10, 14-15). Christus igitur sicut clare pronuntiavit parvulos esse capaces regni caelorum et benedixit eos (Mt 19, 15), ita certe non censendus est eos exclusisse a baptismo.

Sicut in vetere lege infantes a peccato liberabantur per circumcisionem, ita in nova lege per baptismum (cf. supra n. 172 sq). Circumcisio enim praefigurabat baptismum (Coi 2, 11 sq). Ergo baptismus non minus quam circumcisio pertinet etiam ad infantes.

443. *Arg. 2.* Ex SS. Patribus.

Origenes: „Ecclesia ab apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus secreta mysteriorum commissa sunt divinorum, quod essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam et Spiritum Sanctum abluī deberent" (In ep. ad rom. l. 5, n. 9; *J/* 14, 1047). *S. Cyprianus* nomine concilii carthag. (anno 253) scribit ad Fidum episcopum, qui putabat infantes non esse baptizandos ante diem octavam: „In hoc, quod tu putabas esse faciendum, nemo consentit, sed universi potius iudicavimus nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam denegandam" (Ep. 64, n. 2; *II* 718). De qua sententia Cypriani ait *S. Augustinus:* „Beatus Cyprianus, non aliquod decretum condens novum sed ecclesiae fidem firmissimam servans, ad corrigendos eos, qui putabant ante octavam diem nativitatis non esse parvulum baptizandum, . . . mox natum rite baptizari posse cum suis episcopis censuit" (Ep. 166 ad Hier., n. 23; *M* 33, 731). De eo, qui negat parvulos posse fructuose baptizari, ait: „Profecto infidelis est, etsi habeat fidei sacramentum, longeque melior est illo parvulus, qui, etiamsi fidem nondum habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contrariae cogitationis opponit, unde sacramentum eius salubriter percipit" (Ep. 98, n. 10; *M* 34, 364; cf. De Gen. ad litt. l. 10, c. 23; *J/* 34, 426. De pecc. mer. et rem. l. 1, c. 26; *M* 44, 131. Enchir. c. 43 sqq; *J/* 40, 253 sq. Serm. 176, n. 2). Cf. *S. Iren.*, Adv. haer. l. 2, c. 22, n. 4 (*Jf* 7, 784); *S. Idan. Chrys.* hom. 40 in Gen. n. 4 (.V 53, 373); *S. Leo M.* serm. 49, n. 3 (*Af* 54, 303); *S. Gregor. Naz.* orat. 40, n. 28 (*J/* 36, 399); *S. Basilius* hom. 13, n. 1 (*If* 31, 423).

444. *Arg. 3.* Ex definitionibus ecclesiae.

Conc. milevit. II can. 2: „Placuit, ut, quicumque parvulos recentes ab utero matrum baptizandos negat... A. S." (*Denz.* n. 102; cf. n. 791).

c. later. IV: „Sacramentum baptismi tam parvulis quam adultis in forma ecclesiae a quocumque rite collatum proficit ad salutem" (*Denz.* n. 430). — Similiter *conc. florent*, decr. pro iacob. (*Denz.* n. 712), *conc. vienn.* (*Denz.* n. 482), tandem *conc. trid.* sess. 7, de bapt. can. 12 sqq (*Denz.* n. 868 sqq).

Praxis baptizandi infantes habetur in omnibus ritualibus ecclesiae occidentalis et orientalis.

Theologorum sententia invenitur in 4, dist. 4, vel in 3, q. 68, a. 9, qui omnes doctrinam proponunt ut plane certam et definitam.

Prop. XLVII. Infantes parentum Christianorum omnino baptizari debent, etiam antequam ad usum rationis pervenerint.

445. Postquam vidimus infantes capaces esse baptismi, etiam videndum est, num alicui praeceptum impositum sit eorum baptismum procurandi, et quibus hoc officium incumbat. Sed quia non eadem res est quoad infantes Christianorum et infantes infidelium, proxime exponemus, quid dicendum sit quoad infantes Christianorum.

Infans *in proximo mortis articulo baptizari omnino debet*, quia sine baptismo salvari non potest. Talis igitur infans in extrema necessitate constitutus est. Ergo valent regulae, quae generatim pro casu extremae necessitatis statuuntur, sci. proxime quidem baptismum procurare debent parentes vel ii, quibus cura infantis commissa est. Attamen si hi officium neglegant, quilibet alius, qui moraliter potest, debet baptismum procurare etiam cum gravi suo incommodo. Haec est lex divina naturalis.

446. Est autem notandum subiectum baptismi non solum esse quemlibet infantem iam plene formatum, sed *quemlibet foetum humanum animatum*. Unde aequae gravis obligatio adest baptizandi foetus abortivos, etiamsi brevi post conceptionem vivi eduntur. Quamdiu igitur non certo constat de eorum morte, saltem sub condicione baptizandi sunt. De qua gravi obligatione omnino monendae sunt matres et obstetrices vel etiam medici; et quidem monendi officium parcho vel confessario incumbit.

„Si mater praegnans mortua fuerit, foetus quam primum caute extrahatur ac, si vivus fuerit, baptizetur® (*Rit. rom. de bapt. parvul.*). Ad hoc faciendum per se unusquisque tenetur, qui aliquam huius rei peritiam habet, si chirurgus vel medicus obtineri nequit. Attamen non nimis urgendum erit hoc officium pro iis, qui non callent chirurgiam, tum quia animum non habent, et cum parva spe successus se fortasse deberent gravissimis incommodis obicere, quia talia per leges civiles non licet unicuique agere. — *Nunu vero mater debeat vel licite possit incisionem pati*, ut foetus extrahi possit ad baptizandum, si hic naturaliter nasci nequit, ita fere diiudicari potest: Si incisio matris sit aequivalenter occisio, ut morte secuta foetus extrahatur, non licet; sin periculum matris non est tantum, videtur licere, sed non esse de praecepto, quia nimium videtur tale onus matri imponere ad foetum servandum, maxime cum hic longe probabilius ante nativitatem valide baptizari possit.

De monstruosis foetibus, qui fortasse aliquando eduntur, iudicium sequendum est peritorum. Hi enim docent interdum edi foetus plane degeneratos, qui neque speciem hominis habeant neque ullam vitam humanam. Tales igitur non sunt baptizandi. Si vero dubitatur de humana natura, baptismus sub condicione conferendus est (*Rit. rom. de bapt. parvul.*).

447. *Extra periculum mortis non est obligatio ex lege divina infantes baptizandi, antequam ad usum rationis pervenerint.* Nam praecepto baptismi non est determinatum tempus, quo suscipi debeat, sicut olim pro circumcissione. Aliunde autem lex baptismi est lex positiva, quae non obligat pro omni tempore, et cum praeterea, si periculum mortis absit, pro infantibus plane idem sit, quando baptizentur, cum gratia actualiter uti non possint, sufficit eos statim baptizare, cum ad usum rationis pervenerunt, quia tunc tantum incipiunt indigere gratiis, quae ex sacramento iis affluunt. Unde „tempus infantiae, secluso periculo mortis, non videtur ex se adeo necessarium, ut ex vi solius divini iuris obligetur ecclesia ad baptizandos homines tempore infantiae nec possit licite baptismum differre usque ad aetatem adultam. Quod videtur fuisse olim in consuetudine aliquibus in locis; nec video rationem aut auctoritatem sufficientem ad asserendum talem consuetudinem esse contrariam iuri divino" (*Suarez, De bapt. disp. 31, sect. 1, n. 4.*).

448. *Attamen partim usu ecclesiastico partim etiam specialibus praeceptis lex ecclesiastica statuta est, ut infantes mox baptizentur, neque eorum baptisma diu differatur.* Ecclesiae autem competere ius talem legem ferendi, est omnino certum; habet enim potestatem in parentes Christianos, et lex in se est iusta et rationabilis propter periculum, quod a tenera infantium vita numquam plane abest. Debent igitur fideles hac in re sequi praecepta universalis et particularia et legitimum usum regionis, in qua habitant. Lex universalis haec est: „Opportune parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes . . . quam primum fieri potest . . . deferant ad ecclesiam, ne illis sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis" (*Rit. rom. de bapt. parvul.*). Quae vero dilatio vi huius legis gravis censenda sit, non convenit inter doctores; nisi vero excedat unum mensem, non potest probari esse grave peccatum. Ceterum standum est praeceptis et usibus particularibus (cf. *S. Alph. 1. 6, n. 118.*) *Eugenius 71* ait: „Circa pueros vero propter periculum mortis, quod potest saepe contingere, cum ipsis non possit alio remedio subveniri nisi per sacramentum baptismi, per quod eripiuntur a diaboli dominatu et in Dei filios adoptantur, admonet [ecclesia] non esse per quadraginta aut octoginta dies seu aliud tempus iuxta quorundam observantiam sacrum baptisma differendum, sed quamprimum

commode fieri potest, debere conferri; ita tamen, quod mortis imminente periculo mox sine ulla dilatione baptizentur, etiam per laicum vel mulierem, in forma ecclesiae, si desit sacerdos" (*Denz.* n. 712). Ex dictis patet parentes Christianos cogi posse, ut infantes suos ad baptismum afferant, et infantes etiam invitis parentibus licite et valide baptizari.

449. *Schol. 1.* De sententia infantibus baptismum esse differendum, ut ipsi possint consentire.

Quidam veteres doctores, qui et ipsi proxim baptizandi infantes testantur, putant tamen melius esse aliquantulum differre baptismum. Ita *Tertullianus*: „Pro cuiusque personae condicione ac dispositione etiam aetate cunctatio baptismi utilior est; praecipue tamen circa parvulos. . . . Ait quidem Dominus: ‚Nolite illos prohibere ad me venire/ Veniant ergo, dum adolescent, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur; fiant christiani, cum Christum . . . nosse potuerint. Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum?“ (*De bapt.* c. 18; *M* 1, 1221.) — Similiter *Greg. Naz.* or. 40, n. 28 (di 36, 400) censet excepto periculo mortis baptismum melius esse differendum usque ad tertium annum. — At hae singulares opiniones numquam receptae sunt ab ecclesia, sed satius semper visum est quam primum baptizare infantes; tum ut omne periculum illius tenellae aetatis vitaretur, tum ut infantes statim christiani adolescerent et portarent iugum Domini ab adolescentia sua.

450. *Erasmus* in praefatione ad paraphrasim evang. Matth. censet infantes baptizatos, postquam adoleverint, interrogandos esse, „ratumne habeant, quod susceptores eorum nomine polliciti sunt in baptismo. Si respondeant se ratum habere, tunc publice renovetur ea professio. . . . Quod si non potest obtineri, fortassis expediet illum non cogi, sed suo relinqui animo, donec resipiscat, nec ad aliam interim vocari poenam, nisi ut ab eucharistia sumenda reliquisque sacramentis arceatur.“ Eadem idea videtur subesse ritui protestantium, quem confirmationem vocant. Sed *conc. trid.* ipsis Erasmi verbis anathema apposuit (*Denz.* n. 870). Et merito. Nam sicut nulli hominum liberum est baptismum suscipere, ita nulli liberum est a baptismo semel suscepto recedere, luri enim divino iubenti susceptionem baptismi infantes necessario subsunt; et sicut, postquam adoleverunt, non interrogantur, num velint observare leges rei publicae, in qua nascuntur, ita non magis debent interrogari, velintne observare leges ecclesiae, in qua secundum Dei praeceptum spiritualiter nati sunt. Cum igitur infantibus per baptismum nihil imponatur, quod possint rationabiliter recusare, ideo, postquam usum rationis habent, non sunt interrogandi, num velint fortasse recedere ab ecclesia Christiana, quia responsum affirmativum esset irrationabile.

451. *Schol. 2.* Nnm parvuli in utero inclusi valide baptizari possint.

Haec quaestio est sane non parvi momenti, quia non raro accidit, ut infans in utero vivens cum magna probabilitate praevideatur non vivus nesciturus. Ergo ex solutione huius quaestionis pendet, utrum talis infans salvari possit necne.

S. Augustinus ait: ^Sacramentum baptismi profecto sacramentum regenerationis est. Quocirca sicut homo, qui non vixerit, mori non potest, ita qui natus non fuerit, renasci non potest. Ex quo conficitur neminem in suo parente [i. e. in virtute baptismatis, quod parentes susceperunt] renasci potuisse non natum” (De pecc. mer. et rem. l. 2, c. 27, n. 43; Jf 44, 177).

Veteres scholastici unanimiter fere respondent negative. „Pueri in maternis uteris existentes nondum prodierunt in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant; unde non possunt subici actioni humanae, ut per eorum ministerium sacramenta recipiant ad salutem/ Ita *S. Thomas* 3, q. 68, a. 11 ad 1. Idem docent reliqui scholastici in 4, dist. 4, ut e. g. *Scotus* in 4, dist. 4, q. 3. Consentit *rit. rom.*: nNemo in utero matris clausus baptizari debet” (De bapt. parvul.).

Sed bene attendendum est, *obquam rationem ita docuerint*, videlicet: „Corpus infantis, antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo abluī aqua, nisi forte dicatur, quod ablutio baptismalis, qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat. Sed hoc esse non potest” (*S. Thomas* l. c. in corp. art.). Recte notat *Scotus* hanc esse unicam veram rationem, quam scholastici afferant pro hac sententia.

452. Postea autem, cum inventa essent media, quibus pertingi posset ad puerum in utero existentem, *theologi coeperunt contrarium docere et dicere puerum ante nativitatem valide baptizari posse* et imminente periculo debere. Ita *Suarez*: 9Quacumque ratione fieri possit, ut abluatur [puerj, id satis erit ad valorem baptismi, etiamsi propria nativitas humana non praecedat, quia substantia sacramenti consistit in ablutione sub debita forma verborum” (In 3, q. 68, a. 11 ; Comment, n. 2). Quae sententia ita invaluit, ut iam nostra aetate vix sit theologus, qui non idem doceat (cf. *S. Alphons.* l. 6, n. 107).

453. *Neque obstat ratio* quam obiciunt: Nemo regenerari potest, qui nondum natus est. — Nam regenerari dicitur homo, quia baptismo deletur culpa, quam generatione carnali contraxit. Atqui non contrahitur culpa nativitate sed conceptione. Ergo quicumque naturali modo conceptus est, capax est regenerationis spiritualis. Ceterum regeneratio non tam intellegitur secunda generatio post primam carnalem, sed verbo regenerationis potius subest sensus redintegrationis eius, quod homo prius habuit, non vero ratio computationis cum prima nativitate carnali, nisi in quantum haec concipitur ut vehiculum peccati originalis.

'tn'

μη

ll

454. Quamvis autem huic affirmativae sententiae quidam etiam e posterioribus theologis contradixerint, haec contradictio omnino sperni potest, quia nullam probabilem rationem afferre possunt. — Tota quaestio de validitate talis baptismi practice ad hoc reducitur, num cum certitudine constet aquam sufficientem super caput infantis fluxisse. Quae res quia facile dubia esse potest, condicionata repetitio baptismi saepe licita erit. Et sic fortasse intellegendum est responsum aliquod particulare, quod s. congr. conc. 12 iulii 1794 dedit, rebaptizandum esse sub condicione puerum in utero baptizatum. Per se autem patet multo facilius constare de baptismo pueri e secundina iam egressi, quam eius, qui etiamtum secundina inclusus est. Nam in hoc altero casu si aqua effunditur super secundinam, certe postea baptismus repetendus est saltem sub condicione, quia longe probabilius non valet, cum secundina non sit puer. Si vero secundina perforatur (unde sequitur praematurus partus vel abortus; ergo solum licet, quando talem partum vel abortum procurare licet), iterum hoc unum quaeritur: pervenitne aqua ad caput infantis? nam si certo pervenit, baptismus valet, neque eum vel condionate repetere licet.

Prop. XLVIII. Infantes infidelium invitibus parentibus valide quidem sed non licite baptizantur.

455. Quaestio instituitur de solis infantibus, i. e. de iis, qui usum rationis nondum habent. Nam qui usum rationis habent, in hoc negotio ita sunt sui iuris, ut a nullo homine neque quoad valorem neque quoad liceitatem baptismi dependeant. Ergo filiis infidelium adultis petentibus baptismum, post debitum examen, sacramentum negari nullo modo potest propter parentum repugnantiam, sed ad summum, si ex contradictione parentum aut dominorum sequerentur gravia incommoda, ad tempus differri, donec incommoda illa avertantur. Et post baptismum talis pueri ecclesia per se ius habet eum parentibus subtrahendi, si ex eorum parte magnum ei perversionis periculum imminet. His igitur suppositis quaerimus de parvulis tantum, qui usum rationis nondum habent.

456. *Infantes infidelium valide baptizantur etiam invitibus parentibus.* Contrarium quidem docuit *Durandus* (In 4, dist. 4, q. 7, n. 13) et nonnulli alii, sed eorum sententia ab aliis theologis tamquam falsa reicitur, ut ait *Benedictus XIV* in decr. data d. 28 febr. 1747 de bapt. iudaeorum n. 28: „Haec opinio Durandi numquam aut plausum aut existimationem nacta est, quod revera constet baptismum esse ratum ac validum, quotiescumque baptizantis voluntas cum forma et materia necessaria accedat⁸ (cf. *Denz.* n. 1480 sqq). — Et in simili quaestione iam *S. Augustinus* scribit: .Non ... scriptum est: nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate ... sed: nisi quis renatus fuerit ex aqua et

Spiritu Sancto' (Ep. 98, ad Bonifac., n. 2; *M* 33, 360). Neque umquam ecclesia permisit tales infantes baptizatos iterum baptizare. Quamvis igitur Christus potuerit valorem baptismi infantium dependentem reddere a voluntate parentum, tamen nullum vestigium talis ordinationis ostendi potest; sed potius erat semper quasi adagium in ecclesia: Parvulus, sicut sine ullo suo vel aliorum consensu originale peccatum contrahit, ita sine suo et aliorum consensu sanctificari potest (cf. *Suarez*, De bapt. disp. 25, sect. 1, n. 8 sqq).

Puer autem infidelium baptizatus iuribus ecclesiae subest, quae proinde omnia procurare potest ac debet ad avertendum a tali puero periculum perversionis. Quod si aliter fieri nequit, etiam e domo parentum puer auferendus est, ut christiano modo educetur. Sic pluries decretum est a summis pontificibus (cf. *Denz.* n. 1490).

457. *Infantes infidelium extra periculum mortis licite non baptizantur invitis parentibus.* — Constat ex usu ecclesiastico, ad quem iam provocat in solvenda hac quaestione *S. Thomas*: „Maximam auctoritatem habet ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus aemulanda, quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati ecclesiae quam auctoritati Augustini vel Hieronymi vel cuiuscumque doctoris. Hoc autem ecclesiae usus numquam habuit, quod iudaeorum filii invitis parentibus baptizarentur. ... Et ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere, ut praeter consuetudinem in ecclesia hactenus observatam iudaeorum filii invitis parentibus baptizentur' (2, 2, q. 10, a. 12). Postquam autem quaestio saepius examinata est apud tribunalia romana, haec doctrina *S. Thomae* ut unice vera admissa est (*Denz.* n. 1482). Immo *lulius III* imposuit suspensionem et poenam mille ducatorum baptizantibus filios hebraeorum reluctantibus parentibus (cf. *S. Alphons.* l. 6, n. 132).

458. *Videtur autem haec prohibitio non esse iuris ecclesiastici tantum, sed iuris potius naturalis.* Ex una enim parte ecclesia non habet ius vi cogendi infideles, ut ipsi accipiant fidem, ex altera autem parte parentes ius indubitatum habent filios secum retinendi eorumque educationem procurandi. Iam vero ecclesia filios infidelium baptizatos aut subtrahit parentibus aut in potestate parentum relinquit. Relinquere eos parentibus esset eos exponere periculo evidenti apostasiae, id quod esset magna iniuria sacramenti et religionis christianae. Ipso vero actu baptizandi ecclesia acquirit ius in infantes, et sic destruitur ius naturale parentum infidelium curandi educationem filiorum. Unde ipse baptismus est iniuria in parentes infideles (*Suarez*, De bapt. disp. 25, sect. 3, n. 3).

Neque dici potest quemlibet posse defendere ius infantis contra iniustum aggressorem, et ideo licere infantem baptizare, sicut etiam

ε1»

M

licet defendere vitam infantis, si parens eum vult interficere. *Nam infans non habet proprie dictum ius recipiendi baptismum nisi aut in periculo mortis, aut postquam ad usum rationis pervenit.* Et quia in utroque casu parentes resistentes baptismo filii iniuriam filio inferrent, revera licet hanc iniuriam a filio avertere eumque baptizare (*Denz. n. 1483*). Extra hos autem casus nullum existit praeceptum divinum positivum vel naturale baptizandi infantes, et praecepta ecclesiae non obligant infideles. Ergo cum extra casum necessitatis parentes infideles dilatione baptismi usque ad adultam aetatem filiorum neque cuiusquam ius neque praeceptum divinum laedant, iure suo disponendi de filiis suis nullo modo privari possunt (*S. Thom. 2, 2, q. 10, a. 12 et 3, q. 68, a. 10*).

459. *Infantes infidelium, qui vel iure vel iniuria paternae potestati erepti sunt, ita ut nulla sit spes aut obligatio eos parentibus restituendi, omnino baptizari possunt sine consensu parentum.* Nam in hoc casu aut ius parentum extinctum aut ita ligatum est, ut eius usus sit impossibilis. Ergo baptismo parentibus nihil subtrahitur, quod vel in re vel in spe possident, et sic iis nulla iniuria fit. Hoc tamen supponit eos, quibus cura infantium tunc incumbit, consentire baptismo, quia tutores talium infantium in iura parentum succedunt. Eadem valent de infantibus, qui a parentibus infidelibus derelinquuntur.

460. *Infantes apostatarum vel haereticorum, i. e. eorum qui baptizati sunt, sed ecclesiae auctoritatem agnoscere nolunt, per se licite baptizantur.* Nam quicumque baptizatus est, oboedire debet legibus ecclesiasticis, ergo etiam legi, qua ecclesia iubet mox baptizari infantes parentum Christianorum. Attamen plerumque non expediet hoc iure uti, quia ex malitia parentum gravia mala oriri possunt, ob quae potius differendus erit baptismus usque ad adultam aetatem filiorum.

461. *Si alteruter saltem parentum sive infidelium sive haereticorum (vel tutor) consentit in baptismum infantis, hic licite baptizatur, dummodo spes adsit fore, ut in religione catholica educetur.* Quae spes, si alteruter parentum consentit, generatim non plane aberit; attamen, si esset speciale aliquod periculum perversionis, expectanda esset potius adulta aetas, quia ex una parte baptismus parvulis non est necessarius, ex altera parte apostasia est magna iniuria Christi et sacramenti, quam non leviter permittere licet. Quare saepe congregationes romanae decreverunt, si praevideretur grave periculum perversionis, infantes non esse baptizandos, etiam consentientibus parentibus (cf. *Gallo, Suppetiae mission. I 104 sq.*). Hoc tamen semper intellegitur extra periculum mortis.

Si parentes filios afferant ad baptismum, non praecise quia volunt eos christianos fieri, sed ex alio fine intrinsecus non malo, ut e. g.

fili liberentur a morbo, dummodo consentiant in catholicam educationem, tales pueros baptizare licet. Debet tamen missionarius, vel quicumque est baptizans, monere, quo sensu expectari possit salus corporalis a baptismo, ne superstitionem fovere videatur.

Ex dictis facile solvuntur quaestiones, num liceat baptizare filios infidelium, qui sunt mancipia Christianorum, item filios infidelium in bello captos, et similes casus, qui hodie vix sunt practicae utilitatis (cf. *S. Alphons.* 1. 6, n. 126 sqq).

462. *Schol.* Num possint principes christiani praecipere subiectis infidelibus, ut baptismum filiorum suorum permittant.

Aliquando *Scoto* (In 4, dist. 4, q. 9) et scotistis (cf. *Bosco*, De bapt. sect. 4, coroll. 7) et paucis aliis placuit haec doctrina: posse principes christianos curare, ut subditorum infidelium infantes contra parentum voluntatem baptizentur et christiani educantur. Sed haec doctrina est omnino falsa, quemadmodum recte docent communissime theologi cum *S. Thoma* (2, q. 10, a. 8 12), ut videre est apud *Suarez* (disp. 25, sect. 4, n. 3). Neque enim est principum interponere se rebus familiaribus, nisi quando iura alicuius evidenter laeduntur. Atqui hoc non obtinet in casu, de quo quaeritur. Ergo principes sine iniuria non possunt cogere subditos infideles, ut filii eorum baptizentur. Ceterum quaestio, maxime nostris temporibus, est mere theoretica, et facile omnes concedunt rem, etiamsi esset licita, tamen non expedire, quia nimium odium crearetur nomini christiano.

««
{suri
M

SECTIO V.

DE MINISTRO BAPTISMI.

Prop. XLIX. Minister baptismi sollemnis ex officio est episcopus vel parochus, ex delegatione vero quilibet sacerdos, aut in casu necessitatis diaconus.

463. Baptismus sollemnis intellegitur baptismus collatus cum omnibus caerimoniis, quas ecclesia praescribit, et opponitur baptismo necessitatis, qui in periculo mortis confertur caerimoniis omissis.

464. *Minister baptismi sollemnis ex officio est episcopus vel parochus.* Potest aliquis esse minister ordinarius alicuius sacramenti sub duplici respectu: a) in ordine ad sacramentum, b) in ordine ad sacramenti subiectum. Sub priore respectu is est minister ordinarius alicuius sacramenti, qui ad hoc ordinatus est, ut tale sacramentum non solum in extraordinariis casibus, sed semper et in communi cursu rerum administrare possit; extraordinarius vero, qui vi ordinationis suae in quibusdam tantum casibus per modum exceptionis minister sacramenti

constitui potest. In ordine autem ad subiectum sacramenti is est minister ordinarius, qui vi officii habet potestatem jurisdictionis, et hic quidem est minister ordinarius pro solis subditis suis. Sacramentorum enim administratio est munus proprium pastoris, et ideo supponit jurisdictionem ministri in subiectum sacramenti. Hic autem eo magis requiritur iurisdictio, quia per baptismum homines admittuntur ad ecclesiam et omnia iura hominis christiani accipiunt. Quamvis igitur non-baptizati non subiciantur iuri ecclesiae, tamen, si volunt in ecclesiam recipi, ecclesia ius habet eos mittendi ad certos ministros, a quibus solis licite recipi possint. Tales autem ministri sunt *episcopus in sua dioecesi et parochus in sua parochia*. Unde lex ecclesiastica: „Fidelibus alienae parochiae sacramenta non administrabit [parochus], nisi necessitatis causa vel de licentia parochi vel ordinarii' (*Rit. rom. de sacram.*, n. 14). Itaque docent theologi communiter sacerdotem, qui extra casum necessitatis sine licentia eos baptizet, qui non sunt subditi eius, graviter peccare (*S. Alphonsus* l. 6, n. 115, nota 2). Secundum consuetudinem autem ecclesiasticam nemo etiam subditos suos extra territorium suum baptizare potest.

Homines vagi, cum nullius episcopi vel parochi subditi sint, baptizari possunt, ubi volunt. Peregrini vero, qui diu absunt a patria, baptizari possunt a parochio loci, quo versantur; similiter infans, quem mater parit in aliena parochia a propria saltem una alterave leuca distante; secus si infans aequè bene ad proprium parochum ferri potest. Parentes vero, qui infantes suos in alienas parochias portant, ut ibi baptizentur, ius parochi proprii laedunt.

Quae dicta sunt de collatione baptismi sollemnis, valent etiam de caerimoniis baptismi supplendis, si in casu necessitatis omissae sunt.

465. *Minister baptismi sollemnis ex deputatione episcopi vel parochi est quivis sacerdos*. Sacerdos dicitur minister ordinarius baptismi, quatenus licentiam baptizandi sine ulla speciali ratione accipere potest. Hoc docetur in „*canonibus apostolorum*' 46 48 49, ubi episcopi aut presbyteri ministri baptismi nominantur. Idem docet *S. Cyprianus*: „Intellegimus non nisi ecclesiae praepositis et in evangelica lege ac dominica ordinatione fundatis licere baptizare . . . nec posse quemquam contra episcopos et sacerdotes usurpare sibi aliquid, quod non est sui iuris et potestatis' (Epist. 73, n. 5; *H* 783). Idem docent theologi, ut *S. Thomas*: „Ad proprium officium sacerdotis pertinet baptizare' (3, q. 67, a. 2). Idem habetur in instructione *Eugenii IV*: „Minister huius sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare' (*Denz.* n. 696). Idem constat ex perpetua praxi ecclesiae. *Ratio* huius rei a *S. Thoma* l. c. haec affertur: sacerdotes ad hoc consecrantur, ut corpus Christi conficiant, quod est sacramentum unitatis ecclesiae; per sacramentum autem baptismi homo fit particeps ecclesiasticae unitatis et ius accedendi ad s. eucharistiam accipit.

Ergo sicut sacerdotis est consecrare et administrare eucharistiam, ita eius esse debet ex officio baptizare (cf. *Vazquez*, De bapt. disp. 147, c. 3).

466. *Minister baptismi sollemnis extraordinarius est diaconus*. Extraordinarius dicitur, quia ei non communiter sed ex speciali tantum ratione licentia baptizandi danda est. Lex excludens communiter diaconum a baptismo conferendo iam inde a primis ecclesiae temporibus servata est. Ita S. *Epiphanius* scribit: «Neque diaconis ullum in ecclesiastico ordine sacramentum perficere conceditur» (Haer. 79, n. 4; *M* 42, 746). *Gelasius I*: ‚Diaconi absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi praedictis fortasse officiis longius constitutis necessitas extrema compellat’ (Epist. ad episc. Lucan, n. 7; *M* 59, 51). *S. Isidorus Hispal.*: ‚Constat baptisma solis sacerdotibus esse tractandum, eiusque ministerium nec ipsis diaconis explere esse licitum absque episcopo vel presbytero, nisi his procul absentibus ultima languoris necessitas cogat’ (De off. 1. 2, c. 25, n. 9; *M* 83, 822). *Ratio* est quia diaconi non acceperunt ordinatione sua eam potestatem, qua possint esse pastores ecclesiae eamque mundare a peccatis et nutrire cibo eucharistico. Adsciscere autem homines ad gregem Christi per baptismum est munus pastorum. Ergo diaconi baptizare non debent. Theologi hanc generalem regulam statuunt: Qui non habet potestatem in corpus Christi reale, non magis potestatem habet in corpus mysticum Christi (S. *Thom.* 3, q. 67, a. 2).

A fortiori patet «nullum hominem diacono inferiorem habere aliquod ius seu capacitatem proximam ad digne ministrandum hoc sacramentum nec iure ordinario neque ex delegatione episcopi vel sacerdotis. Haec etiam assertio est D. Thomae et communis omnium cum August. 1. 2 contra Parm. c. 13“ (*Suarez* disp. 23, sect. 2, η. 2).

Ex altera autem parte diaconus potest esse minister extraordinarius baptismi ex delegatione. Hoc efficitur tum ex testimoniis iam allatis tum ex verbis, quae in ordinatione diaconi ab episcopo dicuntur: «Cogitate magnopere, ad quantum gradum ecclesiae ascenditis; diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare.’ Iam *Tertullianus* dicit: «Dandi quidem [baptismum] habet ius summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter ecclesiae honorem’ (De bapt, c. 17; *M* 1, 1218).

467. Itaque relate ad baptismum *diaconus prae inferioribus clericis et laicis duplicem praerogativam habet*: a) quod ex delegatione sollemniter baptizare potest, id quod aliis secundum legem ecclesiasticam numquam conceditur; b) quod in baptismo privatim conferendo ceteris iure suo sit praefendus. Quia autem diaconus est minister extraordinarius tantum, omnes theologi docent *necessariam esse aliquam sufficientem rationem, ob quam baptismus diacono committatur*. Ratio

vero non debet esse praecise valde gravis, sed sufficit mediocris, ut si sacerdos occupatus est aliis laboribus, quos non bene interrumpere potest, vel si aegrotat vel eiusmodi alia (*S. Alphonsus* l. 6, n. 116). *Num in casu necessitatis diaconus sine delegatione possit sollemniter baptizare, disputant* theologi. Absolute affirmat *Suarez* (*De bapt. disp.* 23, sect. 2, n. 10) cum aliis; alii negant, quorum sententiam *S. Alphonsus* probabiliorem censet, qui consequenter docet diaconum in casu necessitatis sollemniter baptizantem probabilius incurrere irregularitatem. Contra hoc ultimum cf. *Archiv fiir kath. Kirchenrecht* LXII (1889) 103 sqq.

Prop. L. Quilibet homo utens debita materia et forma et intentione valide baptizat, et in casu necessitatis etiam licite, dummodo ordo praescriptus servetur.

468. *Quilibet homo valide baptizare potest.* Hoc constat ex doctrina et praxi ecclesiae. *Tertull.*: „Baptismus aequae Dei census ab omnibus exerceri potest" (*De bapt. c.* 17; *M* 1, 1218). *S. Hieronymus*: „Si necessitas cogit, scimus etiam licere laicis [baptizare]" (*Dial. adv. Lucif.* n. 9; *M* 23, 165). *S. Augustinus*: „Etsi laicus aliquis pereunti dederit [baptismum] necessitate compulsus . . . nescio an pie quisquam dixerit esse repetendum. . . Sed etsi nulla necessitate usurpetur et a quolibet cuilibet datur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum" (*Contra epist. Parm.* l. 3, c. 13, n. 29; *M* 43, 71). *Nicolaus I* (supra n. 389). Similiter *Urbanus II*, *Epist.* 271 ad *Vitab.* (*Ai* 151, 529); *Gelasius*, *Epist.* ad *ep. Lucan*, c. 7 (*Af* 59, 51); *Isidor. Hispal.*, *De off.* l. 2, c. 25, n. 9 (*Af* 83, 822). *Conc. later. IV*: „Sacramentum baptismi a quocumque rite collatum proficit ad salutem" (*Denz.* n. 430). *Conc. flor.*: „In causa necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest" (*Denz.* n. 696).

Idem probatur ex auctoritate theologorum: 4, dist. 5 vel 3, q. 67, a. 3 sqq. Porro idem probatur ex *praxi ecclesiae* in missionibus, ubi deest copia sacerdotum, conferendi baptismum per catechistas laicos.

Ratio congruentiae est, quod baptismus est tantae necessitatis; unde sicut materia eius assignata est valde communis, ita conveniens erat ministrum assignari, qui in omni casu facile haberi posset, et proinde neminem ab hoc ministerio excludi.

Notandum est quosdam veteres vehementer invehi in mulieres quae baptizare praesumant, ut *Tertull.*, *De bapt. c.* 17 (*Ai* 1, 1219); *Epiph.*, *Haer.* 79, n. 3 (*M* 42, 743). Neque vero loquuntur de validitate talis baptismi, sed de liceitate, et quidem de liceitate baptismi sollemniter collati.

469. *In casu necessitatis unusquisque licite baptizat servato ordine praescripto.* Nam superflua esset facultas data, si ea ne in casu quidem extremae necessitatis uti liceret. Qui autem licite potest, etiam debet, et quidem sub gravi, administrare baptismum in casu necessitatis, quia in tali casu unusquisque tenetur iuvare proximum suum, quando sine gravi suo incommodo potest.

Attamen hoc non ita intellegitur, ut in articulo mortis positum quivis indiscriminatim licite baptizare possit, licet ministri proprii adsint. Nam imprimis *baptizare pertinet ad iura episcopi vel parochi*; ergo sibi ministerium baptismi arrogare, quem ipsi conferre possunt et volunt, est eorum ius graviter laedere. „Hoc autem non tam est propter reverentiam vel sollemnitatem sacramenti quam propter servandum unicuique ius suum; et ideo, si proprius sacerdos velit suo iuri cedere, licite poterit sacerdos simplex id praestare“ (*Suarez, De bapt. disp. 31, sect. 4, n. 6*).

470. *Mortaliter peccat laicus baptizans in praesentia sacerdotis, vel si sacerdos facile et sine periculo in mora vocari possit.* Ita longe communius docent theologi contra quosdam (cf. *Suarez* l. c. n. 7; 5. *Alphonsus* l. 6, n. 117, dub. 1). *Ratio* est, quia per se solis sacerdotibus committitur administratio baptismi et ad id ordinantur, laicis vero per accidens tantum et in casu necessitatis, ubi sacerdos non adest. Ergo sine tali necessitate ministerium baptismi sibi arrogare est gravis inordinatio. Similiter peccant parentes, qui ad hoc invitant vel id fieri permittunt, nisi ignorantia excusat. Et sacerdos non potest cedere iuri suo, quia ex divina institutione debet ipse baptizare. Si tamen omnino nollet, licite baptizaret laicus.

Num *laicus baptizans coram diacono* graviter peccet, non convenit inter doctores; sed probabilius est negandum, quia diaconus non habet ius baptizandi nisi ex commissione. Quamvis igitur convenienter ceteris praeferatur, tamen hoc sub gravi esse servandum non constat (*Suarez* l. c. n. 9). A fortiori idem dicendum est de ministris inferioribus. Praeterea notandum est per baptismum privatum, quomodocumque etiam illicite usurpatum, non incurri irregularitatem.

471. *Lex ecclesiastica hodierna quoad ministrum baptismi haec est:* .Legitimus quidem minister baptismi est parochus vel alius sacerdos a parochus vel ab ordinario loci delegatus, sed quoties infans aut adultus versatur in vitae periculo, potest sine sollemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, sive clerico sive laico, etiam excommunicato, sive fidei sive infidei, sive catholico sive haeretico, sive viro sive femina, servata tamen forma et intentione ecclesiae. Sed si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius

ui:
En

l>l

||

femina sciret formam et modum baptizandi. Pater aut mater propriam prolem baptizare non debent praeterquam in mortis periculo, quando alius non repentur, qui baptizet" (*Hit. rom. de ministro bapt.*). Ergo in hoc ultimo casu aliena femina esset praefenda patri infantis; in omni autem casu praefendus est fidelis non excommunicatus, etiam femina, cuilibet infideli, haeretico, excommunicato vitando, etiam sacerdoti; et quidem sub gravi, quia ecclesia non concedit huiusmodi hominibus communicationem in sacris nisi in casu extremae necessitatis.

472. *Schol.* Num plures possint simul baptizare.

Respondent theologi distinguendum esse: Aut enim ita baptizant, ut unus verba proferat, alter materiam applicet, et tunc non conficitur sacramentum, ut iam dictum est (n. 365). Ita docet *S. Thom.* 3, q. 67, a. 6; *Alex. Halens.*, Summa 4, q. 16, membr. 6; *S. Bonavent.*, In 4, dist. 5, a. 1, q. 1; *Scotiis*, In 4, dist. 6, q. 2; *Gabriel* ibid. q. 1; *Doni. Soto*, In 4, dist. 4, a. 4; *Suarez*, De bapt. disp. 23, sect. 3, n. 2; *S. Alphonsus* ex Busenbaum l. 6, n. 119 et alii communiter contra paucissimos.

Aut complures baptizantes simul singuli materiam et formam integram applicant. Quo in casu iterum distinguendum est: Si quilibet baptizans intendit absolute et independenter ab aliis baptizare, valet baptismus, quia nihil deest ad valorem, sicut etiam valide conficiunt eucharistiam neopresbyteri simul cum episcopo consecrantes. „Haec est sententia D. Thomae et omnium theologorum" (*Suarez* l. c. n. 6). Explicatio huius sententiae in systemate, quo statuitur moralis efficacia sacramentorum, nullam habet difficultatem. Sed per se patet hunc modum baptizandi esse plane illicitum.

Si vero quilibet vult baptizare ut minister partialis et dependenter ab alio, secundum communiorem sententiam invalidus est baptismus, quia, cum verba formae secundum intentionem Christi habeant sensum absolutum, qui ea profert alio sensu, non habet intentionem faciendi id, quod facit ecclesia, sed novum ritum substantialiter alium inducit (*Suarez* l. c. n. 16. *S. Thom.* 3, q. 67, a. 6. *S. Alphonsus* l. 6, n. 120).

Prop. LI. Praeter ministrum in baptismo sollemni requiritur patrimis.

473. *Quid sit patrimis.* Ex consuetudine et praecepto ecclesiae statutum est, ut praeter ministrum et eum, qui baptizatur, adhibeatur in baptismo sollemni alia persona, quae baptizatum levet de sacro fonte. Patrini officium est nomine infantis fidem profiteri, renuntiare diabolo, promittere observationem mandatorum, et consequenter etiam baptizati curam suscipere et vigilare, ut ipse his promissis fideliter stet. Patrinatorum, qui etiam vocantur susceptores, sponsores, fideiussores, *Jva-00-01*, mentio iam fit a vetustissimis scriptoribus, ut a *Tertull.* (De bapt. c. 18; *M* 1, 1221) et postea a *S. August.* (De pecc. mer. l. 1, c. 34, n. 63:

BH

41

a

a

17

Jf44, 146 et alibi saepe). Antiquis temporibus patrinorum etiam erat de bonis moribus baptizandorum adulatorum testimonium dicere.

474. *Vigens lex* habetur in *conc. trid.* seSs. 24, cap. 2 De reform, matrim.: S. synodus „statuit, ut unus tantum sive vir sive mulier iuxta sacrorum canonum instituta vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant. . . . Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat/ Provocat *conc. trid.* ad decr. Gratiani P. 3, dist. 4, c. 101; ad l. 4 decr., tit. 10, c. 6; ad 6 decr. l. 4, tit. 3, c. 3.

Ceterum his locis patrinum assumendum esse in baptismo sollemni non praescribitur, sed notum supponitur. Videlicet ipse ritus praescriptus baptismi omnino fieri nequit sine patrino. Nam ad interrogationes sacerdotis „patrinus respondet⁸, et ipse baptismus debet conferri „patrino vel matrino vel utroque (si ambo admittantur) infantem tenente" ; vel ubi per immersionem baptizatur, „mox (post baptismum) patrinus vel matrino vel uterque simul infantem de sacro fonte levant, suscipientes illum de manu sacerdotis". Ita *rit. rom.* et similiter alia ritualia ecclesiae occidentalis et orientalis (cf. *Denz.*, *Rit. orient.* I 216 219 sq 224 283 etc.).

tom'

Mi

II

475. Itaque cum sit una de praecipuis rubricis adhibendum esse patrinum ad baptismum sollemnem, docent omnes theologi *graviter peccare eum, qui sine patrino sollemniter baptizet* (S. ALphonsus l. 6, n. 158), sicut etiam eum, qui plures quam duos (diversi sexus) admittat, cum hoc sit contra strictam ecclesiae prohibitionem. Sed cum lex non possit probari nisi ex caerimoniis baptismi sollemnis, *de obligatione adhibendi patrinum ad baptismum privatum non constat.*

476. *Rationem huius instituti reddit S. Thomas:* ^Spiritualis regeneratio, quae fit per baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali; unde dicitur 1 Petr 2, 2: Sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite. In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice et paedagogo. Unde et in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis et paedagogi, informando et instruendo eum quasi novicium in fide de his, quae pertinent ad fidem et vitam christianam; ad quod praelati ecclesiae vocari non possunt, circa communem curam populi occupati; parvuli enim et novicii indigent speciali cura praeter communem; et ideo requiritur, quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte, quasi in suam instructionem et tutelam" (3, q. 67, a. 7).

477. *Qui possint esse patrini.* Ut quis reapse fiat patrinus. requiritur, ut volens esse patrinus infantem, dum baptizatur (per se vel per

procuratorem) physice tangat aut immediate post immersionem baptismalem e manu sacerdotis accipiat, et hic est unicus actus essentialiter necessarius. Attamen cum de iure parentum vel tutorum infantis sit designare eos, quos patrilinos esse volunt, nullo modo est patrilinus, qui praeter designatos infantem tangit. Ita decrevit *conc. trid.* l. c. Si vero nemo est designatus, ii omnes sunt patrilini, qui cum debita intentione infantem tangunt ex declaratione s. congr. *conc. trid.* (*S. Alphons.* l. 6, n. 154). Si plures quam duo, sive electi sive non electi, accesserint, erunt quidem omnes patrilini (6 decr. l. 4, tit. 3, c. 3); attamen quia hoc est graviter illicitum, parochus procurare debet, ne fiat; unde si plures assignati accedunt, potest quidem permittere, ut omnes infantem tangant, sed monere debet unum et unam tantum, qui designandi sunt, esse veros patrilinos, ceteros testes tantum.

Ex munere patrilini intellegitur, cur patrilini esse omnino non possint, qui careant usu rationis, item cur ex lege ecclesiastica admitti non debeant infideles, haeretici, publice excommunicati aut interdicti, publice criminosi, infames, ii qui ignorant rudimenta fidei. Neque admitti debent monachi vel sanctimonialis neque ullius ordinis regulares a saeculo segregati (*Bit. rom.*). Ratio est, quia hi omnes, licet sub alio et alio respectu, inepti sunt ad munus patrilinorum subeundum. Nam „qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium paedagogi, et ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret, sicut eo tempore et loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter catholicos Christianos, satis possunt ab hac cura excusari praesumendo, quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum salutis spiritualium filiorum curam impendere (*S. Thomas* 3, q. 67, a. 8). Item, licet ex alia ratione, parentes non debent esse patrilini suorum filiorum neque coniunx coniugis. Convenit etiam patrilinos esse in aetate pubertatis et sacramento confirmationis consignatos (*Bit. rom.*).

478. *Ex munere patrilini oritur spiritualis cognatio*, i. e. inter levantem ex una parte, levatum levatique parentes ex altera parte intercedit impedimentum matrimonii dirimens, sicut etiam inter baptizantem, baptizatum baptizatique parentes, et quidem relate ad baptizantem hoc valet etiam pro baptismo privato, relate vero ad levantem probabilius pro solo baptismo sollemni (*S. Alphons.* l. 6, n. 148, q. 2. Contrarium docet Dr *Laurin*, *Archiv für kath. Kirchenr.* 1886, 369 sqq). In casu vero baptismi condicionati tunc tantum contrahitur cognatio, quando praesumptio omnino stat pro valore huius baptismi. Si fortasse patrilinus baptizatus non fuisset, non contraxisset impedimentum, quia lex ecclesiae non pertinet ad non-baptizatum (cf. *Suarez* in 3, q. 67, a. 7 et 8 commentar.).

Tractatus II. De baptismo.

SECTIO VI.

DE CAERIMONIIS BAPTISMI.

Prop. LII Convenienter institutae sunt caerimoniae baptismi.

479. Non quaeritur hic, num generatim conveniens sit aliquas caerimonia adhibere ad baptismum administrandum, cum hoc iam antea probatum sit (n. 329), sed num istae caerimoniae in specie, quae pro baptismo institutae sunt, convenientes sint. „Nam quod apostolus de linguarum dono admonuit, cum inquit sine fructu esse, si, quae aliquis loquitur, a fidelibus non intellegantur, idem fere ad ritus et caerimonia transferri potest; imaginem enim et significationem earum rerum prae se ferunt, quae in sacramento geruntur. Quodsi illorum signorum vim et potestatem fidelis populus ignoret, non magna admodum caerimoniae utilitas futura esse videbitur. Danda est igitur pastoribus opera, ut eas fideles intellegant certoque sibi persuadeant, si minus necessariae sint, plurimi tamen faciendas magnoque in honore esse oportere' (*Cat. rom. P. 2, c. 2, n. 59*). Omnes fere caerimoniae iam commemorantur a SS. Patribus, ut a *Tertulliano*, De bapt. et De cor. mil. passim; *Origene*, In Num. hom. 12; *Cypriano*, Epist. 70 (Jif 768 sq); maxime vero a *S. Cyrillo Hierosolymitano*, Catech. myst. 2 (Jf 23, 1078 sqq; cf. *Probst*, Sakram. 125 sqq).

tir-

480. *De caerimoniis, quae praecedunt baptismum.*

Imprimis aquam ipsam, quae ad baptismum adhibeatur, consecrari iam dictum est (n. 362); quae consecrationis caerimonia ante dies paschatis et pentecostes, utpote baptismo sollemni destinatas, fieri solet. Consecratur autem aqua per varias orationes, signa crucis, infusionem olei ad significandum baptismum ex opere Spiritus Sancti, qui ungit nos gratia sua, et per virtutem passionis Christi inesse efficaciam ad homines sanctificandos. Quod autem quidam SS. Patres dicunt consecrationem aquae adhiberi, ut aqua accipiat virtutem regenerandi, hoc sano modo intellegendum est (supra n. 362). Sumunt enim ipsam consecrationem essentialem, quae consistit in usu sacramentali aquae, cum ceteris caerimoniis, quae sunt quaedam explicatio formae essentialis, simul et indiscriminatim (*Suarez*, De bapt. disp. 30, sect. 2, n. 4).

481. *Baptizandi debent stare ad fores ecclesiae*, a cuius introitu prohibentur, quia etiam tum servituti diaboli ex peccato originali subiecti, nondum digni sunt, qui domum Dei ingrediantur, in qua filii familiae Christianae habitant. Quamvis enim fieri possit, ut baptizandi iam per actum caritatis liberati sint a peccato, tamen in foro ecclesiae, in quo non iudicatur de internis, omnis homo nondum baptizatus tractatur ut veteri damnationi subiectus.

482. Sequitur *catechismus*. Sacerdos enim, postquam interrogavit baptizandos, quid ab ecclesia peterent, responso accepto eos velle fidem, incipit instruere catechumenos doctrina, quam in baptismo profiteri debent. Hic catechismus brevis, qui immediate praecedit baptismum, vocari potest caerimonialis, qui, cum agitur de adultis, supponit et includit alium substantialem, sci. sufficientem instructionem rerum fidei et morum; nam Christus apostolos iussit docere et baptizare, ut, postquam homines credidissent, tum baptizarentur. Hinc veteribus temporibus, qui volebant christiani fieri, generatim vocabantur catechumeni, quorum duplex classis erat: alii audientes, qui audiebant instructiones, alii competentes, qui iam omnino decreverant fieri christiani et baptismum petebant, id quod vocabant „nomen suum dare". In *conc. constantinop. 1*, can. 7 legimus: „Primo die ipsos [ethnicos] Christianos facimus [christiana nomina iis imponimus], secundo catechumenos, tertio exorcizamus, dein longo tempore facimus eos venire ad ecclesiam et discere Scripturas, et tunc eos baptizamus." Simul cum catechesi iungebantur orationes, ieiunia, alia pietatis exercitia. Tandem varia scrutinia fiebant de catechumenorum admissione (cf. *Suarez*, In 3, q. 67, a. 1 comment.).

483. *Exorcismi* vis iam explicata est in tract. de sacram. in gen. (n. 342). Adhibetur autem catechumenis, quia non-baptizati supponuntur speciali impugnationi daemonum subesse (cf. *S. August.*, De pecc. mer. et rem. 1.1, c. 34, n. 65; *M* 44, 146). Fit vero exorcismus per orationes et increpationes verbales et reales, ut per insufflationem ministri in catechumenum ad significandam expulsionem daemonis. Adiungitur manuum impositio cum benedictione sacerdotali, ut daemone pracludatur via redeundi.

484. Deinde *sal benedictum in os baptizandi immittitur*, „ut per sal typicum sapientiae fetore careat iniquitatis, et ne a vermibus peccatorum ultra putrefiat". Tum fit ingressus in ecclesiam, et aures et nares baptizandi saliva liniuntur, aures quidem, ut aperiantur ad eloquium et doctrinam ecclesiae, nares vero, ut homo bonum odorem accipiat pietatis aeternae et sit in eo fragrantia plena fidei et bonorum operum (*Vulg. Ambr.*, De sacram. 1. 1, c. 1, n. 3; *M* 16, 418). Fit haec caerimonia ad exemplum Domini (Mc 7, 33. Io 9, 6).

485. Catechumenus, postquam abrenuntiationem satanae iam antea factam repetiit, *ungitur oleo catechumenorum* in pectore et inter scapulas, ut accipiat robur ad pugnandum pro Domino et iugum eius portandum. Tandem repetitur professio fidei et proceditur ad baptismum.

486. *De caerimoniis concomitantibus baptismum.*

Hae sunt circumstantiae temporis et loci, trina ablutio cum assistentia patrini. Sed cum cetera iam sufficienter explicata sint, solum restant quaedam dicenda de loco baptismi.

H
I ' I
„1
I

Est autem nunc *lex ecclesiastica non conferendi baptismum nisi in baptisterio ecclesiae*, praeter casum necessitatis. „Mortale est sine necessitate baptizare extra ecclesiam” (S. Alphons. 1. 6, n. 142). Casus necessitatis intellegitur, quando adest periculum mortis, quando infans nimis longe abest ab ecclesia, vel quando sine periculo alicuius gravis damni ad ecclesiam deferri nequit.

Excipiuntur ab hac lege *filii (et nepotes) regum et principum* (ex Clement. unie, de bapt.). Principes autem intelleguntur habentes supremam potestatem, quamvis aliquid dandum sit consuetudini, si forte alicubi introducta est consuetudo domi baptizandi filios magnatum, ut notant *Lacroix* (De bapt. n. 337) et *S. Alphons.* (1. 6, n. 118, nota 3).

487. Ad caerimonias concomitantes etiam referri potest *novi nominis impositio*, de qua *rit. rom.* (De bapt. n. 54): „Quoniam iis, qui baptizantur, tamquam Dei filiis in Christo regenerandis et in eius militiam adseribendis nomen imponitur, curet [parochus], ne obscena, fabulosa, ridicula aut inanium deorum vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur, sed potius, quatenus fieri potest, sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur et patrociniis protegantur/

at*1

<r.

488. *De caerimoniis, quae sequuntur baptismum.*

Primo *baptizatus in vertice chrismate ungitur*, ut intellegat se Christo capiti tamquam membrum coniungi et Christianum a Christo vocari, et ut virtutem accipiat fortiter servandi gratiam baptismalem contra omnia pericula.

Tum baptizatus induitur veste candida, quae significat nitorem, quo deletis peccatis anima resplendet, et innocentiam, quam in omni vita baptizatus servare debet, et resurrectionis gloriam, quam adepturus est. Olim baptizati veste alba per totam octavam paschatis utebantur eamque die octava deponebant, quare haec dominica vocatur in albis. Cereus quoque accensus datur baptizato, qui est imago fidei per caritatem flagrantis secundum verba Christi: «Luceat lux vestra coram hominibus» (Mt 5, 16).

De his omnibus cf. *cat. rom.*, *S. Thom.* 3, q. 71 cum commentariis *Suaresii*, *Bellarmin.*, De bapt. c. 24 sqq, *Thom. Wald.* III, tit. 5, c. 45 sqq.

489. Quantum *ad obligationem servandi caerimonias* theologi haec statuunt:

Grave peccatum est extra casum necessitatis omittere omnes caerimonias vel partem earum notabilem. Si vero in casu necessitatis omissae sunt, postea suppleri debent, ut praescribit *rit. rom.* de bapt. c. 5. Si in casu necessitatis datur baptismus sine caerimoniis praecedentibus, statim, si fieri potest, addendae sunt caerimoniae, quae

sequuntur baptisma, et aliae postea supplendae (*Rit. rom.* de bapt. n. 30). Si vero baptismus collatus cum omnibus caerimoniis postea deprehenditur invalidus, non constat repetendas esse caerimonias. Grave peccatum habetur omissio unctionis, sive ante sive post baptismum, item usus olei ex anno praeterito servati, novo iam accepto.

Si haereticus adultus convertitur ad fidem, qui non debet saltem sub condicione baptizari, ex consuetudine non solent suppleri caerimoniae, secus vero, si affertur infans a ministro haeretico baptizatus. Quis vero ex variis ordinibus baptismi vel caerimoniarum adhibendus sit, diiudicandum est tum ex rit. rom. tum ex privilegiis, quae nonnullis dioecesibus concessae sunt (cf. Collect, lacens. III, coi. 34 321 384 462 599 1106).

„Haec de baptismi sacramento si a pastoribus explanata fuerint, nihil eorum fere praetermissum esse videbitur, quae ad hanc cognitionem maxime pertinere existimanda sunt. Demonstratum est enim, quid ipsum baptismi nomen significet, quae sit eius natura et substantia; tum ex quibus partibus constet. Dictum est, a quo institutus fuerit, qui ministri ad conficiendum sacramentum necessarii sint, quosve tamquam paedagogos ad sustentandam baptizati imbecillitatem adhibere oporteat. Traditum est etiam, quibus et quemadmodum animo affectis baptismus administrari debeat; quae sit eius virtus et efficientia; postremo qui ritus et caerimoniae serventur. Quae omnia ob eam praecipue causam docenda esse pastores meminerint, ut fideles in hac cura et cogitatione perpetuo versentur, ut in iis, quae adeo sancte et religiose sponponderunt, cum baptismo initiati sunt, fidem servent atque eam vitam instituant, quae sanctissimae Christiani nominis professioni respondeat (*Cat. rom.* P. 2, c. 2, n. 77).

!

TRACTATUS III. DE CONFIRMATIONE.

PRAENOTANDA.

490. Sacramentum confirmationis *complementum quoddam* est baptismi; ideo primis saeculis simul cum hoc conferebatur. „Per baptismum enim spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia et corroboramur in fide' (*Eugen. IF* in decr. pro arm.; *Denz.* n. 695). Per baptismum quidem homines aggregantur societati fidelium; sed cum fidei dogmata et praecepta servari nequeant nisi pugnando contra inimicorum insidias et impetus, ideo vitae spirituali per baptismum acceptae confirmatio addit virile robur, quo christianus fiat miles fortis et strenuus fidei propugnator. Baptismus salvat in pace, confirmatio ad bellum armat.

Est igitur confirmatio, ut ipsum nomen indicat, sacramentum, quo baptizati corroborantur ad fidem Christianam constanter profitendam. Cum vero conferatur per unctionem chrismatis in fronte factam, *definiri potest*: sacramentum corroborationis in fide per unctionem chrismatis in fronte manu factam sub praescripta verborum forma.

Nomen confirmationis per se intellegitur, et refertur a SS. Patribus ad Sacram Scripturam 2 Cor 1, 21; 5, 5 (*S. Ambros.*, De myst. c. 7, n. 42; Af 16, 403). Aliis nominibus vocatur donum Spiritus Sancti, manuum impositio, *ἐπιθεσι χειρων* (quod verbum, cum etiam de paenitentia et de ordine dicatur, semper ad contextum attendendum est), consummatio, *τελείωσι*, perfectio, *βεβαίωσι*, sacramentum plenitudinis, signaculum, *σφραγί*, unctio, *χρίσμα*, *μόρον*, quod ultimum nomen nunc graecis est usitatum. (Cf. de hoc sacramento *Franc. Xav. los. Dolger*, Das Sakrament der Firmung, Wien 1906, ubi p. XIV multi alii libri indicantur. De hoc libro cf. *Zeitschrift für kath. Théologie* 1907, 500 sqq.)

SECTIO I.
DE EXSISTENTIA ET ESSENTIA SACRAMENTI
CONFIRMATIONIS.

ART. I.
DE EXSISTENTIA CONFIRMATIONIS.

Prop. LUI. Confirmatio est verum novi testamenti sacramentum.

491. *Ex haereticis veteribus* nulli videntur sacramentum confirmationis simpliciter reiecisisse. Novatiani quidem hoc sacramentum neglegebant. Cum enim Novatianus ex morbo decumbens in lecto baptizatus esset neque postea „reliqua accepisset, quae iuxta ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab episcopo consignatus esset" (*Euseb.*, H. E. l. 6, c. 43; *M* 20, 623), quidam sectatores eius, magistri exemplum secuti, baptizatos non confirmabant; quam ob rem varia concilia novatianos ad ecclesiam redeuntes confirmari iuebant (*Theodoretus*, Haer. fab. l. 3, c. 5; *M* 83, 407).

Temporibus mediæ aevi albigenses ullam esse virtutem confirmationis negabant, cum non esset instituta a Christo. Num *ivaldenses* idem docuerint, non convenit inter doctos. *Wiclifitae* et *husitae* solum circa ministrum errasse videntur. *Lutherus* anno 1520 in Sermone de novo testamento (n. 24) enumerat sacramenta: *tauf, fermel, puss, olung* etc. In libro De captiv. babyl. loquens de confirmatione negat ex S. Scriptura probari posse eam esse sacramentum; dein addit: „Non haec dico, quod damnem sacramenta septem, sed quod e Scripturis ea probari negem. . . . Nos autem pro hac vice sacramenta divinitus instituta quaerimus, inter quae, ut confirmationem numeremus, nullam invenimus causam.... Quare satis est pro ritu quodam ecclesiastico confirmationem habere." *Melanchthon, Chemnitius*, alii docebant veteribus temporibus confirmationem fuisse meram caerimoniam, i. e. catechesim seu publicam fidei professionem, utiliter ab ecclesia institutam, qua ratione etiam hodierni protestantes suam „confirmationem" habent. Similia docet *Calvinus* (Inst. l. 4, c. 19), qui catholicam confirmationem vocat „abortivam sacramenti larvam" (cf. de

his et aliis *Migne*, Curs, theol., ed. 2, XXI, coi. 547 sqq; *Bellarm.*, De confirm, c. 1).

Hos errores damnavit *conc. trid.* can. 1 de confirm. Quia igitur de ipsa re inter catholicos nulla potest esse disputatio, optimum videtur historicam huius dogmatis evolutionem brevi conspectu proponere.

492. *Arg. 1.* In S. Scriptura non diserte dicitur Christus instituisse sacramentum confirmationis. *Promiserat Christus omnibus fidelibus Spiritum Sanctum*, qui mansurus esset cum iis in aeternum (Io 14, 15 sqq). „Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus⁶ (Io 7, 38 39). Christus igitur promisit se fidelibus post suam resurrectionem daturum Spiritum Sanctum, et quidem omnibus fidelibus in aeternum. Intellegitur autem specialis aliqua donatio Spiritus Sancti, quae non cum omni gratia sanctificante habetur, cum gratia sanctificans iam data esset ante Christi glorificationem. Hanc autem promissionem ut impleret, Christus debuit ecclesiae suae convenienter visibilem modum et viam assignare, qua hoc donum Spiritus Sancti ad omnes fideles lege stabili deveniret, ut suaderetur tum ex analogia aliarum institutionum, quae factae sunt a Christo in ecclesia, tum vero ex ipsa natura hominum, qui accepturi erant Spiritum Sanctum. Hunc vero modum, quo dandus sit Spiritus Sanctus, ex ipsis verbis Christi non possumus eruere, sed eum discere debemus ex ipsa promissionis executione, quam legimus in Actibus Apostolorum.

493. Iam vero *die pentecostes* Spiritus Sanctus sub signis visibilibus descendit in eos, qui convenerant in cenaculum ierosolymitanum. Attamen hoc factum extraordinarium paucos tantum apostolos et discipulos spectabat. Sed Spiritus promissus erat omnibus credituris. Quare S. Petrus iudaeos admonet: *Baptizetur unusquisque vestrum, et accipietis donum Spiritus Sancti⁶ (Act 2, 38).* Ergo omnes credentes accepturi erant Spiritum Sanctum.

494. Porro *haec acceptio Spiritus Sancti non intellegitur ea, quae habetur in baptismo*, nam samaritani, „cum credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri et mulieres⁶. Sed per baptismum nondum acceperant Spiritum Sanctum modo illo speciali, quo in Actibus semper sermo est de hac re. Nam „cum audissent apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Iohannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum (Act 8, 12 sqq). Alia vero occasione S. Paulus

interrogat discipulos, quos iam baptizatos putabat, num acceperint Spiritum Sanctum, et ubi audit eos nondum esse baptizatos, prius sbaptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos" (Act 19, 1—6).

495. Ex his omnibus *hoc modo argumentum instruere possumus*: Ubi est signum sensibile, perenniter institutum, efficax gratiae sanctificantis, ibi est sacramentum novae legis.

Atqui tale signum est ritus descriptus in Actibus Apostolorum. Ergo hic ritus est sacramentum. Nam

a) signum sensibile est manuum impositio cum oratione;

b) perpetuitas institutionis patet ex promissione Christi mittendi Spiritum discipulis iam iustificatis, et quidem omnibus in perpetuum;

c) signum hoc est efficax gratiae; nam per illud fideles accipiebant Spiritum Sanctum. Sed dare vel accipere Spiritum Sanctum non potest probari umquam dici in Scriptura de gratiis gratis datis exclusive, contra principaliter semper intellegitur de gratia sanctificante (Rom 5, 5. 1 Cor 3, 16. Gal 5, 16 sqq. 1 Thess 4, 8 etc.). Ergo quamvis pro ratione istorum temporum simul cum gratia sanctificante saepe darentur gratiae gratis datae in confirmationem fidei, tamen hae gratiae non excludunt, sed potius supponunt gratiam sanctificantem. Et cum gratiae gratis datae nunc plerumque cessaverint in ecclesia, Christi autem promissio (Io 7, 39) valeat pro omnibus temporibus, non potest promissio Christi expleta censi per donationem charismatum tantum externorum, sed necessario dicendum est Christum promisisse specialem aliquam gratiam internam, cuius collationem adnexerit visibili ritui impositionis manuum (cf. Act 2, 39; 5, 32).

Hoc autem sacramentum eo distinguitur a sacramento baptismi, cuius est complementum, quod ritus ipse est alius, ministri alii, alius effectus. Institutio quoque divina speciali probatione non indiget, cum solus Deus cum signo sensibili possit infallibiliter gratiam coniungere, et cum apostoli non sint institutores sed dispensatores mysterium Dei. Hoc igitur sacramentum ecclesia vocat confirmationem.

496. Intellegitur ex dictis, quomodo *in epistula ad hebraeos* sacramentum confirmationis recenseatur inter elementares fidei doctrinas: „non rursum iacentes fundamentum paenitentiae ab operibus mortuis et fidei ad Deum, baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum ac resurrectionis mortuorum et iudicii aeterni" (Hebr 6, 1 2). Quod enim omnes fideles mox post baptismum accepturi erant, statim quoque ab initio discere debebant.

Quae omnia ostendunt doctrinae catholicae de sacramento confirmationis fundamentum scripturisticum minime deesse.

Quomodo autem loci citati ex S. Scriptura magis in specie interpretandi sint, traditio docet.

497. *Arg. 2. Ex SS. Patribus.*

Prima commemoratio huius sacramenti fortasse habetur apud *S. Theophilum* in libris ad Autol. (1. 1, n. 12), ubi dicit: „Certe nulla alia ex re Christianorum nomen traximus, quam quod divino oleo perfundimur". (Jf 6, 1042) h. *S. Irenaeus* 1. 1, c. 21, n. 3 4 describens, quomodo Valentiniani et gnostici haeretici corruperint ritus sacramentales ait: „Tum autem eum, qui initiatus est, opobalsamo unguunt. . . . Sunt etiam ex ipsis, qui eos quidem ad aquam adducere supervacaneum esse dicant; oleo autem et aqua una permixtis cum vocibus quibusdam . . . in eorum, quos initiant, caput iniciunt." Postea vero Irenaeus omnes haeticorum errores refutat, sed nihil dicit de unctione. Ergo signum est unctionem etiam apud catholicos in usu fuisse (Af 7, 663 sq; cf. *Probst*, Sakram. 160 sqq).

Tertullianus adversus Marcionem, qui duos deos statuebat, malum deum creatorem omnium, et bonum deum patrem, qui misisset Christum, ita argumentatur ad hominem: „Sed ille quidem [Christus] usque nunc nec aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suos ungit" (1. 1, c. 14; *M* 2, 262). „Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur" (De resurr. c. 8; *M* 2, 806). Maxime vero in libro De baptismo, postquam dixit in baptismo remitti quidem peccata, sed nondum dari S. Spiritum, ita pergit (c. 7): „Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant, quo Aaron a Moyse unctus est. Unde Christus dicitur a chrismate, quod est unctio, quae Domino nomen accommodavit, facta spiritualis, quia Spiritu unctus est a Deo Patre.... Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo et ipsius baptismi carnalis usus, quod in aqua mergimur; spiritualis effectus, quod delictis liberamur" ; (c. 8:) „Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum Sanctum.... Tunc ille Sanctissimus Spiritus super emundata et benedicta corpora libens a Patre descendit, super baptismi aquas, tamquam pristinam sedem recognoscens, conquiescit" (*M* 1, 1206 sqq).

Ex eo quod Tertullianus ait: „Perungimur . . . *dehinc* manus imponitur", concludi nequit impositionem manus fuisse sine unctione. Nam si is, qui frontem baptizati unxit, postea manum imponit et orationem addit, „per benedictionem advocans et invitans Spiritum Sanctum", unctio non minus ad hanc manus impositionem sequentem quam ad baptismum praecedentem pertinere potest. Si unctio est pars

1 Idem saepius repetunt veteres, ut *S. Cyrill. Hieros.*, Cateches. 21, n. 5 (*M* 33, 1092).

confirmationis, melius intellegitur, cur Tertullianus adeo efferat efficaciam unctionis, quam si haec fuit mera caerimonia baptismatis. Itaque cum haec sit obvia explicatio, non legitime ex particulis „dehinc“ et „tunc“ concluditur manus impositionem omnino separandam esse ab omni unctione.

Hippolytus comparans ecclesiam cum Susanna, illa verba (Dn 13, 15 17): BCum observarent diem aptum . . . voluitque lavari in pomario . . . dixit ergo puellis; afferte mihi oleum® explicat de baptismo et confirmatione: „Quod bonum tempus quaerebant nisi paschatis [quando sollemniter confertur baptismus], quo paratur lavacrum exustis, et ecclesia lota [baptismo] sicut Susanna tamquam sponsa munda stat coram Deo, quam duae famulae pedisequae, fides et caritas, sequentes parant lavantibus oleum et fragrantia unguenta? Quid autem sunt [allegorice] unguenta nisi mandata Dei? Quid autem est oleum nisi virtus Spiritus Sancti? His enim post lavacrum unguentur credentes. Haec praefigurabantur per beatam Susannam propter nos, ne nunc nos, qui Deo credimus, de iis, quae in ecclesia fiunt, miremur tamquam de alienis® (In Dan. 1, 16, ed. *Bonquetsch* 26 sq. Apud *M* 10, 692 sq; cf. de Antichristo 59, ib. 777 sq).

S. *Cyprianus* (Ep. 70, n. 2; *II* 768): „Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto chrismate, i. e. unctione, esse unctus Deo et habere in se gratiam Christi possit®; (Ep. 73 ad Iubai, n. 9; *H* 785:) Samaritani „quia legitimum et ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat; sed tantummodo, quod deerat, id a Petro et Ioanne factum est, ut oratione pro iis habita et manu imposita invocaretur et infunderetur super eos Spiritus Sanctus (Act 8, 14 sqq); quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in ecclesia baptizantur, praepositis ecclesiae afferantur, et per nostram orationem et manuum impositionem Spiritum Sanctum consequantur et signaculo dominico consummentur®.

Quia in S. Scriptura Spiritus Sanctus dicitur dari per impositionem manuum (supra n. 494), sacramentum confirmationis quasi nomine proprio vocari solet manus impositio. Sed ex hoc nomine perperam colligitur nudam fuisse manus impositionem sine unctione; nam eodem nomine etiam utuntur scriptores, qui diserte testantur unctionem in collatione huius sacramenti adhibitam esse. Ita e. g. *Innocentius III* in professione fidei waldensibus praescripta. „Confirmationem ab episcopo factam, i. e. impositionem manuum, sanctam et venerande esse accipiendam censemus® (*Denz.* n. 424). Si bonus est quorundam procedendi modus, licet concludere: Secundum Innocentium confirmatio consistit in sola manus impositione. Attamen Innocentius alio loco ait: „Per frontis chrimationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur confirmatio® (*Denz.* n. 419). Sicut hic vocatur sacramentum manus impositio et tamen erat chrismatio, ita potuit sacramentum apud veteres vocari manus impositio et tamen simul esse

chrismatio. Id autem eo suadet, quod improbable est unctionem, quae in plurimis ecclesiis adhibebatur, in quibusdam defuisse.

Aurelius Prudentius ait: „Cultor Dei memento te fontis et lavacri rorem subiisse sanctum, te chrismate innotatum“ (Cathemerinon hymn. 7, 125 sqq). Et interrogat: „Post inscripta oleo frontis signacula, per quae unguentum regale datum est et chrisma perenne“, vis muliebri ornatu caput dedecorare? (Psychomachia 360 sq; *AI* 59, 838 sq; 60, 50).

S. *Padano* baptizare et Spiritum Sanctum dare idem est atque Javacri et chrismatis potestas, et haec duo sunt maiora longe charismata quam potestas remittendi peccata (Epist. 1 ad Sempron. n. 6; *M* 13, 1057).

Innocentius I (402—414) (Ep. 25 ad Eugubin., c. 3): „De consignandis infantibus manifestum est non ab alio quam episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet secundi sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem pontificium solis deberi episcopis, ut vel consignent vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, quae asserit Petrum et Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam presbyteris, seu extra episcopum seu praesente episcopo cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum. Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere“ (*Denz.* n. 98). Hoc textu integra fere doctrina de confirmatione continetur. Unde mirum non est post hoc tempus multa et clarissima testimonia adesse, ex quibus nonnulla afferre libet.

Vulg. Ambros. (De sacram. 1. 3, c. 2; *M* 16, 434): „Sequitur [baptismus] spirituale signaculum, quod audistis hodie legi; quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur.- Cur autem oleum in hoc sacramento adhibeatur, S. Ambrosius explicat De myster. c. 6, qui ita concludit: „Omnes enim in regnum Dei et in sacerdotium unguimur gratia spiritali“ (*M* 16, 398).

S. *Augustinus* saepissime de hac re loquitur, ut Contra litt. Petii. 1. 2, c. 104: Sacramentum chrismatis „in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut et ipse baptismus; sed potest esse et in hominibus pessimis. . . . Discerne ergo visibile sacramentum, quod esse et in bonis et in malis potest, illis ad praemium, illis ad indicium, ab invisibili unctione caritatis, quae propria bonorum est“ l

§ Augustinus utitur quidem nomine sacramenti etiam sensu minus stricto (cf. De bapt. c. 21; De peccat, meritis c. 26; .V 43, 172; 44, 176; ubi loquitur de salo benedicto ut de sacramento catechumenorum); sed numquam sacramentum latius acceptum vocat sacrosanctum sicut baptismum.

jrrtrt'

n,

(jff 43, 342. Cf. In 1 ep. Io. tract. 6, n. 10; In Ps. 26 serm. 2; *M* 35, 2025; 36, 200).

Sicut apud latinos, ita etiam *apud graecos Patres* post prima huius sacramenti indicia, quae iam apud Theophilum et Irenaeum vidimus, magis magisque clarae expositiones apparent. Ita

Origenes in ep. ad Rom. 6, 3: „Secundum typum ecclesiae traditum omnes baptizati sumus in aquis istis visibilibus et chrismate visibili" (*M* 14, 1038).

Firmilianus Caesariensis: „Omnis potestas a gratia in ecclesia constituta est, ubi praesident maiores natu, qui et baptizandi et manus imponendi et ordinandi potestatem habent" (inter ep. Cypriani 75, n. 7; *H* 814).

S. Basilius: „Consecramus aquam baptismatis et oleum unctionis. Ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque traditione? Ipsam porro olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit?" (De Spirit. S. c. 27; j|f 32, 138).

S. Ioan. Chrysostomus: „Philippus unus ex septem erat secundus a Stephano; ideo cum baptizabat, Spiritum Sanctum baptizatis non dabat, neque enim potestatem habebat. Hoc quippe donum duodecim illorum tantum erat. Igitur haec erat apostolorum praerogativa. Unde et coryphaeos [i. e. episcopos] et non alios hoc facere videmus" (In Act. Apost. hom. 18, n. 4; Af 60, 144).

S. Cyrillus Hieros. integram catechesim (3. mystag.) de hoc sacramento habet, in qua (n. 3) inter alia ait: „Vobis, postquam ex sacrorum laticum piscina ascendistis, datum est chrisma, illius antitypum, quo unctus est Christus . . . oleo enim sive unguento corporali Christus ab hominibus unctus non est, sed Pater eum totius mundi servatorem praestituens, Spiritu Sancto unxit. . . . Vos vero unguento uncti estis, Christi participes et consortes effecti. Ceterum vide, ne nudum et vile hoc suspiceris unguentum esse. Nam sicut panis eucharistiae post invocationem Spiritus Sancti non est communis panis sed corpus Christi, ita et sanctum istud unguentum non amplius nudum neque, si quis ita appellare malit, commune unguentum est post invocationem, sed Christi donarium et Spiritus Sancti, praesentia divinitatis eius, efficiens factum. Quod quidem symbolice fronti aliisque sensibus tuis illinitur. Ac dum unguento visibili inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima vivificatur" (Af 33, 1090).

In Sacramentario *Serapionis* haec legitur „Oratio in oleum, quo ununtur baptizati": „Deus virtutum . . . invocamus te, ut per divinam et invisibilem virtutem tuam Domini et salvatoris nostri Iesu Christi opereris in hoc oleo operationem divinam ac caelestem, ut baptizati et uncti in eo effigie salutaris crucis Unigeniti . . . tamquam regenerati ac renovati per lavacrum regenerationis, ipsi quoque participes fiant doni Spiritus Sancti, et hoc sigillo confirmati {μέτοχοι γένωνται τη ωωρεά του άγιου πνεύματο ραι άσφαλισιϋέντε τη σφραγι

rayrj), permaneant stabiles et immobiles' {Funk, Didascalia apost. II 186).

Multa alia testimonia collegit scriptor tractatus De confirmatione in Cursu theolog. *Migne XXI* a coi. 556 usque ad coi. 761, qui integrum argumentum traditionis a saec. I usque ad saec. XII diligentissime instruxit.

In *S. Hieronymi* dialogo adversus luciferianos (n. 8) haec leguntur: 'An nescis etiam ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponatur et ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis, ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiam si Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtineret.' Quae quidem dicuntur a luciferiano; catholicus autem respondet (n. 9): 'Non quidem abnuo hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe a maioribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat' (Af 23, 164). «Totius orbis in hanc partem consensus' iam per se est argumentum efficax ad probandam existentiam huius sacramenti. Alia vide apud *Dblger*, Das Sakrament der Firmung 4 sqq.

498. *Arg. S.* Ex conciliis.

MM'

Cone, eliberitan. (anno 300) *can. 38*: «Peregre navigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem baptizare in necessitate, ita ut, si supervixerit, ad episcopum eum perducatur, ut per manus impositionem perfici possit.' — *Can. 77*: «Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debet.'

Cone, laodicenum (ca 370) *can. 7*: «Oportet eos, qui apud illos [novatianos] fideles [baptizati] dicebantur [si converti volunt], fidei symbola discentes et sancto chrismate inunctos sic sancto mysterio communicare.' — *Can. 48*: «Oportet eos, qui illuminantur, post baptismum inungi supercaelesti chrismate et esse Christi participes.'

Cone, hispal. IV (anno 619) *can. 7* loquens de iis, quae non pertinent ad officium presbyterorum, ait: «Si quidem non licere iis, [noverint] ecclesiam vel altaria consecrare nec per impositionem manus fidelibus baptizatis vel conversis de haeresi Paracletum Spiritum tradere nec chrisma conficere nec chrismate baptizatorum frontem signare.'

Similia testimonia habentur in *cone, tolet. IV* (anno 633) *can. 57*, *cabillon. II* (anno 813) *can. 27*, *meldensi* (anno 845) *can. 44*, *conc. flor.* {*Denz.* n. 697). Tandem

Cone. trid. sess. VII de confirm, *can. 1 et 2* doctrinam catholicam contra haeresiarchas saec. XVI definit: «S. q. d. confirmationem baptizatorum otiosam caerimoniam esse et non potius verum et proprium sacramentum . . . A. S.» ,S. q. d. iniurios esse Spiritui Sancto eos,

qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, A, S.“ (*Denz.* n. 871 872, cf. n. 424 465).

Decreto „Lamentabili sane exitu“ damnata est haec propositio 44 : „Nihil probat ritum sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab apostolis. Formalis autem distinctio duorum sacramentorum, baptismi scilicet et confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi“ (*Denz.* n. 2044).

499. *Arg. 4* fieri potest ex consensu ecclesiarum orientalium, quae omnes hoc sacramentum agnoscunt, licet in ipso ritu adhibendo saepe erraverint. Quoad graecos cf. *Goar*, Euchologium; quoad coptos, syros, armenos *Denz.*, Rit. orient. I 49 sqq 209 220 231. De nestorianis cf. *Zeitschr. für kath. Théologie*, Innsbruck 1877, 85 sq.

500. *Arg. 5*. Inde a saeculo XII theologos omnes circa veritatem sacramenti confirmationis unanimiter consensisse notum est (cf. 4, dist. 7 et 3, q. 72, a. 1 cum commentatoribus). Atqui eo ipso constat doctrinam oppositam esse falsam.

Rationes, ob quas Deus hoc sacramentum instituerit, theologo varias afferunt, quarum praecipua est, quod christiani non solum debent ut Christi discipuli vivere sed etiam ut Christi milites pugnare, quare non vita tantum supernatural! donandi sunt sed etiam viribus spiritualibus, quibus inimicis possint resistere (*Suarez*, De confirm, disp. 32, sect. 1, η. 12).

501. *Schol.* Certum est hoc sacramentum esse immediate a Christo institutum, sed *tempus institutionis ignotum est*. *Suarez* (l. c. sect. 2) studet ostendere esse institutum post resurrectionem Christi. — Ex altera parte plus quam probabile est Christum ipsum hoc sacramentum numquam administrasse, quia secundum S. Scripturam (Io 7, 39) Spiritus non dabatur nisi post Christi resurrectionem.

ART. II.

DE ESSENTIA CONFIRMATIONIS.

Prop. LIV. Materia remota confirmationis est chrisma ab episcopo benedictum.

502. *Essentialiter requiritur chrisma.*

Chrisma intellegitur mixtum quoddam ex oleo olivarum et balsamo, et hanc quidem materiam praescribi constat tum ex *pontificali romano* tum ex appendice *ritualis romani*. Sed quaeritur, num chrisma essentialiter requiratur. Fuerunt quidem nonnulli theologo, qui censerent nullam materiam praeter manuum impositionem esse necessariam (cf. *Migne*, Curs. theol., ed. 2, XXI 768). Sed haec sententia plane derelicta est.

Alii autem putaverunt oleum quidem esse de necessitate sacramenti, non vero balsamum. Ita sentit *Solus* (In 4, dist. 7, q. unica, a. 2, § Intricatus) autem secutus *Caetanum* (3, q. 72, a. 2), et praeterea idem docent quidam alii, qui provocant ad *Innocentii III* cap. *Pastoralis de non iterandis sacramentis. Interrogatus enim pontifex, utrum sacramentum confirmationis iterari deberet in eo, qui per errorem non chrismate sed oleo unctus esset, respondit: „In talibus non esse aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat praetermissum (Decretal. l. 1, tit. 16, c. 1).

Alii tandem censent et oleum et balsamum esse de necessitate sacramenti; et haec est multo communior theologorum sententia. Ita *S. Thomas* (3, q. 72, a. 2), *Scotus* (In 4, dist. 7, q. 1, n. 2), hinc plerique thomistae et scotistae, *Bellarminus* (De confirm, c. 8), *Suarez* (De confirm, disp. 33, sect. 1, n. 6); cf. *S. Alphons.* l. 6, n. 162. Quid de his sententiis iudicandum sit, patebit ex argumentis.

503. Imprimis non sufficere manuum impositionem, sed *requiri omnino oleum* iam dictis *SS. Patrum* (n. 497) sufficienter probatur (cf. *Migne*, *Curs. theol.* XXI, 764 sqq).

Quamvis enim modo loquantur de sola manuum impositione, modo de sola unctione, non ideo *SS. Patres* putandi sunt aut unam aut alteram exclusive intellexisse, sed partem pro toto posuisse. Immo ita essentiam huius sacramenti ex natura olei et unctionis explicant, ut dubium esse non possit, quin hanc materiam necessarium habuerint. Hoc idem docet concors *praxis ecclesiarum* occidentalis et orientalium (cf. *Denz.*, *Rit. orient.* 151 sqq).

Similiter cum communi theologorum (cf. *S. Thomas* 3, q. 72, a. 2 sq) hanc doctrinam proponunt *conc. flor.*, et *trid.* (*Denz.* n. 697 872). Quare *Valentia* censet sententiam, quae oleum essentialiter requirat, esse extra controversiam (IV, disp. 5, q. 2, punct. 2), *Suarez* eam esse de fide (l. c.), *Bellarminus* esse catholicis certissimam, similiter *Coninck* (De confirm, q. 72, a. 1, dub. 1, conci. 1), *Tanner* (IV, disp. 4, q. 4, dub. 1), *S. Alphons.* (l. c.). Idem doctores docent *oleum debere esse olivarum*, non vero ex aliis rebus confectum, quia illud solum simpliciter oleum vocatur, et quia usus ecclesiae numquam aliam materiam huius sacramenti agnovit (cf. *Dolger*, *Das Sakrament der Firmung* 55 sqq).

504. *Minus certum videtur balsamum requiri*; attamen multo probabilius ita est. Iam enim quidam *veteres scriptores ignoti* de balsamo loquuntur tamquam requisito ad sacrum chrisma, ut scriptor epistulae, quae communiter Fabiano papae adseribitur; in hac enim epistula balsami usus ad Christi institutionem refertur, «sicut a sanctis apostolis praedecessores nostri acceperunt (*Migne*, P. G. 10, 189). Similiter auctor sermonis de unctione chrismatis, qui olim habebatur inter opera S. Cypriani: «Hodie [die cenae Domini] in ecclesia ad populum

acquisitionis sanctificandum, in participatione dignitatis et nominis, sacrum chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum regiae et sacerdotalis gloriae exprimit unitatem, quibus dignitatibus initiandis divinitus est unctio instituta." *Beda* in Cant. 1, 13 notat: „In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona Sancti Spiritus exprimuntur" (*M* 91, 1097 sq). Quamvis igitur nomen chrismatis possit significare quamlibet rem unguendo aptam, tamen ex usu ecclesiastico videtur semper significare oleum balsamo admixtum, ut indicat *Innocent. III* cap. „Cum venisset" De sacra unct. (Decret. 1. 1, tit. 15, c. 1, § 2). Hinc si *conc. trid.* definit chrismati virtutem sanctificandi inesse (*Denz.* n. 872), hoc nomen chrismatis non debet aliter intellegi nisi secundum communem loquendi modum, ut expressius explicat *Eugenius IV*: Confirmationis materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae" (*Denz.* n. 697). *Catechismus romanus* ait: «Quod ea sit huius sacramenti materia, cum sancta ecclesia et concilia perpetuo docuerunt, tum a S. Dionysio et compluribus aliis gravissimis Patribus traditum est imprimisque a Fabiano pontifice, qui apostolos chrismatis confectionem a Domino accepisse nobisque reliquisse testatus est" (P. 2, c. 3, n. 6).

HF

Haec omnia quidem eiusmodi sunt, ut sententiae affirmanti balsami necessitatem *magnam probabilitatem* concilient; at eam plane certam reddere non possunt, quia neque testimonia S. Scripturae neque conciliorum expressae definitiones neque certa et concors Patrum vel theologorum doctrina hanc sententiam confirmant. *Practice autem omnino sequenda est haec sententia*, et si forte omissum est balsamum, sacramentum sub condicione iterandum est, quamvis haec non sit iteratio proprie dicta, ut notat glossa ad decretalem Innocentii pro opposita sententia supra (n. 502) citatam, sci. ideo dicere pontificem „non esse iterandum sed supplendum", quia „non dicitur iterari, quod prius factum non fuit". Cf. *Dolger*, Das Sakrament der Firmung 96 sqq.

505. Porro *chrisma debere esse recens* illius anni est quidem omnino de praecepto ecclesiastico, quod praeceptum per se sub gravi obligat; attamen omne chrisma sufficit ad validitatem sacramenti, quamdiu non est corruptum (*Suarez*, De confirm, disp. 33, sect. 1, n. 18 19).

Interdum ab apostolica sede conceditur facultas utendi chrismate ante annum benedicto.

506. *Chrisma ab episcopo benedictum esse debet*, et hoc quidem requiritur ad validitatem sacramenti. Ita docet S. *Thomas* 3, q. 72, a. 3, et „est sententia omnium theologorum paucis exceptis" (*Suarez* 1. c. sect. 2, n. 2; cf. supra n. 213 nota). Haec doctrina eruitur ex verbis *Eugenii IV*, qui simpliciter docet materiam huius sacramenti esse chrisma confectum ex oleo et balsamo ab episcopo benedictum (*Denz.*

n. 697). Idem aperte supponunt *Innocent. I* ep. 25 ad Decent. (*Denz.* n. 98) et *Innocent. III* cap. .Cum venisset' De sacra unet. In .instructione pro simplici sacerdote sacramentum confirmationis administrante", quae est in appendice *rit. rom.*, dicitur: .Curet apud se habere chrisma per catholicum antistitem . . . confectum, ac sciat sibi numquam licere sine eo confirmationem administrare." *Clemens VI* docet, ,quod per nullum sacerdotem, qui non est episcopus, chrisma potest rite et debite consecrari" (*Denz.* n. 571). Hanc consecrationem chrismatis indicant 5. *Basil.* (De Spirit. S. c. 27; *M* 32, 187); *S. Cyrill. Hier.* (Catech. myst. c. 3, n. 3; *M* 33, 1092); *S. Gelasius* papa (Ep. 9, c. 6; *M* 59, 50); *S. Leo M.* (Serm. 66, c. 2; *M* 54, 364); *conc. tolet. I* (a. 400), can. 20; *conc. carthag. II* (a. 390), can. 3; *conc. hipponense* (a. 393), can. 34; *conc. hispal. II* (a. 619), can. 7. Cf. supra n. 362.

Cum similis quaestio ageretur de materia extremae unctionis, .temeraria et errori proxima' a *Paulo V* declarata est sententia docens sacramentum hoc valide confici posse oleo ab episcopo non consecrato (*Denz.* n. 1628). Ergo a pari idem dici debet de materia confirmationis, quia non minus pro hac quam pro illa semper secundum ecclesiasticam traditionem postulabatur benedictio. Cf. *Dolger*, *Das Sakrament der Firmung* 101 sqq.

507. Si tandem *ratio congruentiae* quaeratur, cur huius sacramenti materia instituta sit chrisma et quidem benedictum ab episcopo, respondet *S. Thomas* oleo significari plenitudinem operationis Spiritus Sancti (Ps 44, 8. Is 61, 1 sq), ipsumque Dominum propter deitatis unctionem Christum dici. Ergo convenit discipulos eius oleo sacramentali ungi, ut sint christi per participationem et habeant robur et plenitudinem Spiritus Sancti in se.

Oleum enim est materialiter corroborans et illuminans, Spiritus Sanctus vero spiritualiter corroborat et illuminat. Balsamum autem additur, .quia Christi bonus odor sumus" (2 Cor 2, 15).

Consecratur vero haec materia, quia convenit elementum ex se naturale et sensibile fieri aliquo modo sacrum et spirituale, priusquam ad sanctificandos homines adhibeatur. Et quia Christus ipse usu suo non consecravit hanc materiam, ideo episcopus eam consecrat, qui in ecclesia personam Christi gerit (3, q. 72, a. 2 3).

In quantum ex dictis constat aliquam rem pertinere essentialiter ad hoc sacramentum, in tantum etiam constat eam a Christo esse institutam. Nam est principium indubium ecclesiae nullam competere potestatem in substantiam sacramentorum.

508. *Schol. I.* Nom ecclesia simplici sacerdoti facultatem concedere possit conficiendi chrismatis.

Affirmant Caietanus, Sotus, Victoria, alii summum pontificem hanc facultatem concedere posse. Nam cum potestatem confirmandi possit

>ani |

•I

simplici sacerdoti delegare, multo magis videtur dare posse facultatem conficiendi chrismatis. Quam sententiam *Suarez* dicit probabilem; nihilominus, inquit, contraria sententia probabilior et conciliorum decretis conformior videtur", quia illa facultas numquam data esse videtur in ecclesia (id quod alii negant) et concilia saepe inculcant sacerdotem, qui habeat facultatem confirmandi, debere uti chrismate ab episcopo confecto (ita e. g. *conc. flor.*; *Denz.* n. 697). Episcopum autem posse simplici sacerdoti hanc licentiam concedere est sententia plane improbabilis. Cf. *Suarez*, De confirm, disp. 33, sect. 2, n. 11 sqq. N. *Alphonsus* dicit speculative merito negari necessitatem episcopalis benedictionis pro chrismate, practice vero affirmativam sententiam esse omnino tenendam (l. 6, n. 163, dub. 2).

509. *Schol.* 2. Num oleum necessario debeat esse chrisma.

Quaerunt theologi, utrum valida materia confirmationis sit omne oleum ab episcopo consecratum, ut oleum infirmorum, an debeat necessario esse chrisma. Sed videtur vix dubium, quin debeat esse chrisma, iam ideo, quia aliis oleis balsamum non admiscetur. Attamen quia sunt theologi, qui censeant rem non esse certam, in articulo mortis, quando chrisma haberi nequit, potest sacramentum conferri alio oleo benedicto, sed condicione (ita *S. Alphonsus* cum aliis l. c. n. 162).

Prop. LV. Materia proxima confirmationis est unctio chrismate in fronte confirmandi in modum cnicis manu facta.

510. *Sota.* *Ritus confirmationis apud latinos* hic est: Pontifex stans versa facie ad confirmandos, innetis ante pectus manibus, dicit orationem, qua finita extensis versus confirmandos manibus, dicit: „Oremus. Omnipotens, sempiterna Deus ...” Post haec pontifex vel sedens vel stans summitate pollicis dexteræ manus chrismate intincta dicit: „N. signo te signo crucis”, quod dum dicit, producit pollice signum crucis in frontem illius [confirmandi], deinde prosequitur: „et confirmo te chrismate salutis. In nomine Pa tris, et Fi y lii et Spiritus f Sancti. R. Amen.”

Apud graecos sacerdos simpliciter unguento sacro facit signum crucis in fronte, oculis, naribus et in utraque aure et in pedibus dicens: *Σφραγῖ δωρεά πνεύματος ἁγίου* {*Goar*, *Euchol.* 356). Aliae ecclesiae orientales solam unctionem adhibent, ut iacobitae et armeni, aliae praeter unctionem habent etiam manus impositionem {*Denz.*, *Rit. orient.* I 59).

511. Iam vero nemo dubitare potest, quin utroque ritu, latino et graeco, integrum conficiatur sacramentum. Sed quaestio est, quaenam sint essentialia, quae vero accidentalia. Circa quam quaestionem sunt quattuor sententiae.

Prima sententia est eorum, qui dicunt solam manuum impositionem esse adaequatam materiam huius sacramenti. Ita *Aureolus* (In 4, dist. 7, q. 1), *Habert*, *Sirmondus*, alii. Hanc sententiam falsam esse patet ex praecedenti thesi.

Secunda sententia est eorum, qui dicunt et solam impositionem manuum et solam unctionem chrismatis esse sufficientem materiam huius sacramenti. Ita *Tapper* et alii. Quae sententia non minus pugnat cum praecedenti thesi.

Tertia sententia est eorum, qui solam chrismationem materiam essentialem esse censent. Ita *S. Thomas*, *Bellarm.*, *Estius*, alii.

Quarta sententia est eorum, qui utrumque ritum simul ut essentialem requirunt. Attamen plurimi, qui hanc sententiam defendunt, a tertia sententia reapse non recedunt, cum dicant se intellegere manuum impositionem illam, quae in chrismatione ipsa includatur. Cf. *Suarez* (disp. 33, sect. 4, n. 4), *Wirceburg.* (De confirm, n. 142), similiter *Perrone*, *Hurter*, *De Augustinis*, recentiores communissime. Hoc modo hanc sententiam defendimus.

I, Materia proximi confirmationis est chrismatio.

Wtt>

tenti

512. *Arg.* Sequitur ex praecedenti thesi. Nam si chrisma est materia remota, applicatio chrismatis est materia proxima, cum sacramentum ipsum consistat in usu materiae, ut iam notatum est in tract, de bapt. (n. 363). Idem efficitur ex verbis SS. Patrum, quos supra (n. 497) citavimus. Nam omnes fere SS. Patres unctionem requirunt, vel etiam simpliciter hoc sacramentum vocant sacramentum unctionis, ut e. g. *S. Augustinus*: „Unctio spiritualis ipse Spiritus Sanctus est, cuius sacramentum est in unctione visibili8 (In 1 ep. Io. tract. 3, n. 5; *M* 35, 2000).

513. *Haec unctio fieri debet in fronte.* Et quidem communiter theologi censent hoc esse de necessitate sacramenti. Cum in decretis ecclesiasticis saepe licentia detur sacerdotibus alias unctiones adhibendi, semper iis interdicitur unctio chrismatis, quae fit in fronte baptizati. Ita *Innocentius I* (*Denz.* n. 98); *Gregorius M.* (1. 4, ep. 9; *M* 77, 677); *Innocentius III* in cap. „Cum venisset" De sacra unet. (Decretal. 1. 1, tit. 15, c. 1, § 6 7). Unctionem in fronte praescribunt omnia ritualia latina et orientalia. Iam *Tertullianus* confirmationem vocat „signaculum frontium (Contra Marc. 1. 3, c. 22; *M* 2, 353; cf. De praescript. c. 40; *M* 2, 54 sq). *S. Augustinus* ad Ps. 141, n. 9 (*M* 37, 1839) notat sacramenta varia variis modis suscipi, baptismum toto corpore, eucharistiam ore, confirmationem vero fronte. Ex his aliisque multis similibus licet sane cum magna certitudine concludere unctionem frontis esse essentialem. *Dationem* huius rei reddit *S. Thomas*: **Jn** hoc sacramento homo accipit Spiritum Sanctum ad robur spiritualis pugnae, ut fortiter etiam inter adversarios fidei Christi

fidem confiteatur.... Inter omnia autem loca corporis humani maxime frons manifesta est, quae quasi numquam obtegatur, et ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut in manifesto demonstret se esse christianum, sicut et apostoli post acceptum Spiritum Sanctum se manifestaverunt, qui prius in cenaculo latebant. Secundo quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi propter duo, sci. propter timorem et propter verecundiam. Utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte... unde verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt. ... Et ideo in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem neque propter erubescendum nomen Christi confiteri praetermittat" (3, q. 72, a. 9), quam rationem etiam *conc. flor.* affert (*Denz.* n. 697).

Quae cum ita sint, censet *S. Alphonsus* «de essentia sacramenti esse, ut unctio fiat in fronte iuxta communem sententiam" (l. 6, n. 164 in fine), et pro hac sententia ultra 30 theologos allegat.

514. *Praeterea haec unctio fieri debet in forma crucis; et hoc esse essenziale „sentiunt communiter theologi, D. Thomas a. 4 ad 3 et alii in 4, dist. 7, ubi Scotus q. 1 in definitione huius sacramenti ponit, quod sit unctio in figura crucis; expressius Durandus ib. q. 2, n. 9; Gabriel a. 1; Soto a. 4 et alii" (Suarez disp. 33, sect. 3). Imprimis enim hoc postulat ipsa forma sacramenti; nemo enim potest vere dicere: „Signo te signo crucis", nisi reapse hoc signum faciat. Quamvis autem in graeca forma hoc non tam expresse dicatur, nihilominus vox «signaculi" ex usu hunc sensum includit, quia christiani nihil signabant sine cruce (cf. *Migne*, *Curs. theol.* XXI 819).*

Unde *S. Augustinus* ait: «Quid est, quod omnes noverunt, signum Christi nisi crux Christi? Quod signum, nisi adhibeatur frontibus credentium, sive ipsi aquae, ex qua generantur, sive oleo, quo chrismate ununtur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur" (In Io. tract. 118, n. 5; *M* 35, 1950). Immo signum crucis in confirmatione ex divina institutione adhibendum esse docere videtur ad Ps 141, 9: «Ille, qui dixit: ‚Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo, qui in caelis est‘, ipsam crucis ignominiam quodammodo, quam pagani derident, in loco pudoris nostri [i. e. in fronte] constituit" (*M* 37, 1839). Loquitur autem hic de sacramento confirmationis. Cum igitur sit vetustissimus usus administrandi confirmationem in forma crucis et praescribatur in omnibus ritualibus occidentalis et orientalium ecclesiarum, quorum ordines 23 collegit *Martine* (*De antiq. eccl. ritib.* I [edit, bassan. 1788] 92 sqq), haec res explicari nequit nisi recurrendo ad apostolicam traditionem secundum regulam *S. Augustini*: «Quod universa tenet ecclesia nec conciliis institutum sed semper retentum est, non nisi apostolica auctoritate traditum rectissime creditur^{5*} (De bapt. l. 4, c. 24; *M* 43, 174).

N'

h. Π!

II. Ad essentiam confirmationis non alia requiritur impositio manus, nisi quae in ipsa unctione chrismatis habetur.

515. *Requiritur munus impositio.* Nam si haec non requireretur, quomodo S. Scriptura et SS. Patres tam constanter dicerent confirmationem administrare per manus impositionem, et quomodo huic ritui effectum sacramenti adscriberent, ita ut ipsum sacramentum non raro vocetur manus impositio? Ita *Tertullianus*, De bapt. c. 8 (*M* 1, 1207); *S. Cyprianus*, Ep. 73, n. 9 (*J*/784); *S. Augustinus*, Tract. 6 in 1 Io. n. 10 (*M* 35, 2025; cf. *Migne*, Curs. theo). XXI 177 sqq). Haec plane intellegi nequeunt, nisi manus impositio essentialiter requiritur ad confirmationem.

Attamen non requiritur manus impositio, quae distinguatur ab ipsa unctione. Hanc rem diligentissime probavit *S. Alphonsus*, qui dicit se, postquam iam saepe de hac quaestione egerit, iterum eam ad trutinam revocasse et post quindecim dierum arduum studium se nondum potuisse iudicium ferre, quid pro certo tenendum esset. Denique vis rationum, quas in fine quaestionis adducam, omnem a mente mea dubitationem sustulit, atque de mea sententia certum iudicium efformavi. Haec sententia, quam tuemur et certissimam cum Bellarmino existimamus, tenet materiam adaequatam et totalem confirmationis esse chrismatis unctionem, quae confirmandis per impositionem manus episcopi adhibetur" (l. 6, n. 164).

M-"

E'

516. *Arg. 1* sumitur ex SS. Patribus, qui effectum sacramenti modo dicunt conferri per unctionem, modo per impositionem manus, et ut ostendant solos episcopos per chrisma dare posse Spiritum Sanctum, provocant ad impositionem manus, quam in Scriptura a solis apostolis factam esse legimus.

Ergo SS. Patres supponunt non aliter quam ungerendo manum in hoc sacramento esse imponendam (*Bellarmino*, De confirm, c. 9).

517. *Arg. 2.* Docet hoc expressis verbis *Innocentius III* capite unico de sacra unctione (Decretal. l. 1, tit. 15, c. 1, §7): „Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur et robur. Unde cum ceteras unctiones simplex sacerdos vel presbyter valeat exhibere, hanc non nisi summus sacerdos, i. e. episcopus, debet conferre, quia de solis apostolis legitur, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant." Ergo sentit pontifex illam manus impositionem fuisse eandem, quae nunc chrismatione fit. Quare in alio canone dicit: „Sacramentum confirmationis, quod chrismando renatos soli debent episcopi per manus impositionem conferre" (cap. „Quanto“ de consuetudine Decretal. l. 1, tit. 4, c. 4). Eadem fere verba habentur in confessione *Michaelis Palaeologi* (*Denz.* n. 465).

Similiter loquitur *Eugenius IV*: Confirmationis materia est chrisma. . . . Loco autem illius manus impositionis datur in ecclesia con-

h

firmatio" (*Denz.* n. 697). Ergo quod faciebant apostoli, cum manus imponebant, hoc faciunt episcopi, cum unctione chrismatis administrant confirmationem.

518. *Jrf/.* 3. *Graeci in confirmando nullam adhibent manus impositionem praeter ipsam unctionem.* De qua re *Benedictus XIV* in encyclica „*Ex quo primum*“, data 1 mart. 1756 ad episcopos ritus graeci, § 51 ait: „Nemini fas est asserere in ecclesia graeca non adesse sacramentum confirmationis. Si quis enim hanc opinionem tueretur, huic manifesto obstaret vetus orientalis disciplina, quam apostolica sedes optime perspectam habuit nec umquam damnavit aut improbavit.“ Atqui si apud graecos sola unctio est sufficiens materia confirmationis, eadem sufficit apud latinos, cum substantialia sacramentorum sint immutabilia. Unde idem *Benedictus XIV* § 52 concludit: „Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur: nimirum in ecclesia latina confirmationis sacramentum conferri adhibito sacro chrismate, sive oleo olivarum balsamo admixto et ab episcopo benedicto, ductoque signo crucis per sacramenti ministrum in fronte susipientis, dum idem minister formae verba pronuntiat.“

Similiter *pontificale romanum* supponit per primam manuum impositionem cum sua oratione nondum factam esse confirmationem, sed post eam pontificem procedere ad applicandam materiam et formam in ipsa unctione.

519. *Coroll. 1.* *Ergo falsa est opinio Sirmondi* et aliorum unctionem chrismatis esse caerimoniam accidentalem, ab ecclesia maioris ornatus et pompae gratia institutam, eamque olim partem caerimoniarum baptismi fuisse, totam vero essentiam confirmationis consistere in manus tantum impositione (cf. *Migne*, *Curs*, theol. XXI 769).

Admitti nequit, quod *Alexander Halens.* et *S. Bonaventura* docent: unctionem nunc quidem esse materiam sacramenti, eam tamen neque a Christo neque ab apostolis, sed ab ecclesiae rectoribus institutam esse; antea autem datum esse Spiritum Sanctum per solam manus impositionem (cf. supra n. 213).

Alii dicunt apostolos potuisse *rem* huius sacramenti conferre sola manus impositione propter privilegium a Christo concessum; in administrando tamen ipso sacramento eos usos esse unctione chrismatis. Ita *S. Thomas* 3, q. 72, a. 2 ad 1 et a. 4 ad 1. Haec quidem doctrina nihil continet, quod contra naturam sacramenti pugnet, cum Christus per potestatem excellentiae possit effectum sacramenti concedere sine signo sacramenti. Attamen non apparet sufficiens ratio tale privilegium statuendi. Solum enim silentium Sacrae Scripturae non ostendit abfuisse unctionem, cum *S. Lucas* rem omnibus notam potuerit simpliciter impositionem manus vocare, sicut eam Patres ecclesiae saepissime nominant.

Itaque simplicissima et maxime verisimilis videtur esse sententia, quae docet apostolos adhibita unctione confirmasse et hoc sacramentum iam tunc vocatum esse „impositionem manus⁴, et hoc eo magis probabile est, quia iam veteres Patres pro usu unctionis ad traditionem apostolicam provocant.

Ceterum aetate apostolorum interdum datum esse Spiritum Sanctum sine ullo signo sacramentali conicitur ex iis, quae narrantur de Cornelio (Act 10, 44), et ex aliis exemplis. Sed hoc ad rem nostram non pertinet.

„Atque iuxta hanc sententiam, quae sine dubio satis pia est et probabilis, cessat omnis praesentis quaestionis difficultas, quia consequenter dicendum est et aliquam manus impositionem esse de essentia huius sacramenti et nihil aliud praeter unctionem manu episcopi factam, quia illa est quaedam manus impositio, quam esse sufficientem probat satis praesens ecclesiae usus, a quo ostendimus essentialiter non discrepasse apostolorum ritum⁴ (Suarez, De confirm, disp. 33, sect. 4, n. 4).

520. *Coroll. 2. Cum unctio chrismatis simul sit impositio manus, valide non potest fieri instrumento, sed necessario facienda est ipsa manu episcopi. Utrum vero fiat manu dextra an sinistra, nihil refert ad validitatem, licet episcopus peccet, si manu sinistra sine ratione excusante utatur, cum manus dextrae usus praescribatur a rubrica. Ceterum probabiliter peccatum est veniale tantum (S. Alphons. 1. 6, n. 165 166).*

Prop. LVI. Forma confirmationis est haec: „Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti“, vel alia aequivalens.

521. .Difficultas circa hanc formam non minor est quam circa materiam huius sacramenti, quia nihil omnino de illa legimus in Scriptura Sacra; si autem ad Traditionem confugimus, magnam in antiquis Patribus reperimus varietatem⁴ (Suarez disp. 33, sect. 5; cf. Denz. n. 98). Attamen quaedam cum certitudine, quaedam vero cum magna probabilitate statui possunt. Cf. Dolger, Das Sakram. der Firmung 70 sqq.

522. *Illa forma et quaevis aequivalens est certo valida.* Fieri enim nequit, ut ecclesia formam praescribat, cum qua valor sacramenti non possit subsistere. Unde *Eugenius IV* simpliciter docet hanc esse formam huius sacramenti (Denz. n. 697).

Censent quidem aliqui formam confirmationis esse eam orationem, quam episcopus dicat, dum manus extensas teneat versus confirmandos. Attamen cum ex praecedenti thesi constet manuum illam extensionem certe non esse unicam huius sacramenti materiam, eo ipso etiam constat orationem concomitantem non posse esse totalem formam.

Hoc etiam eo patet, quod in *rituali* post illam extensionem manuum et orationem dicitur: «Pontifex stans cum mitra illos [confirmandos] confirmat per ordinem genuflexos; et uno ordine confirmato illi surgunt et alii genuflectunt et confirmantur/ Ergo praecedens ritus nondum erat confirmatio, neque illa oratio forma confirmationis.

Immo tot s ille ritus non est essentialis, ut concludi licet tum ex *conc. florent*, tum ex encyclica *Benedicti XIV* «Ex quo p̄imum supra (n. 518) citata, tum ex usu, qui in nonnullis regionibus viget etiam eos admittendi ad confirmationem, qui post priorem manuum impositionem ecclesiam intrant, ut ait idem pontifex (De syn. dioec. l. 13, c. 19, n. 17).

523. *Ratio* desumi potest ex *S. Thoma*: «Sicut forma rei naturalis dat ei speciem, ita forma sacramenti continere debet, quidquid pertinet ad speciem sacramenti. Sicut autem ex supradictis patet, in hoc sacramento datur Spiritus Sanctus ad robur spiritualis pugnae. Et ideo in hoc sacramento tria sunt necessaria, quae continentur in forma praedicta: quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quae est sancta Trinitas, quae exprimitur, cum dicitur: In nomine Patris . . . Secundum est ipsum robur spirituale, quod homini confertur per sacramentum materiae visibilis ad salutem, quod quidem tangitur, cum dicitur: Confirmo te chrismate salutis. Tertium est signum, quod pugnatori datur, sicut et in pugna corporali insigniis ducum milites insigniuntur, et quantum ad hoc dicitur: Consigno te signo crucis, in quo sci. rex noster triumphavit (3, q. 72, a. 4).

524. *Si quaeritur, quae in hac forma sint essentialia*, de hac re valde disputant theologi. Dicunt quidem multi theologi, ut *Suarez* (disp. 33, sect. 5) et *S. Alphonsus* (l. 6, n. 168), omnia verba esse ita essentialia, ut, si ullum omittatur (exceptis fortasse illis particulis «et“ vel «in”), sacramentum fiat invalidum. Alii, ut *Estius*, putant «signo te signo crucis” et «chrismate salutis” posse omitti; idem putat probabile Trinitatis invocationem non esse de essentia, „ut habet multorum recepta sententia”. *Amicus* (disp. 13, sect. 3, n. 79) putat sufficere, si hoc unum verbum dicatur: «Confirmo”. *Richardus*, episcopus armachanus (in Quaest. armenor. l. 9, c. 20) aliique tenent formam comprehendi solis verbis: «In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti” (cf. *Migne*, Curs, theol. XXI 890 sqq).

525. In hac tanta sententiarum diversitate nihil remanet, nisi ut practice diligenter serventur ea omnia, quae in ritualibus praescribuntur; sic enim certe habetur sacramentum. Theoretice autem haec unica via videtur solvendi quaestionem, ut comparentur inter se formae, quae sive in communi ecclesiae usu fuerunt vel sunt, sive a conciliis vel pontificibus ut validae agnitae sunt. Minoris autem

MFI

ci

*.

Jl
M

1

Λ J <

utilitatis est comparare varia ritualia, maxime manuscripta, singularum ecclesiarum, quia non absolute repugnat, in ea errores irrepsisse. Utilissima videtur comparatio inter latinam et graecam formam. Utraque enim indubie valida est.

526. Iam *forma graeca* et quidem totalis haec est: „Signaculum doni Spiritus Sancti.“ Hanc enim unice nominant *conc. I constantinop.* can. 7 et *trullanum* can. 95. Hanc esse formam doctissimi graeci, ut *Bessarion* et *Arcadius*, censent, quam doctrinam defendit *Goar* in *Euchologio* 368 sqq.

In hac forma nulla est invocatio SS. Trinitatis; nam quod quidam dicunt in oratione haec verba praecedente nominari SS. Trinitatem, non videtur rem efficaciter probare. Si enim haec ratio valeret, posset etiam baptismus conferri ita: „Ego te baptizoc; nam in iis, quae praecedunt, saepe SS. Trinitas vocatur. Non requiri illam invocationem etiam a priori valde probabile est, quia neque in ceteris sacramentis praeter baptismum invocatio SS. Trinitatis necessaria est; et in baptismo ideo tantum requiritur, quia baptismus est initium fidei et salutis, id quod dici non potest de confirmatione. Porro verba ipsa, quae apud graecos confirmationem praecedunt, non videntur esse pars formae. Sunt enim haec: „Dominum precemur. Benedictus es, Domine Deus omnipotens. . . . Ipse, Domine rex omnium benigne, signaculum doni sancti et omnipotentis et adorandi tui Spiritus et sancti corporis et pretiosi sanguinis Christi tui communionem ei largire . . . ut in omni verbo et opere tibi placitus filius et heres evadat regni caelestis (exclamando): Quia tu es Deus noster, Deus miserendi et salvandi, et tibi gloriam rependimus: Patri et Filio et Sancto Spiritui, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen/ His igitur verbis sacerdos circumstantes exhortatur ad Deum orandum, ut effectum confirmationis concedere dignetur. Sed certe non exhortatur ad pronuntiandam formam confirmationis. SS. Trinitas vero non invocatur nisi per modum doxologiae, quae non est signum practicum gratiae. Ergo certum esse videtur invocationem SS. Trinitatis non esse de essentia formae confirmationis.

Porro *desunt in forma graeca verba nsigno crucisu et ^chrismate §alutis* vel aequivalentia. Ergo ne haec quidem essentialiter requiruntur.

Dein forma graeca passivo modo enuntiatur; nam supplendum est ex sensu 9daturu vel simile quid. Hinc si in hac forma omnia sunt essentialia, ex comparatione cum forma latina concludere licet *essentialiter requiri expressionem signationis* (signo te — σ<ρραγι) et *uberioris gratiae Spiritus Sancti* (confirmo te — δωρεά άγιου πνεύματος).

527. *Ex aliis ritualibus* has formas collegit *Martène* praeter illas, quae cum ea, quae nunc in usu est, plane conveniunt secundum sensum :

.Accipe signum sanctae crucis chrismate salutis in Christo Iesu in vitam aeternam. Amen/

.Signum Christi in vitam aeternam/

.Signet te Deus sigillo fidei suae in consignatione fidei. In nomine Patris . . . /

..Confirmo et consigno te in signo sanctae crucis in nomine Patris ..."

"Confirmo et consigno te in nomine . . . /

PConfirmo te signo crucis in nomine . . . /

"Confirmo te in nomine . . . /

Longe vero maior numerus 23 ordinum orientalium et occidentalium, qui habentur apud Martène, convenit cum hodierno ordine romano {*Martène*, De antiq. eccl. rit. 1. 1, c. 2, a. 4, I, 92 sq). Iam si hae omnes formae supponuntur validae, unice essentialia sunt haec verba: „Confirmo te“ vel aequivalentia, quae uberiores Spiritus Sancti gratiam significant.

528. *Quod quidam dicunt formam confirmationis esse hanc: „In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti“, aut falsum est aut explicatione indiget.* Illam formam referunt quidem *Pseudo-Alcuinus*, *Durandus*, alii. Ita in libro „De divinis officiis“, qui saepe Alcuino adscribitur, haec leguntur: Episcopus „facit crucem de chrismate cum pollice in singulorum frontibus, ita dicendo: In nomine Patris ...“ {*M* 101, 1220). Sed liber non est Alcuini, verum, ut ait *Mabillonius*, „farrago ex diversis ipsius Alcuini aliorumque auctorum ipso posteriorum scriptis collecta“, continens varios errores (ib. 1175). Maioris momenti est, quod *Durandus* in „Rationali divinarum officiorum“ similiter loquitur: Episcopus „Cuiuslibet frontem linit in modum crucis chrismate cum pollice dicens cuiuslibet: In nomine Patris . . . pax tecum“ (1. 6, c. 84). Attamen uterque scriptor ex eodem fonte hausisse videtur, nam uterque addit haec esse verba salutationis ad novum hominem modo regeneratum. Notat autem *Martène* ad verba Durandi: „Dubito, an illius [Durandi] aevo [haec forma] fuerit in usu, cum refragentur omnes pontificales libri“ (De antiq. eccl. rit. 1. 1, a. 3, n. 11). Putat nihilominus propter *Amalarii*, presbyteri metensis (initio saec. IX), testimonium olim eam formam vere fuisse in usu {*Amalarius*, De eccles. officiis 1. 1, c. 27; *M* 105, 1053). *Amalarius* explicat „libellum romanum“, in quo haec dicuntur: Infantes modo baptizati „ordinantur per ordinem, sicut scripti sunt, in circuitu, et dat orationem pontifex super eos, *confirmans eos cum invocatione septiformis gratiae Spiritus Sancti*. Oratione expleta facit crucem cum pollice et chrisma in singulorum frontibus, ita dicendo: „In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Pax tibi.“ Et respondet: „Amen““ (Af 78, 1000, n. 14; cf. 957, n. 44; 964, n. 10). Patet ex ipso contextu non poni hic integra verba a pontifice dicenda; nam infantes dicuntur confirmandi cum in-

vocatione Spiritus Sancti; quae autem sint verba huius invocationis, non indicatur. Indicatur in *Sacramentario Gregarii M.*: Pontifex .levata manu sua super capita omnium [confirmandorum] dicit: .Omnipotens sempiterno Deus, qui regeneraro dignatus es hos famulos tuos ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedisti iis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum Paraclitum de caelis . . . adimple eos Spiritu timoris tui, et consigna eos signo crucis in vitam propitiatus aeternam. Per Dominum nostrum etc." Dein .tincto pollice in chrismato facit crucem in fronto unius, similiter per omnes singillatim- (*M* 78, 90). Haec igitur oratio, quacum statim iungitur signatio confirmandorum, potest considerari ut forma, non vero nuda illa verba: In nomine Patris etc., quibus neque actus confirmandi neque effectus confirmationis ullo modo exprimitur. Ceterum fortasse in illo codice Ordinis romani verba non exacte relata sunt; nam *Menardus* dicit revera praemitti verba: .Confirmo te" (*M* 78, 352; cf. 1016 sq). Amalarius autem descripsit, quae invenit. *Armachanus* (ex saec. XIV) vero falsam sententiam habet: omnium sacramentorum unam esse formam: In nomine Patris . . . (in Quaest. armenorum l. 8, c. 9 et l. 9, c. 22). Ceterum quicquid hoc est, ex iis, quae in tract. de bapt. n. 390 sqq diximus, patet illam formam numquam potuisse esse validam, quia actio ministri aliquo modo exprimi debet.

529. *Schol.* Ipsa forma sacramenti, quomodocumque enuntiata, dummodo valida sit, *vere dicitur et est oratio*, qua a Deo petitur effectus sacramenti, ut patet ex iis, quae dicta sunt de morali efficacia sacramentorum (supra n. 141 sqq). Ergo quod Scriptura et Patres dicunt confirmationem administrari per manus impositionem cum oratione, optime conciliatur cum thesi nostra.

SECTIO II.

DE EFFECTU CONFIRMATIONIS.

Prop. LVII. Effectus confirmationis est augmentum gratiae sanctificantis et impressio characteris.

Pars I. Confirmatio anget gratiam.

530. Omne enim sacramentum novae legis est efficax gratiae. Ergo etiam confirmatio, quae, sicut distincta est ab omni alio sacramento, ita quoque in se et per se habet virtutem conferendi gratiam.

Haec tamen gratia non est prima sed secunda. Confirmatio enim supponit iam statum gratiae et est sacramentum vivorum; quia peccata remitti non possunt nisi per baptismum et sacramentum poenitentiae, ut constat ex *conc. trid.* sess. 14, c. 2 (*Denz.* n. 895).

Idem per ipsum nomen indicatur; quomodo enim confirmari potest gratia, ubi nondum adest, cum etiam in naturalibus augmentum supponat vitam, et virile robur supponat naturam? Ideo qui post baptismum graviter peccavit, debet ante confirmationem saltem actum contritionis elicere.

531. *Si quis sine levitate putat se esse in statu gratiae, cum non sit, non quidem peccat, quando suscipit confirmationem, quia ignorantia excusat, sed fructum sacramenti recipere nequit, nisi saltem habet attritionem.* Attritionem vero in hoc casu sufficere indubitanter docet *S. Thomas*: „Si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet [supposita tamen attritione de omnibus peccatis in genere], vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat [i. e. dummodo putet se habere requisitam dispositionem], per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum" (3, q. 72, a. 7 ad 2). Consentit *Suarez* (disp. 35, sect. 2). Et *ratio* est, quia per sacramentum valide et licite administratum et receptum caelesti Patri nomine Christi offeruntur merita Christi ad petendam gratiam; quae cum ex una parte efficacia sint ad gratiam impetrandam et ex altera parte homo non opponat obicem malae voluntatis, quocum infusio gratiae non possit consistere, recte concludimus dari gratiam, per quam peccatum deletur. *Si quis cum obice suscipit confirmationem, postea obice remoto sacramentum reviviscit* (*De Lugo*, De sacram, in gen. disp. 9, sect. 6, n. 103).

532. Disputant theologi, *num gratia confirmationis sit maior gratia baptismati*, non solum eo sensu, quod ad hanc aliquid additur, cum hoc per se pateat, sed eo sensu, quod comparata cum gratia baptismali dicenda sit excellentior. *Affirmant S. Thomas, Suarez*, alii, sed quia quaestio non est magni momenti neque cum certitudine solvi potest, adeat, qui plura cupit, *Suarez* disp. 34, sect. 2, n. 7 sqq.

533. *Propria gratia huius sacramenti est auxilium ad fidem vivam constanter tenendam et profitendam*, ut omnes theologi (cf. *S. Thom.* 3, q. 72, a. 5 et 7) docent et habetur in *conc. flor.*: „Effectus huius sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est apostolis in die pentecostes, ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen" (*Denz.* n. 697). Apte monet *catech. rom.* (P. 2, c. 3, n. 22): „Quodsi pastores voluerint divinam huius sacramenti efficientiam ostendere, satis erit, quid ipsis apostolis evenerit, explicare. Illi enim ante passionem [Christi] . . . infirmi et remissi fuerunt. . . . At vero in die pentecostes tanta Spiritus Sancti virtute omnes repleti sunt . . .“

Cum vero in ipsa sacramenti susceptione homo neque semper neque exclusive indigeat speciali adiumento ad profitendam fidem, in sus-

ceptione confirmationis proxime accipit *ius recipiendi auxilium divinum* postea, quando opus est. Datur autem vi sacramenti tempore opportuno, quando homo eo indiget, modo tunc sit in statu gratiae.

Pars II. Alter effectus confirmationis est impressio characteris.

534. Hanc rem iam alibi probavimus (supra n. 178 sqq). Sufficit hic in memoriam revocare doctrinam *concilii tridentini*: „S. q. d. in tribus sacramentis, baptismo sci., confirmatione et ordine, non imprimi characterem in anima . . . unde ea iterari non possunt, A. S.“ (sess. 7 de sacram, can. 9; *Denz.* n. 852). Contra quam conclusionem, sci. hoc sacramentum iterari non posse, quidam provocant ad doctrinam *S. Augustini*, qui ait: „Manus impositio non sicut baptismus repeti non potest; quid est enim aliud nisi oratio super hominem?“ (De bapt. l. 3, c. 16; .V 43, 149). Sed falluntur; neque enim hoc loco sermo est de confirmatione, sed docet s. Doctor posse quidem haereticos dare integrum baptismum, non vero integrum effectum baptismi, i. e. Spiritum Sanctum. Ii igitur haeretici, qui volunt etiam accipere Spiritum Sanctum, converti debent ad ecclesiam, et tunc iis per manus impositionem dabitur Spiritus Sanctus. Haec enim repeti potest, quoties homo peccavit, cum nihil aliud sit quam paenitentiae sacramentum et externa reconciliatio cum ecclesia. Ita ipse S. Augustinus hanc rem alio loco eiusdem libri clarius explicat: „Quemadmodum Spiritum Sanctum, sicut habent filii dilecti, non habent filii maligni, et tamen baptismum habent. . . . Manus autem impositio, si non adhiberetur ab haeresi venienti, tamquam extra omnem culpam esse iudicaretur. . . . Propter caritatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus Sancti, sine quo non valent ad salutem, quaecumque alia sancta in homine fuerint, manus haereticis correctis imponitur“ (De bapt. 1.5, c. 23, n. 33; *M*43, 193). Itaque semper attendendum, quid singulis locis sibi velit manus impositio, utrum sit confirmatio, ordo an paenitentia. Cyprianus quidem eiusque asseclae ut baptismum ita confirmationem quoque haereticorum invalidam ideoque iterandam esse censebant. At ecclesia et baptismi et confirmationis haereticorum validitatem semper agnovit, neque haereticos conversos denuo confirmavit. Ubi autem confirmatio haereticorum praescribitur, sermo est de novatianis vel aliis, qui confirmationem aut neglegebant aut non recte administrabant (cf. *Wirceburg.*, De confirm, n. 208 sq).

535. Quaeritur, *utrum character confirmationis a caractere baptismati realiter distinguatur, an sit novus tantum modus et nova perfectio huius*; de qua re nihil fide definitum est. Attamen probabilius admittitur esse qualitatem novam et numero et essentia distinctam: quia enim characteres sunt signa quaedam, quibus homo signatur, ut speciali modo conformis Christo sacerdoti fiat, sicut varia sunt munera Christi sacerdotis; ita etiam varia signa horum munerum esse convenit. Alio

enim modo aliquis signatur ut filius alicuius familiae, alio modo ut miles alicuius exercitus; unde etiam character baptismalis magis assimilatur potentiae passivae, character vero confirmationis potentiae activae (cf. supra n. 189 sqq et *Suarez*, De conf. disp. 34, sect. 1).

SECTIO III.

DE SUBIECTO ET NECESSITATE CONFIRMATIONIS.

Prop. LVIII. Subiectum confirmationis est omnis homo baptizatus.

536. *Omnis homo baptizatus est capax recipiendi confirmationem.* Nam in Actibus Apostolorum nihil aliud legimus requiri ante confirmationem nisi baptismum; et idem semper servatum est in usu et traditione ecclesiastica. Ratio est, quia omnes baptizati indigent robore et perfectione gratiae et ad adipiscendam maiorem gloriam caelestem, a qua Christus neminem exclusit, et ad constantem fidei confessionem, etiam in arduis occasionibus. Licet enim non omnibus tales occasiones occurrant, tamen omnes ad eas parati esse debent. Quamobrem nulla aetas, nullus sexus, nulla hominum condicio ab hoc sacramento excluduntur. Sani et aegri, ratione utentes et mente capti, adulti et infantes confirmari possunt. Etiam infantes includi patet ex *pontificali romano*, in quo dicitur: ^Infantes per paternos ante pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris/ In ecclesia graeca semper infantes statim post baptismum confirmantur. Ratio, cur hoc fieri possit, haec est: „Anima, ad quam pertinet et spiritualis nativitas et spiritualis aetatis perfectio, immortalis est et potest sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita tempore pueritiae vel iuventutis consequi perfectam aetatem, quia huiusmodi corporales aetates animae non praeiudicant. Et ideo hoc sacramentum debet omnibus adhiberi" (S. *Thom.* 3, q. 72, a. 8). Perpetuo vero amen- tibus, licet sacramentum non prosit ad pugnam, prodest tamen ad maiorem gloriam.

537. Ad quaestionem, *quibus convenienter conferatur confirmatio, catech. rom.* respondet: „Observandum est omnibus quidem post baptismum confirmationis sacramentum posse administrari; sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint; quare si duodecimus annus non exspectandus videatur, usque ad septimum certe hoc sacramentum differre maxime convenit" (P. 2, c. 3, n. 18), quia scilicet pueri tunc incipiunt apti esse ad pugnam spiritualem. Attamen haec non est lex, qua vetus ecclesiae usus contrarius abrogatus videri possit; sed solum indicatur, quid congruentius fiat; maior est enim reverentia sacramenti et utilitas subiecti, si cum propria fide et dispositione confirmatio suscipiatur.

Quia nihilominus rationes sunt, quae contrarium usum suadeant, sexistimo per se loquendo et seclusa speciali ecclesiae ordinatione aut consuetudine rem esse indifferentem“ (*Suarez*, De conf. disp. 35, sect. 2, n. 3). Et ita moralistae fere consentiunt in hac parte sequendum esse cuiuslibet regionis usum, immo melius esse infantes statim confirmari, si adsit aliqua urgens ratio, ut si episcopus longum tempus aberit, aut si puer est in periculo mortis (5. *Alphons.* 1. 6, n. 178). Neque tamen potest episcopis imponi onus adeundi singulos moribundos, ut eos confirment, cum hoc sit moraliter vix possibile; quamvis sine dubio etiam in hac parte episcopus zelum pastorem ostendere possit.

538. *De obligatione suscipiendi confirmationem disputant theologi.* Alii dicunt homines debere sub mortali eam suscipere, si possint. Ita *Scotus* (In 4, dist. 7, q. 2), *Armachanus* (Quaest. armen. 1. 9, c. 22), alii. *Durandus* (In 4, dist. 7, q. 1) et alii docent hanc obligationem solum adesse, si instet necessitas confitendi fidem coram tyranno. *S. Bonaventura* (In 4, dist. 7, a. 3, q. 2) et alii dicunt hoc sacramentum esse simpliciter necessarium, non praecepto divino sed ecclesiastico. Tandem *S. Thomas* (In 4, dist. 7, q. 1, a. 1; et 3, q. 72, a. 1 ad 3, et a. 8 ad 4) docet nullum existere praeceptum confirmationis; et haec opinio est valde communis theologorum (cf. *S. Alphons.* 1. 6, n. 181).

539. Iam illi, qui volunt adesse praeceptum divinum, non intellegunt praeceptum divinum positivum praeter ipsam institutionem sacramenti, sed tale, quod ex ipsa institutione conaturaliter sequatur. Nullum enim praeceptum positivum scriptum vel traditum esse facti evidentia coacti omnes concedunt, sed dicunt in ipsa institutione tale praeceptum includi, cum omnes homines debeant fieri christiani, et quidem perfecti; sed perfectio status christiani sine hoc sacramento haberi nequit. Unde etiam verisimile est Christum positivum praeceptum dedisse, licet stricte probari nequeat. Tandem qui occasione data omittit hoc sacramentum, videtur illud contemnere. — Alii argumentum sumunt ex eo, quod est grave peccatum se exponendi periculo cadendi. Sed, inquiunt, qui in occasione fidei publice coram tyranno profitendae omittit confirmationem, inermis subit pugnam et se exponit periculo cadendi.

540. At recte plerique theologi hanc doctrinam reiciunt, quia praeceptum obligans sub peccato gravi non est statuendum nisi ratione cogente. Atqui talis ratio non adest. Nam quod dicunt de perfectione, est ambiguum; quia, quae requiruntur ad perfectionem sufficientiae seu essentialis, dantur per baptismum: quae vero requiruntur ad perfectionem abundantiae, non sunt de praecepto. Neque

ex ipsa institutione sequitur praeceptum, quia Deus non necessaria tantum sed et utilia instituere potest, et multa alia remedia adsunt ad finem huius sacramenti impetrandum, ut oratio, merita etc., quae media etiam in casu gravissimi periculi sufficere possunt. Contemptus autem in sola omissione non inest, secus multi homines contemnerent sacros ordines vel matrimonium. Nam si homines sciunt Deum non praecepisse hoc sacramentum, et illud ideo omittunt, iure suo utuntur. Contemptus autem ibi solum habetur, ubi homo re uti non vult, quia vilem eam habet et parvi facit. Quando igitur causa retrahens a confirmatione est aliquid extra sacramentum, ut torpor quidam vel aliquod incommodum vel simile quid, numquam potest esse sermo de contemptu.

541. *Neque ostendi potest lex ecclesiastica* iubens hoc sacramentum ab omnibus recipi; nam dicta summorum pontificum, quae afferuntur, solum enuntiant hoc sacramentum esse necessarium ad perfectionem, non vero simpliciter, ut iam explicat *S. Thomas* (In 4, dist. 7, q. 1, a. 1 ad 2) et postea *S. Alphonsus* (l. 6, n. 181), qui tamen addit: „Postquam haec scripsi, inveni declaratum a Benedicto XIV in bulla „Etsi pastoralis quod omnes confirmationem suscipientes a presbyteris graecis [in Italia] invalide confirmantur; hinc pontifex subiungit . . . „Monendi sunt ab ordinariis locorum eos gravis peccati reatu teneri, si [cum possint] ad confirmationem accedere renuunt ac negligunt. Quapropter secunda opinio supra relata: nimirum non teneri fideles sub gravi ad confirmationem suscipiendam, hodie non videtur satis probabilis (l. c. n. 182).

Verum aut *Benedictus XIV* censetur rem definivisse vel universalem legem dedisse, aut non. Si illud prius, non solum sententia negans non est probabilis, sed contraria omnino certa. Sin posterius, nihil mutatum est circa quaestionem. Sed definitio cathedralis vel legislatio universalis admitti nequit, cum omnino obiter et quasi per transennam Benedictus illa verba proferat, ita ut nullo signo indicet se velle rem dirimere. Potius inculcat aliquod officium graeco-italis tantum incumbens, qui contra prohibitionem summi pontificis nolebant infantes suos ab episcopis latinis sed a presbyteris graecis confirmari. Hoc autem agendi modo contumaciter agebant contra auctoritatem romani pontificis, et sub hoc respectu tenebantur reatu peccati gravis, si omittebant confirmationem (cf. *Lehmkuhl* II, n. 140 sqq). Ergo non obstante bulla Benedicti XIV opinio negans non solum manet probabilis sed etiam multo melius fundata quam opposita.

542. Ergo „docendum est hoc sacramentum eiusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse non possit. Quamquam vero necessarium non est, a nemine tamen praetermitti debet, sed potius maxime cavendum est, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis

divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligentia committatur; quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est“ (*Catech. rom.* P. 2, c. 3, n. 16). Hoc enim postulat gratus in Deum animus et ordinatus sui ipsius amor.

Immo *peccatum facile oriri potest ex voluntaria omissione* huius sacramenti, veniale quidem, si nimia quaedam negligentia intercedit; mortale vero, si aut contemptus aut ratio scandali in omissione sacramenti appareat, aut necessitas spiritualis adsit, cui aliter quam per hoc sacramentum satisfieri nequeat. Praeterea exstat praeceptum ecclesiasticum, ne quis tonsura initiatur nondum confirmatus (*conc. trid.* sess. 23, c. 4 de reform.), quod quidem praeceptum plerumque non censetur obligare sub gravi (cf. *Suarez*, De confirm, disp. 38, sect. 1).

SECTIO IV.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.

Prop. LIX. Minister ordinarius confirmationis est episcopus.

543. In hac parte non soli haeretici erravere, ut photiani saec. IX et postea waldenses, wiclifitae, husitae, alii, qui docebant non solum episcopum esse ordinarium confirmationis ministrum, sed etiam quidam catholici, ut *Armachanus* (Quaest. armen. l. 11, c. 14), qui putant simplices sacerdotes esse ordinarios huius sacramenti ministros. Nunc contrarium est fide certum, sci. solos episcopos vi muneris valide et licite confirmare posse. Cf. *Dölger*, Das Sakram. der Firmung 119 sqq.

544. *Arg. 1.* In S. Scriptura nemo legitur confirmasse nisi soli apostoli (Act 8 et 19). Unde ecclesia semper intellexit non alios esse confirmationis ordinarios ministros praeter episcopos.

545. *Arg. 2.* SS. Patres saepe id docent, ut *S. Cyprianus*, qui dicit baptizatos debere praepositis ecclesiae afferri, ut ab his confirmentur; *Finnilianus*, secundum quem soli maiores natu (i. e. episcopi) habent hanc potestatem; *S. Ioan. Chrysostomus*, qui dicit nunc solos coryphaeos confirmare, cum haec olim fuerit apostolorum prae-rogativa; *Innocentius 1*, qui dicit manifestum esse solis pontificibus licere confirmare (supra n. 497).

546. *Arg. 3.* Ex decretis conciliorum, quibus omnino interdicitur presbyteris administratio huius sacramenti. Ita *conc. eliberitan.* et alia, quae iam citata sunt (n. 498). *Conc. flor.*, docet: „Cum ceteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi episcopus debet conferre“ (*Denz.* n. 697). *Conc. trid.* (sess. 7, can. 3 de confirm.): BSi quis dixerit sanctae confirmationis ordinarium ministrum

non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, A. S.“ {Denz. n. 873; cf. 960). Idem (sess. 23, can. 7): „Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem. ... A. S.“ {Denz. n. 967). Idem constat ex *Innocentia III* cap. „Cum venisset“ de sacr. unet. (Decretal. 1. 1, tit. 15, c. 1, § 7; *Denz.* n. 419).

547. *Arg. 4.* Ex consensu theologorum, qui cum *S. Thoma* (3, q. 72, a. 11) hanc reddunt rationem convenientiae: Episcopus in ecclesia est velut dux in exercitu, ad quem spectat milites recipere et consignare. Item ad indicandum perfectum finem huius sacramenti conveniens est, ut a principibus ecclesiae tradatur {*Suarez* disp. 36, sect. 1, η. 3).

548. Cum igitur episcopus iure divino sit ordinarius huius sacramenti minister, et ex altera parte hoc sacramentum non conferatur per modum iudicii sed per modum consecrationis, *episcopus semper valide confirmat*, licet fortasse plane illicite agat; quare ecclesia numquam permisit, ut confirmatio ab episcopo haeretico vel schismatico administrata iteraretur. — E contra, si *simplex sacerdos sine speciali licentia confirmat, invalide confirmat*, quia episcopus non est solum minister ordinarius quoad liceitatem sed etiam quoad validitatem. Omnem enim in hac re potestatem presbyteris denegat *conc. trid.* sess. 23, c. 4 et can. 7, et saepe pontifices iusserunt illicite confirmatos a presbyteris iterum confirmari, ut patet ex bulla *Bened. XIV* in causa graecorum (cf. etiam *Bened. XIV*, De syn. dioec. 1. 7, c. 9, n. 3).

549. *Schol.* De officio episcopi circa confirmationem.

Cum potestate episcopi simul habent officium confirmandi. Licet enim nulli homines teneantur suscipere hoc sacramentum, tamen episcopus tenetur iis dare occasionem suscipiendi, quia ipse nullum habet ius iis denegandi hoc magnum bonum, sed potius ad hoc institutus est, ut mysteria sibi credita tamquam fidelis dispensator administret. Unde communiter censent, graviter peccare episcopum qui circiter decem annos numquam confirmationem administrat in sua dioecesi, nisi ratio excusans adsit.

Extra dioecesim propriam episcopus nulla pontificalia exercere, ergo ne confirmare quidem potest sine consensu episcopi proprii dioecesis. Omnes vero, qui intra limites dioecesis suae versantur, episcopus confirmare potest, licet non sint eius subditi. Ita ex consuetudine (*S. Alphons.* 1. 6, n. 172).

Confirmatio conferri potest quolibet tempore anni et diei, festo et non festo, matutino et vespertino. Per se quidem administrari debet in ecclesia; attamen hoc non sub gravi praecipitur; et ex quavis rationabili causa alibi fieri potest.

Prop. LX. Extraordinarius confirmationis minister quivis presbyter esse potest.

550. *Nota.* Sicut quidam catholici dixerunt omnem sacerdotem esse ordinarium confirmationis ministrum, vel saltem de hac re dubitarunt, ita alii dixerunt ne ex delegatione quidem summi pontificis presbyteros valide confirmare posse. Ita *Hugo Viet.* (De sacram. 1. 2, p. 7, c. 2), *Durandus* (In 4, dist. 7, q. 3 et 4), *Adrianus* (ibid. a. 3), *Estius* (ibid. § 21 22), alii. Contrarium docent *S. Thomas* (3, q. 72, a. 11) et thomistae paene omnes; multi scotistae (cf. *Bosco*, De confirm, sect. 2, conci. 4, n. 14); item *BeUarminus* (De confirm, c. 12), *Suarez* (De confirm, disp. 36, sect. 2, n. 4), *De Lugo* (Resp. mor. 1. 1, dub. 6), alii communiter. Res est nunc plane certa et extra omnem controversiam. Cf. *Dolger*, Das Sakrament der Firmung 206 sqq.

551. *Arg. 1.* Ex praxi ecclesiae graecae, in qua iam multo ante Photii schisma presbyteri immediate post collatum baptismum confirmabant. Neque umquam in conciliis, in quibus de reconciliatione agebatur, validitas huius confirmationis in dubium vocata est (cf. *Hardouin* IX 430 et 641).

552. *Arg. 2.* Ex conciliis.

a) *Concilia flor, et trid.* eo ipso, quod docent episcopum esse *ordinarium* ministrum confirmationis, innuunt posse etiam esse ministrum extraordinarium.

b) *Concilium flor*, expresse addit: „Legitur tamen aliquando per apostolicae sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum⁸ (*Denz.* n. 697).

553. *Arg. 3.* Ex modo agendi romanorum pontificum.

Anno 593 *Gregorius M.* presbyteris Caralitanis in Sardinia interdixerat, ne baptizatos infantes signare in fronte praesumerent, „sed eos ungerent in pectore, ut episcopi postmodum ungere deberent in fronte⁸ (l. 4, Ep. 9; jU 77, 677). Cum vero audisset hac prohibitionem multos esse offensos, scripsit ad Ianuarium, Caralitanum episcopum; „Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem ecclesiae nostrae usum fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus⁸ (Ep. 26; *M II*, 696 *). Hic agi de confirmatione, non de mera aliqua caerimonia, tum inde patet, quod alia unctio

* Cf. quae ibidem in nota subiecta dicuntur.

episcopis non orat reservata nisi confirmatio, tum inde, quod secundum veterem ecclesiae usum semper licebat presbyteris omnes caerimonias baptismales peragere.

Postea vero potestas confirmandi saepe data est sacerdotibus, ut nonnullis fratribus minoribus a *Nicolao IV, Ioanne XXII, Urbano V, Eugenio IV, Leone X, Adriano VI*, „ex quo colligere licet Adrianum ad Petri sedem evectum a sententia recessisse, quam antea docuerat⁰. Similiter missionariis quibusdam S. J. et aliis facultas concessa est a *Gregorio XIII, Bened. XIII, Clemente XI*, guardianis s. sepulcri D. N. pro locis terrae sanctae a *Bened. XIV (Bened. XIV, De syn. dioec. l. 7, c. 7, n. 6)*. Nostris temporibus etiam concedi solet praefectis apostolicis aliisque degentibus locis valde dissitis a sede episcopali. „Quare non videtur hodie fas esse potestatem, de qua olim disceptabatur, summo pontifici abiudicare⁰ (l. c. n. 7).

Iam *Clemens VI* a. 1351 in ep. „Super quibusdam“ ad *Consolatorem*, catholicum armenorum, has quaestiones proposuerat: „Si credis, quod sacramentum confirmationis per alium quam per episcopum non potest ex officio ordinarie administrari ... Si credis, quod chrismati per quoscumque sacerdotes, qui non sunt episcopi neque a romano pontifice super hoc commissionem seu concessionem aliquam receperunt, iterum per episcopum vel episcopos sint chrismandi“ (Apud *Raynoldum*, *Annal*, ad a. 1351, n. 12; *Denz.* n. 572 574).

554. *Arg. 4.* Rationem, cur Christus hanc rem ita instituerit, theologi hanc fere reddunt: Ecclesia est quodammodo exercitus, in quo duces sunt inferiores et superiores, sacerdotes sci. et episcopi. Sed adscribere novos milites ad exercitum non est cuiuslibet ducis sed superiorum tantum. Attamen ille, qui est supremus dux in exercitu, potest ex aliqua rationabili causa etiam subordinatos superiores delegare ad hoc munus. Nec vero alii delegari possunt nisi sacerdotes, nam hi soli possunt esse duces in exercitu Christi, sicut ipsi soli possunt esse pastores gregis Christi, quia ipsi soli habent potestatem in corpus Christi verum, quo pascuntur fideles. Iidem autem sunt duces in ecclesia, qui sunt pastores¹. Ergo sacerdotes per

¹ Hanc comparisonem cum exercitu, plerisque theologis acceptam, *J. Straub* (De eccl. Christi II, n. 685) impugnat, cum duces constituentur in ecclesia iurisdictione, qua tamen confirmare non possint. Sed hoc est extra statum quaestionis. Hic enim non quaeritur, utrum potestate iurisdictionis an potestate ordinis confirment, sed simpliciter num sint ipsi principales duces exercitus Christi. Hoc nemo catholicos negat, et ex hac suppositione plerique theologi dicunt horum principalium ducum esse milites simpliciter consecrare ad pugnandum. Neque huc pertinet quaestio, utrum episcopus necessario debeat esse confirmatus necne, sed solum quaeritur, num sit principalis dux in exercitu Christi. Neque quaeritur, num omnes baptizati data occasione contra inimicos fidei pugnare debeant, sed quaeritur, quam ob causam Christus solis episcopis dederit potestatem speciale illud insigne militare, quod est in confirmatione, conferendi fidelibus. Si cui illa ratio convenientiae non placet,

characterem sacerdotalem sunt in potentia remota ad confirmandum. Ut vero haec potentia transeat in actum primum proximum, accedere debet concessio summi pontificis. Est igitur potentia sacerdotis conditioni alligata, dum potentia episcopi est absoluta et incondicionata.

555. Pontifex quidem communicans potestatem confirmandi cum simplici sacerdote, ex sua parte ponit actum iurisdictionis, quia praecise per iurisdictionem papalem habet supremum ducatum in Christi exercitu. At non ideo sacerdos vi alicuius iurisdictionis acceptae confirmat, cum confirmatio sit consecratio, quae non confertur per iurisdictionem seu per modum iudiciale, sed est actus potestatis ordinis. Potestas autem ordinis secundum explicationem alibi datam (De sacram, in gen. Prop. XII XIII XX) non est potestas physica sed moralis, quae in eo consistit, quod actus talis ministri a Deo accipitur ut actus Christi, quo effectus sacramenti petitur. Sed talis moralis potestas conferri potest partim per consecrationem internam, partim per deputationem externam. Si mere per consecrationem internam confertur, minister tantam dignitatem internam accipit, qua semper et quasi conaturaliter gerat personam Christi in ritu sacramentali ponendo. Sin etiam requiritur deputatio externa ad validitatem sacramenti, dignitas interna non tanta est, ut necessario semper minister gerat personam Christi, sed solum tanta, ut possit eam gerere quoad hoc sacramentum, dummodo dignitas haec compleatur seu elevetur per deputationem externam. Ergo in episcopo solus character episcopalis est totalis causa, qua Deus ex parte ministri movetur ad ponendum effectum sacramenti; in presbytero character sacerdotalis simul cum deputatione est causa totalis, ita tamen, ut duae causae partiales non sint coordinatae sed subordinatae, quia deputatio supponit characterem, et character est elementum radicale et principale (cf. *Suarez* disp. 36, sect. 2). De variis explicationibus huius rei cf. *Dolger*, *Das Sakrament der Firmung* 211 sqq.

556. Potest hic quaeri, *num quilibet episcopus possit deputare sacerdotem ad confirmandum*. Negant plerique theologi; nam quid sit in hac re iuris divini, non possumus rationibus a priori ostendere, sed debemus ex traditione discere. In hac autem non apparet vestigium

potest eam tuto omittere, sed magna illa obscuritas, quam *Straub* in ea videt, non re inest, sed artificiosa argumentatione creatur. Ratio convenientiae, quam ipse proponit, haec est: Ex una parte sacramentum confirmationis non tam necessarium est et facile differri potest, ex altera parte ad reverentiam episcopis conciliandam conducit, quod ii soli hoc sacramentum valide dare possunt. Sed si quaeritur, cur specialis reverentia episcopis concilianda sit, nonne respondetur: quia principalem locum obtinent inter milites Christi, quorum proprium sacramentum est confirmatio? Ergo differentia huius explicationis a communi explicatione theologorum satis mediocris est. Ceterum quia agitur non de ratione stricte probante sed suadente tantum et explicante, quivis suo sensu abundet.

mr i
W»

«i

huius potestatis in episcopis sed in romano pontifice tantum. Et hoc quidem facile constat quoad ecclesiam latinam, sed difficultas est quoad graecos, cum presbyteris graecis videatur haec facultas semper dari ab episcopis suis. Nihilominus *Arcudius* (De concord, eccl. occid. et orient. 1. 2, c. 15) censet hanc facultatem a tacita quadam concessione summi pontificis derivandam esse. „Ceterum quicquid est de hac difficili et valde implexa controversia, omnibus in confesso est irritam nunc fore confirmationem a simplici presbytero latino ex sola episcopi delegatione collatam, quia sedes apostolica id iuris sibi unice reservavit" (*Bened. XIV*, De syn. 1. 7, c. 8, n. 7). Potest enim summus pontifex jurisdictionem episcoporum restringere et limitare. Cum vero talis limitationis nullum decretum existat, *Suarez* (dip. 36, sect. 2, n. 13) censet multo verisimilius episcopos omnino tali potestate carere ex ipso iure divino. *Clemens VI* 1. c. (supra n. 553) haec ait: „Si credis, quod solum per romanum pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio sacramenti confirmationis presbyteris, qui non sunt episcopi, committi" (*Denz.* n. 573). — Contra, papa electus, nondum tamen consecratus sacerdos, licet non possit ipse confirmare, potest tamen sacerdoti dare facultatem confirmandi, quia potestatem iurisdictionis iam habet in universam ecclesiam. — Haec autem concessio, quia est dispensatio a lege, non debet quidem dari sine rationabili causa; sed, si daretur, tamen valeret. Secus enim subditi deberent inquirere in quaestionem, num pontifex in singulis casibus habuerit sufficientem causam, et cum de hac re difficulter possent iudicare, tota res esset scrupulis et anxietatibus obnoxia, id quod admitti nequit.

557. *Schol.* De caerimoniis confirmationis.

Caerimoniae confirmationis sunt paucae tantum, quare breviter absolvi possunt. De *praeparatione et benedictione materiae* iam dictum est; id solum notare possumus, in ritu benedictionis halitum episcopi super ampullam chrismatis significare descensum Spiritus Sancti. Chrisma vero benedictum, quasi quoddam receptaculum Spiritus Sancti factum, sollempniter salutatur: „Ave, sanctum chrisma!" De circumstantiis temporis et loci nihil addendum est. Patrini autem (diversi a patrinis baptismi) aequae hic atque in baptismo adhibentur, et eadem circa eos sunt leges ecclesiasticae. Constituuntur autem ad erudiendos novos tirones in pugna spirituali. Debent esse confirmati et quidem pro singulis confirmandis unus vel una eiusdem sexus. Novum quoque nomen novo militi imponi potest. *Manuum extensio et impositio* significat communicationem Spiritus Sancti, ut ex orationibus concomitantibus elucet. Confirmato levis alapa datur; secundum alios, ut moneatur eum debere esse paratum ad ferendam cum Christo ignominiam; secundum alios, ut recordetur se nunc factum esse militem Christi (*Ritterschlag*; cf. *-Der Katholik* 1869, I 55 sqq).

Tractatus III. De confirmatione.

Simul dicitur: ‚Pax tecum’⁰ quia recepit Spiritum Sanctum, cuius effectus est pax.

Per se *frons confirmati ligari debet fascia*, tum ne chrisma defluat, tum ad significandum gratiam acceptam debere diligenter conservari. Quae fascia olim ferebatur per septem dies. Sed haec caerimonia iam plerumque non observatur (cf. *Bellarmin.*, De confirm., c. 13). In fine, postquam omnes confirmati sunt, datur benedictio, quae est mera caerimonia, non vero pars essentialis.

Grace peccatum committitur in administratione confirmationis:

- a) si confertur sine ullo vestimento pontificali;
- b) si notabilis pars caerimoniarum omittitur (non vero, si sola alapa);
- c) si confertur sine patrino, excepto casu necessitatis, aut si patrimis non est confirmatus (S. *Alphons.* 1. 6, n. 184 sq).

TRACTATUS IV. DE EUCHARISTIA.

PRAENOTANDA.

558. Postquam homo baptismo generatus est ad vitam supernaturalem et confirmatione accepit vires ad pugnandum contra hostes spirituales, necesse est secundum analogiam vitae naturalis *nutrimentum* habeat, quo vires conserventur et confortentur. Cui necessitati Christus pro sua benignitate providit modo summe admirabili et vere divino. Neque enim alium cibum suis reliquit nisi se ipsum sub speciebus cibi et potus in eucharistiae sacramento praesentem secundum divinitatem et humanitatem suam.

559. Itaque *hoc sacramentum multum differt ab omnibus aliis*; nam cum in ceteris admirabili quodam modo virtus a Christo participata insit ad homines sanctificandos, *in sanctissima eucharistia ipse Christus vere et realiter praesens est, et ab hominibus tamquam cibus supernaturalis sumitur*. Quo fit, ut hoc sacramentum non consistat in actione transiente sed in re permanente, neque ritus aliquis sacramentalis hic adhibeatur immediate ad homines sanctificandos sed proxime ad adducendum ipsum omnis sanctificationis auctorem, cuius sacramentali praesentia homines sanctificantur.

560. Porro autem ex revelatione constat *Christum ita fieri in eucharistia praesentem, ut simul caelesti Patri modo incruento in sacrificium offeratur*, quod sacrificium missa vocari solet. Itaque sanctissima eucharistia consideranda est ut sacramentum et ut sacrificium. Ante omnia autem fundamentum totius huius doctrinae in tuto collocandum est, videlicet dogma realis praesentiae corporis et sanguinis Christi.

561. *Consequenter hic tractatus tres partes habebit*, quarum est

1. de reali praesentia Christi in eucharistia;
2. de sacramento eucharistiae;
3. de sacrificio missae.

562. *Nomen* eucharistiae significat gratiarum actionem, sive quia Christus *ευχαριστια* hoc sacramentum instituit (1 Cor 11, 24), sive quia per hoc mysterium Deo gratiae aguntur, sive quia in eo continetur Christus, omnium gratiarum origo, sive quia per illud homines amplissimas gratias impetrant. His enim et similibus modis nomen explicatur a Patribus et theologis. Sed *permulta alia nomina* iam a primis saeculis in usu sunt, ut cena Domini a tempore institutionis, communio, sci. Christi cum hominibus, synaxis, viaticum, i. e. subsidium itineris ad patriam caelestem, sacramentum altaris, mensa Domini, panis angelicus, corpus Christi (Fronleichnam), pascha, venerabile sacramentum, sanctissimum etc. etc. Immo non raro vocatur simpliciter sacramentum per excellentiam, quia omnium sacramentorum est excellentissimum; est enim sacramentum, quia est signum gratiae, est excellentius omnibus sacramentis, quia est ipsa gratia substantialis.

563. *Magis artum nexum quam cum aliis sacramentis eucharistia habet cum baptismo et confirmatione*, quia haec tria sacramenta independenter a peccatis propriis hominum destinata sunt ad vitam supernaturalem dandam, perficiendam, conservandam. Recte quoque dici potest baptismus sacramentum fidei, confirmatio sacramentum spei, eucharistia sacramentum caritatis; baptismo ponitur homo in via salutis; confirmatione confortatur ad superandas viae difficultates; eucharistia iungitur cum termino. Quare baptismus et confirmatio transibunt; panis angelorum manebit in aeternum, satians fideles in hac et beatos in altera vita, licet modo diverso.

SECTIO I.

DE REALI PRAESENTIA CHRISTI IN EUCCHARISTIA.

564. *Nota, Haereses circa realem Christi in eucharistia praesentiam* videntur iam ortae esse temporibus *S. Ignatii* Martyris, qui refert *doketas* negasse „eucharistiam carnem esse salvatoris nostri Iesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quam Pater benignitate sua suscitavit" (Ep. ad smyrn. c. 7, n. 1). Qui enim negabant Christum habuisse verum corpus, consequenter negabant verum corpus Christi in eucharistia adesse. Monophysitae quidam, sicut negant Christum habere humanam naturam, ita negant in eucharistia esse humanam naturam, realem tamen praesentiam Christi in eucharistia admittunt.

565. *Medio aevo* (post acres disputationes inter Paschasium Radbertum et eius adversarios de modo realis praesentiae) dogma ipsum realis praesentiae primus negasse videtur *Berengarius* saec. XI, qui affirmabat omnia in altari geri in figura et specie, nequaquam in rei veritate. Berengarii liber „De sacra cena“ a Lessing repertus, anno 1834 editus est, in quo libro inter alia haec habentur: Non minus tropica oratione dicitur: panis, qui ponitur in altari, post consecrationem est corpus Christi, quam dicitur: Christus est leo, Christus est agnus, Christus est lapis angularis. — Attamen Mabillonius et Martène iam suspicabantur et ipse Lessing acriter contendit non realem praesentiam sed transsubstantiationem negatam esse a Berengario, eumque docuisse post consecrationem adesse quidem panem, sed sub pane simul esse verum corpus Christi (*Lessing, Berengarius Turon. V; Lessings Werke, Leipzig 1841, 752 sqq*). Ideo videtur ei haec vera sententia, quia in libro Berengarius saepius diserte testatur se omnino admittere realem praesentiam. Nihilominus viri docti vix non omnes hodie admittunt Berengarium reapse negasse physicam praesentiam corporis Christi et dynamicam quandam praesentiam docuisse, qua homo cum fide suscipiens panem et vinum, particeps fiat ipsius Christi. Damnatus autem est Berengarius propter negatam transsubstantiationem; hac enim admissa realis praesentia per se habetur. Berengarius quidem dicebat se adhaerere doctrinae *Ioannis Scoti* (saec. IX), sed quae haec doctrina fuerit, propter eius obscuritatem numquam

cum certitudine erui potuit. Simul tamen cum Berengarii doctrina liber Scoti pluries damnatus est. Acta conciliorum de Berengario et Scoto habentur apud *Mansi* XIX 757 sqq 837 sqq 897 sqq; XX 516 523 sqq (cf. *Dem.* n. 355). Contra Berengarium praecipue scripserunt *Guitmundus, Lanfrancus, Algerus* (cf. *Collect. Hurter* vol. 23 38 39).

566. *Saec. XII Petrus de Bruis* docebat Christum quidem in ultima cena discipulis verum suum corpus et sanguinem dedisse, sed sacerdotes nullam habere potestatem consecrandi. Eius discipuli vocabantur petrobrussiani, quorum unum quendam, Henricum nomine, monachum *S. Bernardus* refutat ep. 24 et serm. 68 in Cant.

567. Realem praesentiam *saec. XIII tcaldenses et albigenses, saec. XIV flagellantes* negarunt (*Dem.* n. 424 430). Utrum *Wiclif* negaverit realem praesentiam an solam transsubstantiationem, non constat. Utraque veritas contra eum definita est a *concil. constantiensi* (art. 12 3; *Dem.* n. 581 sqq).

568. Ex *haeresiarchis saec. XVI Lutherus* Christi praesentiam in eucharistia, saltem tempore sumptionis, non negavit, sed contra ‚sacramentarios‘ strenue defendit. Hoc tamen magis faciebat, quia nolebat alios ‚reformatores‘ praeter se tolerare, quam ex amore veri. BSurgunt“, inquit, ‚et alii quidam prophetae, ut probentur, qui fideles sunt. Gaudent papistae de nostro dissidio. Sed Deus inveniet Carlstadium suo tempore, quem ego puto peccare peccatum ad mortem [quia negabat realem praesentiam]. . . . Totus est obsessus uno daemone/ Ita Lutherus scripsit anno 1525 (*De Wette, Luth, epist. II 1525*) L

iwrt'

1 Anno 1524 iam epistulam dederat .An die Christen zu Strabburg¹⁴, in qua haec habet inter alia: ‚Ich habe erfahren . . . dab bey Each Doktor Karlstadt ein Rumor anrichtet mit seiner Schwarmerey vom Sacrament, von Bildern und Taufe; wie er dann anderswo auch than hat und mich schilt, als hab ich ihn aus dem Land vertrieben. Nun, meine allerliebsten Freunde, ich bin euer Prediger nicht. . . . Ich hoffe [aber], dab ihr mich bisher in meinen Schriften habt erkannt, dab ich das Evangelium . . . so lauter und gewib gehandelt hab, dab ich darin unstriiflich erfunden bin, und ja nit leugnen kann, dab ich ein unwQrdigcr Gezeug Gottes gewesen bin, dadurch er vielen geholfen hat. Welcher Stuck noch keins hat wollen recht vornehmen D. Karlstadt, auch nicht vermag, als ich jetzt aus seinem Schreiben sehe, dab ich wahrlich nit gemeint und gleich erschrocken bin, dab der Mann noch so tief liegt. . . . Das bekenne ich, dab wo D. Karlstadt od. Jemand anders vor fünf Jahren mich hätte mügen berichten, dab im Sacrament nichts denn Brod und Wein wâre, der hlitte mir einen groben Dienst gethan. Ich habe wohl so grobe Anfechtungen da gelitten und mich gerungen und gewunden, dab ich gerne herausgewesen ware, weil ich wohl sahe, dab ich damit dem Papstthumb hütte den grÜbten Puff konnen geben. Ich habe auch zween gehabt, die geschickter davon zu mir geschrieben haben dann D. Karlstadt und nicht also die Worte gemartert haben nach eigenem Dunken. Aber ich bin gefangen, kann nicht heraus; der Text [verba institutionis] ist zu gewaltig da und will sich mit Worten nit Jassen

569. *Quattuor tamen capitibus Lutherus recedit a doctrina catholica.*

a) Nogat in cap. 6 evangelii S. Ioannia esse sermonem de eucharistia: «Cap. 6 Io. in totum est seponendum, ut quod nec syllaba quidem de sacramento loquitur, non modo quod sacramentum nondum esset institutum, sed multo magis quod ipsa sermonis et sententiarum consequentia de fido incarnati Verbi Christum loqui clare ostendunt (De captiv. babyl. initio tract, de sacram.).

b) Negat transsubstantiationem et docet «esse verum panem verumque vinum, in quibus Christi vera caro verusque sanguis non aliter nec minus sit quam illi [catholici] sub accidentibus suis ponunt (ib. § „Altera captivitas eiusdem sacramenti

c) Negat sacrificium missae, quod vocat „longe impiissimum abusum (ib. § «Tertia captiv.

d) Negat Christum fieri praesentem per solam consecrationem, nisi accedat communio fidelium. Eadem est doctrina modernorum lutheranorum (Realenzyklopidie von Herzog und Plitt [ed. 2] s. v. *Abendmahl* 28 32sq; aliter in ed. 3, 65 sq).

570. *Zwinglius* usque ad annum 1523 Lutheri de eucharistia doctrinam professus erat, sed anno 1525 in libro *De vera et falsa religione* in cap. de eucharistia realem praesentiam Christi in sacramento negat, et dicit se quidem iam antea ita credidisse sed contrarium docuisse, quod tunc homines verum ferre nondum potuissent. «No- luimus cibum dare, cum intempestivum esset. . . . Retractamus ergo hic, quae illic diximus, tali lege, ut quae hic damus anno aetatis nostrae 42, propendeant iis, quae 40 dederamus, quando ut diximus tempori potius scripsimus quam rei (*Huldrici Zwinglii Opera*, Turici 1832, III 240). Docet igitur:

a) «Eos penitus errare, qui Christum toto isto capite (Io 6) putant quicquam de sacramentali cibo loqui (l. c. 241).

b) «In verbis ‚Hoc est corpus meum‘ ponitur nostro iudicio hoc verbum ‚est‘ pro ‚significat‘ (l. c. 257). Unde haec verba possunt ita explicari: «Hoc, quod sci. ad edendum praebeo, symbolum est corporis mei pro vobis traditi, atque hoc, quod nunc facio, in meam commemorationem posthac facietis (ib. 258).

c) «Falsa ergo religio est, quae docuit huius symbolici panis usum peccata delere; nam Christus solus delet peccata, cum moritur; mor-

aus dem Sinn reifen' (*De Wette* II 576 sqq). Quare Lutherus ex oppositione contra sacramentarios laudat doctrinam catholicam (ib. IV 354).

„Sie [die Priester] behalten das Sacrament allein für sich einzelen und reichens niemand. Siehe, das heift nicht allein sündigen oder inifbrauchen der Ordnung Christi, sondern die Ordnung Christi an ihr selbs endern und vorkeren, derhalbe niemand glauben kann noch soli, das da sei Christi Leib und Blut, weil seine Ordnung nicht da ist, gleich als wenn du jemand on Wasser oder mit Aschen tauffest (Von der Winkelmesse, Wittenberg 1533, Bogcn K. 3).

tuus est autem semel tantum. . . . Falsa est religio, quae docuit hunc panem opus aut oblationem esse, quae cotidie oblata peccata nostra expiet (l. c. 261).

d) .Est ergo eucharistia . . . nihil aliud quam commemoratio, qua ii, qui se Christi morte et sanguine firmiter credunt Patri reconciliatos esse, hanc vitalem mortem annuntiant, hoc est laudant, gratulantur et praedicant. Iam ergo sequitur, quod, qui ad hunc usum aut festivitatem conveniunt, mortem Domini commemoraturi, hoc est annuntiaturi, sese unius corporis esse membra, sese unum panem esse ipso facto testantur.' Est igitur eucharistia „sacramentum, quod nos Christo addictos esse apud ecclesiam testatur (l. c. 263). Hinc negat eucharistiam adorandam esse (l. c. 264). Cf. 269, ubi conqueritur se a Luthero pro hac sua doctrina sugillari. Zwinglii doctrinae acerrimus defensor fuit *Oekolampadius*.

571. Medium quendam locum inter Lutheri et Zwinglii haereses occupat *Calvini* de eucharistia doctrina. Cum Zwinglio enim negat panem transsubstantiari in corpus Christi et corpus Christi localiter praesens esse sub pane, et docet verba „hoc est corpus meum idem esse ac: hoc est symbolum corporis mei. „Restat igitur, ut propter affinitatem, quam habent cum suis symbolis res signatae, nomen ipsum rei fateamur attributum fuisse symbolo; figurate id quidem sed non sine aptissima analogia (Inst. l. 4, c. 17, n. 21). Hinc negat sacramentum esse adorandum (l. c. n. 35). Ex altera tamen parte non consentit cum Zwinglio docente hominem recipere symbolum tantum corporis Christi, non ipsum corpus. Fingit enim quandam virtutem a corpore Christi in caelo existente ad homines descendere, dum eucharistiam sumunt: „Summa sit non aliter animas nostras carne et sanguine Christi pasci, quam panis et vinum corporalem vitam tuentur et sustinent. . . . Etsi autem incredibile videtur in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, ut nobis sit in cibum, meminerimus, quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus Sancti virtus. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides: Spiritum vere unire, quae locis disiuncta sunt (l. c. n. 10). Ergo symbola panis et vini et figurant et exhibent corpus et sanguinem Christi (l. c. n. 11). Si quaeritur, quo modo haec unio cum corpore Christi fiat, respondet Calvinus: „Ea est corporis [Christi] praesentia, quam sacramenti ratio postulat, quam tanta virtute tantaque efficacia hic eminere dicimus, ut non modo indubitam vitae aeternae fiduciam animis nostris afferat, sed de carnis etiam nostrae immortalitate securos nos reddat. . . . Si cui nondum satisfactum fuerit, hic velim paulisper mecum reputet de sacramento nunc haberi sermonem, cuius omnia ad fidem referenda sunt. Fidem vero nos ista, quam enarravimus, corporis participatione laute affluenterque pascimus. . . . Nobis sufficit Christum e carnis suae sub-

stantia vitam in animas nostras spirare, immo propriam in nos vitam diffundere, quamvis in nos non ingrediatur ipsa Christi caro" (l. c. n. 32). „Non ergo facit sacramentum, ut Christus panis vitae esse primum incipiat, sed, dum in memoriam revocat panem vitae esse factum, quo assidue vescamur, eiusque panis gustum et saporem nobis praebet, ut vim panis illius sentiamus, facit. . . . Interim vero non esse aliam hanc quam fidei manducationem fatemur, ut nulla alia fingi potest. . . . Ergo credendo manducari Christi carnem, quia fide noster efficitur, eamque manducationem fructum effectumque esse fidei dico® (l. c. n. 5). Ergo, qui indigne communicant, merum panem et vinum, i. e. symbola corporis et sanguinis Christi suscipiunt, non Christum ipsum. „Liquere arbitror vero et reali esu privari, qui sacramentaliter tantum [i. e. sine fide] Christi corpus comedunt® (l. c. n. 34). Eadem est *doctrina modernorum calvinistarum*l.

572. Cum igitur doctrina lutherana et calviniana apertissime inter se pugnent, tamen ad tegendum hoc magnum protestantium dissidium iam saec. XVI studuerunt invenire modum haec contradictoria conciliandi. Quare *Melanchthon* Confessionem augustanam (art. 10) pluries mutavit. Prima formula erat: „De cena Domini docent quod in ea sub specie panis et vini corpus et sanguis Domini vere adsint et

h¹⁷⁷¹ .
lit

r

l „Im Abendmahl wird uns nichts dargeboten, was uns nicht auch auferhalb desselben durch das göttliche Wort dargeboten würde, nämlich Befestigung der Gemeinschaft mit Christo, woraus sich als Frucht ergibt: Stirkung des Glaubens, Vergebung der Sünden, Kraft der Heiligung. Aber im Abendmahle als dem sichtbar gewordenen Worte wird uns das alles auf besonders eindringliche Weise nahe gelegt, d. h. so wie wir auferhalb des Abendmahles nach Mafgabe von Jo 6, 48—62 uns mit Christi Fleisch und Blut nähren, so wird dieser Akt der Gemeinschaft mit Christo durch das Essen und Trinken der Pfander seines für uns dahingegebenen Leibes und vergossenen Blutes auf die ergreifendste Weise nahe gelegt.... Es ist etwas ganz anderes, zu sagen, daß Christus im Brote gegenwärtig sei, und daß er im Abendmahle gegenwärtig sei. Es findet eine verissima und realissima praesentia Christi statt, eine unio weder localis noch corporalis Christi mit uns. Mit dem Leibe und dem Blute Christi besteht eine sacramentalis unio panis et vini; diese sacramentalis unio, hinzukommend zu der spiritualis unio mit Christo, ist es eben, welche die Feier des heiligen Mahles zum Hohepunkt des christlichen Gottesdienstes macht, wo Mensch und Gott sich begegnen, der Mensch mit seinem besten Streben, Jesum durch Absterben der Sünde sich mehr und mehr anzueignen, und Gott mit seinen reichsten Gaben. . . . Damit die Feier des Abendmahles solche gesegnete Wirkungen habe, dazu ist, sei es direkt, sei es indirekt, kein Naturgeheimnis, kein Wunder nötig, kein physisches Wunder, kein Wunder der göttlichen Allmacht, welches dem Wunder der Fleischwerdung des göttlichen Wortes gleichkame, kein Wunder, welches, wenn nicht auf dem Altare, so doch im Munde der Essenden und Trinkenden sich vollzöge (alles dieses nach lutherischem Lehrbegriffe) — sondern es findet eine übersinnliche Wirkung der göttlichen Gnade statt je nach Mafgabe der das Sakrament Empfangenden {*Herzog* in *Realenzyklopadie* I 43 sq, qui articulus in edit. 3 omissus est, duobus aliis substitutis, quibus haec doctrina exegetice et „historices tantum exponitur. Cf. Dr .4. *Ebrard*, Das Dogma vom heiligen Abendmahl I, Frankfurt a. M. 1845, 119).

S

distribuantur fidelibus." Quae forma plane catholice sonat; quare postea, ne videretur doceri transsubstantiatio, omissa sunt verba „sub specie panis et vini". Tandem scriptum est: „De cena Domini docent, quod cum pane et vino vere exhibeatur corpus et sanguis Christi vescentibus in cena Domini/ Cui formulae calvinistae quoque assentire possunt. Sed unionem, quam volebat Melanchthon, efficere non potuit, verum potius infinitis disputationibus et cavillationibus ansam dedit, ita ut lutherani et calvinistae inter se saevissime persequerentur.

573. Aliquam speciem unitatis effecit in Borussia (et aliis Germaniae statibus) gubernium civile, quod brevi manu lutheranos et calvinistas in unum ‚corpus evangelicorum' compegit iisque ‚agendam“ praescripsit. Quae ‚unio" ita fere effecta est, ut opinione Lutheri practice abrogata Calvinii sententia paululum immutata admissa sit. Hac reali irrisione veritatis factum est, ut iam longe plurimi protestantes germani non solum fidem realis praesentiae Christi in eucharistia abiecerint, sed etiam magis magisque a veri nominis religione Christiana deficiant. Ita membra ‚societatis protestanticae" omnia fundamentalia dogmata, ut Trinitatem et divinitatem Christi, negant.

574. *In haeresi anglicana* non statim ab initio omnes errores praedicati sunt, qui nunc praevalent, sed sensim sine sensu populus a pristina doctrina abductus est. Etiam nunc in „Libro precum“ anglicano, in catechismo, qui praecedit ‚confirmationem", hae ponuntur quaestiones: ^Quaenam est in cena dominica pars externa sive signum? Resp.: Panis et vinum, quae Dominus accipi iussit. Qu.: Quaenam est interna pars sive significata? Resp.: Corpus et sanguis Christi, quae a fidelibus in cena dominica vere et reipsa sumuntur et percipiuntur." Attamen in editione latina eius libri, quam anno 1865 paraverunt *Bright* et *Medd*, post ^ordinem sacrae communionis" habetur haec nota: ‚Cum in hoc ordine administrandi cenam dominicam praescriptum sit, ut genuflexi eam percipiant communicantes, tamen, ne a quibusdam aut ex ignorantia et infirmitate aut ex malitia et pertinacia ea genuflectio (ita!) prave intellegatur vel in peius detorqueatur: hic declaratur nullam per eam intendi vel faciendam esse

* ‚Als sich aber . . . eine lutherische Bewegung gegen die Union erhob, so wurde auch den Differenzlebern die kirchliche Fortdaner innerhalb der Union gegönnt . . . und die anfingliche absorptive unionsidee dahin modifiziert und ermäßigt, daß in der einen evangelischen Landeskirche, die einen gemeinsamen reichen Schatz evangelischer Grundtatsachen und Grundwahrheiten zu besitzen sich bewußt ist, . . . die beiden Konfessionen mit ihren Unterschieden als die verschiedenen evangelischen Lehrtropfen anzusehen seien, welche ihren Unionssinn . . . wenigstens durch gegenseitige Gevriihung der Abendmahlsgemeinschaft ohne Übertritt und durch den Geist der Milde und des Friedens einander gegenüber zu betätigen haben* (Geschichte der protestantischen Théologie von *I. A. Dörner*, München 1867, 774 sq).

adorationem aut sacramentalia panis et vini ibi corporaliter acceptorum aut corporalis cuiusdam praesentiae carnis et sanguinis naturalium Christi. Sacramentalia enim panis et vinum in sua proprietate naturae vel substantiae permanent, ideoque ea adorare non licet.... Et Christi salvatoris nostri naturale corpus et sanguis non hic sed in caelo sunt; naturale enim Christi corpus in duobus simul locis consistere, salva eius veritate, dici non potest" (p. 161). Reapse in longe maiore parte sectae anglicanae calvinistica de eucharistia sententia praevalet, quae etiam apud alias sectas (dissenters) unice fere admittitur.

575. Contra hanc frivolam sacramenti acceptionem nonnulli viri docti oxonienses, quorum dux erat *Pusey*, dimicare coeperunt. Cum tamen contrarium spiritum ecclesiae anglicanae superare nequaquam potuissent, partim ad catholicam religionem conversi sunt, partim novam sectam fundarunt, quae ob imitationem rituum catholicorum *ritualismus* vocatur. Ritualistae igitur non solum realem praesentiam docent, sed etiam sacrificium missae admittunt; transsubstantiationem vero negant.

ART. I.

DE VERITATE REALIS PRAESENTIAE.

i*

ARGUMENTA SCRIPTURISTICA.

Prop. LXI. Verbis, quae refert S. Iohannes 6,52 sqq, Christus promisit se velle nobis carnem suam et sanguinem sensu proprio in cibum et potum dare.

576. *Nota.* Sicut plerique protestantes negant in hoc textu sermonem esse de sanctissima eucharistia et pauci tantum iique fere recentiores concedunt illis verbis eucharistiae promissionem contineri, ut *Olshausen, Koestlin, Delitzsch, Kahnis, Stier, Keil*, alii —, ita catholici paene unanimiter verba ad eucharistiam referunt paucissimis tantum explicantibus de spirituali per fidem manducatione, ut *Nicolao Cusano, Iansenio Gandav., Caietano*, aliis. *Conc. trid.* hanc quaestionem dirimere noluit, ut patet ex sess. 21, c. 1 et historia concilii apud *Pallavic.* l. 27, c. 11; attamen quid de hac quaestione sentiret, clare indicavit tum loco citato tum sess. 13, c. 2. Optime textum Iohannis exposuit et de eucharistia intellegi debere demonstravit card. *Wiseman* (Lectures on the real presence lect. 1—4; edit, germ., Regensburg 1844, 13 sqq).

577. Inter eos, qui admittunt, in cap. 6 Iohannis Christum loqui de eucharistia, tamen aliqua differentia opinionum est, *utrum totus sermo Christi ad eucharistiam referatur an pars tantum.* Omnes concedunt

saltem a versu 51 agi de sacramento; alii vero vohint incipiendum esse a v. 48, ut *Wiseman* (l. c.), alii statim a versu 26, ut *P. de Augustinis*. Inter eos, qui alteram tantum partem sermonis Christi ad eucharistiam referunt, est etiam *S. Cyrillus Alex.* in Io 6, 27 (3/ 78, 482). Similiter *card. Toletus* in cap. 6 Io. et in 3, q. 75, a. 1, conci. 1 in fine, et *Knabenbauer*, *Comment*, in Io., ed. 2, 245. Ad argumentationem quidem nostram nil refert, quomodo reliqua pars sermonis Christi interpretanda sit, dummodo verba: «Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem ...» sensu proprio intellegenda sint; at tamen ut totus contextus melius perspiciatur, dicendum videtur, quid vero magis consonum appareat de compositione totius sermonis.

578. *Contextus igitur hic est:* Die praecedente hunc sermonem *Christus* *patraverat miraculum multiplicationis panum et nocte supra mare ambulaverat.* Quibus miraculis *Christus*, ut ipse indicat (Io 6, 6 26), voluit discipulos et iudaeos praeparare ad intellegendam doctrinam, quam sequenti die propositurus erat. Dura enim videbatur haec doctrina et scandalum creabat, sed *lesus* ostenderat se mereri fidem magnis miraculis, iisque non qualibuscumque sed quae cum re, quam docturus erat, intime cohaerent eiusque typus quidam essent. *Potentiam enim creatricem et absolutam* ostenderat creando cibum corporalem; eo vero quod super mare ambulabat, *evidenter monstrabat se non necessario secundum humanam suam naturam ceterorum corporum dispositionibus et legibus subiacere.* Unde si postea docturus erat aliquid, quod summam eius potentiam et a rerum corporearum condicionibus independentiam supponebat, merito fidem etiam talis rei postulare poterat (cf. *P. Keppler*, *Komposition des Johannes-Evangeliums* 47 sqq).

Iam postero die rursus multi ad *Christum* convenerant, quia novum temporale emolumentum se accepturos esse sperabant, quatenus suspicantes *lesum* esse Messiam, crassam suam spem messianicam proxime impletum iri putabant. Volebant enim eum facere regem (6, 15) et regni eius temporalia beneficia adipisci (6, 26). *Quare Christus eos monet, ut potius curam habeant vitae et donorum spiritualium.* «Operamini [operando comparate] non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis» (6, 27). Promittit igitur *Christus* se daturum esse panem supernaturalem, dummodo iudaei ex sua parte cooperentur: Quaerunt igitur: «Quid faciemus, ut operemur opera Dei?» Respondet *lesus* ante omnia requiri fidem, quia sine fide dona Dei percipi nequeant (6, 29). Postulant iudaei signum, idque magnum, quale *Moyses* fecerit, quo probet se fidem mereri. Signum autem, quod secundum traditionem iudaicam expectabant, erat repetitio miraculi manna. Corrigenz errorem iudaeorum *lesus* ait: Neque *Moyses* dedit vobis manna sed *Deus*, neque manna

est verus cibus caelestis, sed ille, qui de caelo descendit et veram vitam dat (6, 33). Volunt igitur iudaei hunc cibum habere. Respondet Iesus: Ego sum ille cibus; sed ut hoc cibo saturemini, requiritur fides; fides autem impossibilis est sine gratia Dei.

Sed huic gratiae iudaei resistunt, quia nolunt admittere Messiam humilem, qualem Deus misit (6, 42). Quare Iesus iterum inculcat necessitatem gratiae et fidei et *incipit magis explicare, quomodo ipse sit vere cibus caelestis*, sci. non eo sensu, quo manna fuit, quod virtutem non habebat dandi vitam aeternam, sed corpus nutrebat (6, 49), verum modo altiore, qui conferat ad vivendum in aeternum. Hanc igitur virtutem longo altiore virtute manna dicit esse in carne sua quam vult dare pro mundi vita (6, 52). Iudaei, crasso suo sensui insistentes, exclamant: „Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?" (6, 53.) Iudaei igitur *intellexerunt verba Christi sensu proprio*; „litigabant" autem inter se de modo executionis. *Christus vero nullo verbo indicat se velle intellegi sensu metaphorico, sed sexies repetit carnem suam manducandam, sanguinem suum bibendum esse*: „Caro mea verus est cibus, ἀληθὴν βρώσι, et sanguis meus verus est potus, ἀληθὴν ποτόσι (6, 56); ergo non sensu qualicumque sed maxime vero. Multi vehementer scandalizantur, sed nihilominus Iesus non mitigat verba sua, sed provocat ad futuram suam in caelum ascensionem: „Si videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius" (6, 63), numquid tunc intellegetis *non agi de manducatione meae carnis, in quantum haec est res passibilis*, sed de carne, ut sub influxu divinitatis facta est quodammodo res spiritualis et deificata? Nam „Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam" (6, 64). Ideo etiam verba, quae locutus sum ‚vobis" de manducatione meae carnis, „spiritus et vita sunt", quatenus cum fide suscepta rem summe spirituales manifestant, quae diiudicari non debet secundum communis materiae analogiam (6, 64). At quia non credebant, sed suum sensum sequebantur, multi verba non capiebant, sed „abierunt retro et iam non cum illo ambulabant" (6, 67). Apostoli vero, a Domino interrogati, suam in eum fidem confitentur.

I>h ; i

il·

579. Itaque ex hoc conspectu *apparet non necessario admittendas esse duas plane distinctas partes sermonis Christi*, quarum altera agatur de fide, altera de eucharistia, sed potius *totum sermonem referri ad eucharistiam*. Concedimus quidem nos, si nihil habeamus nisi eam partem, quae est usque ad v. 50, non posse inde probare promissionem eucharistiae; sed hoc non obstante, eo ipso quod certum est in fine sermonis Christum de eucharistia loqui, etiam dicendum videtur eum statim ab initio eucharistiam intellegere, cum se vocet cibum caelestem. Nam:

a) si in altera parte haec verba: „Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi" (v. 51), referenda sunt ad eucharistiam, concinnitas

sermonis postulat, ut etiam in priore parte haec verba: „Panis Dei est, qui de caelo descendit' (v. 33), „Ego sum panis vivus' (v. 41), significant cibum eucharisticum.

b) Christus statim ab initio sermonis dicit se qua Filium hominis in futurum daturum esse cibum aliquem vitae aeternae (6, 27). Ergo non loquitur de fide in se ut Messiam; hunc enim cibum non daturus erat, sed iam dederat per duos annos. Christus quidem est cibus, quem Pater iam dedit; sed aperte significat hunc cibum hominibus aliquo speciali modo a se paratum iri. „Ego sum panis ... et panis, quem ego *dabo*, caro mea est pro mundi vita.'

580. Sane *evidens est Christum in priore parte sermonis efferre necessitatem fidei*; sed quaeritur, utrum loquatur de fide absolute spectata, an de fide, prout praerequiritur ad eucharistiam fructuose recipiendam. Hoc alterum verum videtur, ita ut Christus dicat: Ego dabo me ipsum vobis in cibum supernaturalem; sed ut hunc cibum cum fructu manducare possitis, fidem habeatis necesse est. Ergo non sub duplici ratione se proponit ut cibum sed sub una, quae tamen una ratio fidem includit. Consequenter negamus haec verba „panis **v**itae„cibus vitae' ullibi in sermone sumi sensu metaphorico. „Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet umquam" (6, 35), quia carne mea satiabitur et sanguinem meum potum accipiet.

Ceterum etiam illi, qui volunt duas esse partes sermonis, concedunt eas non esse adaequate distinctas sed conexas, quatenus Christus priore parte se generali modo exhibeat ut obiectum manducationis spiritualis, altera vero parte modo magis speciali.

581. Iam his suppositis *probatur propositio ex solis versibus 52 sqq hoc argumento*:

Verba Christi de carne sua manducanda et sanguine suo bibendo intellegenda sunt aut sensu metaphorico aut sensu proprio. Atqui non sensu metaphorico. Ergo sensu proprio.

Minor huius syllogismi est probanda. Probatur autem triplici argumento.

582. *Arg. I.* Ex defectu rationum, ob quas statuatur sensus metaphoricus.

Omnis locutio humana tamdiu intellegenda est sensu proprio, quamdiu non adsunt rationes sufficientes ad admittendum sensum improprium et translatum. Atqui nullae afferuntur rationes, ob quas sermo Christi intellegendus sit sensu metaphorico et non proprio. Ergo intellegendus est sensu proprio.

Prob. min. Rationes enim, quas ex ipso textu Ioannis proferunt, ad duas revocantur.

1. Iudaei omnino non poterant intellegere verba Christi, si intellegenda erant sensu proprio.

2. Termini, quibus loquitur Christus de cibo caelesti, non possunt conciliari cum modo loquendi, quo usus est in institutione eucharistiae.

583. *Sed hae rationes nullius sunt valens.* Nam ad 1. Iudaeis multo obscurior erat sermo, si ex intentione Christi intellegendus erat sensu metaphoricis. Hoc ostenditur non solum facto, quod verba sensu proprio accipiebant, sed usu etiam linguae, qua Christus loquebatur, secundum quem sensus metaphoricus esset plane absurdus, ut mox videbimus. Quod vero Christus clarioribus verbis non utebatur, hoc erat propter incredulitatem et duritiam Iudaeorum, quam saepe punit obscuro loquendi modo (Mt 13, 13 sqq), cuius rei exemplum est mox post nostrum textum in capite 8 Ioannis. Simul vero, ut aliis quoque occasionibus, voluit Christus discipulos suos reddere cupidos discendi plura de re mysteriosa, quam indicaverat. Ita iam S. Chrysostomus hanc difficultatem solvit.

Ad 2. Quod hic a Christo vocatur *σάρ*, in institutione vero *σώμα*. non apparet, quomodo sit essentialis differentia. Aequè bene *σάρ* ac *σώμα* Christi potest dici cibus. Caro enim Christi saepe in novo testamento dicitur pro corporali natura Christi (Io 1, 14. 1 Petr 3, 18. Eph 2, 14. Hebr 10, 20). Unde plane idem est, utrum Christus dicat: cibus est corpus meum, an: cibus est caro mea; intellegitur enim caro viva, ergo totum corpus Christi, quod sumendo fideles et carnem manducant et sanguinem bibunt. Unde Dominus etiam simpliciter dicit: „Qui manducat me, et ipse vivet propter me" (Io 6, 58). Ceterum vix percipitur, quomodo tam inanes rationes movere possint virum cordatum, nisi praeiudiciis sit praeoccupatus.

584. *Arg. 2.* Ex impossibilitate sensus metaphoricis.

Sermo Christi est interpretandus sensu proprio, si sensus metaphoricus est plane impossibilis. Atqui ita est.

Prob. min. Metaphorarum sensus unice dependet ex usu, ita ut, qui contra usum metaphoras adhibeat, plane intellegi nequeat. Iam vero a) haec locutio „*carnem alicuius manducare*“ ex usu gentis, cui Christus loquebatur, habet quidem sensum metaphoricum, at unicum tantum et plane determinatum, secundum quem significat „summo odio aliquem prosequi“. Ita in Ps 26, 2: „Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas“; Job 19, 22: „Quare persequimini me sicut Deus et carnibus meis saturamini?“ i. e. quare tandem explere non potestis vestram calumniandi libidinem et demum cessare? nondum satis mihi detraxistis? Ita P. Knabenbauer illa verba Iobi interpretatur et addit: „Metaphora a ferarum more decerpta dicit aliquem pessime affligere (Midi 3, 3), verbis eum discerpere (cf. Ps 26, 2; Gal 5, 15), praesertim calumniis proscindere (cf. Dn 3, 8;

Hif;

u

k

6, 24; chald. manducaverunt frusta eius, i. e. falso accusabant eum, gr. *dié^alov*). Hanc sermonis semitici metaphoram et veteres et recentiores agnoscunt.

Eodem modo ac in lingua hebraica haec metaphora intellegitur in linguis arabica et syriaca, cuius rei varia exempla collegit card. *Wiseman* (l. c. 72 sq).

585. *Unica difficultas*, quae contra hunc exclusivum usum huius metaphorae afferri potest, est textus ex lob 31, 31: „Dixerunt viri tabernaculi mei: quis det de carnibus eius, ut saturemur?” quae verba possunt videre habere eum sensum, ut servi lob prae nimio amore velint comedere eum. Sed certe hic non est sensus loci nonnihil obscuri. Duplex est interpretum recentiorum sententia. Alii enim explicant ita: domestici mei testari possunt neminem esse, qui a tabernaculo meo abierit dapibus meis non saturatus. „Ita hebr. explicant recentiores ad unum omnes et certe, si verba spectes et versum subsequentem, apposite et commode (*Knabenbauer*). Alii referunt verba ad odium servorum in inimicos lobi, ut lob dicat: Ego fui mansuetus in inimicos meos, dum famuli mei odio in eos arderent (ib.). Quidam veteres interpretantur quidem verba de amore, sed ut hoc facerent, adducti sunt ideo, quia lobum considerabant typum Christi et putabant verba Christi apud Io 6 praefigurata esse his verbis lobi (cf. *Franzelin*, De euch., ed. 2, 22 in nota). Praeterea notandum est evangelistam non solum uti verbo *φάγειν*, sed etiam verbo *πρώγειν* (Io 6, 54), quod proxime significat rodere et fortius etiam inculcat esum proprie dictum.

586. b) Locutio „*sanguinem bibere* non adhibetur sensu metaphorico, nisi forte ad significandam poenam gravissimam (cf. Is 49, 26; Ape 16, 6).

Ergo omnis sensus metaphoricus, quem verba Christi secundum usum linguae semiticae habere possunt, admitti nequit; et consequenter admitti debet sensus proprius.

587. *Arg. 3.* Ex modo agendi Christi Domini.

Auditores verba Christi intellexerant sensu proprio et scandalizabantur. Iam vero Christus non correxit eorum opinionem ut falsam, sed potius fortioribus verbis inculcavit, quod iam dixerat. Immo cum discipuli eius eum propterea relinquerent, ne verbulum quidem dixit ad indicandum se nolle intellegi sensu proprio. Christus autem debuit hanc explicationem dare, quia auditoribus impossibile erat verba Christi sensu metaphorico intellegere, utpote numquam hoc sensu usurpari solita. Et revera Christus, quotiescumque auditores verba sensu metaphorico dicta sensu proprio accipiebant, nisi forte ita agebant mera calumniandi libidine, solebat semper verborum

suorum explicationem addere, ut Io 3, 3—8; 4, 32—34; 11, 11—14; Mt 16, 6—12 etc.

Contra Dominus, si volebat sensu proprio intellegi et res erat difficilis, solebat fidei necessitatem inculcare et ad divina provocare, ut Mt 9, 2—6; Io 8, 12 sqq. Sed ita praecise hoc loco agit; ergo vult sensu proprio intellegi.

588. Tandem ad haec argumenta possumus varias *confirmaciones* addere, ut quod Christus distinguit inter manducare carnem et bibere sanguinem, quae distinctio, si ageretur de significatione metaphorica credendi, inutilis esset; deinde quod Christus loquitur de cibo in futurum a se ut homine dando, cum ipse ut obiectum fidei iam datus esset a Patre; tandem quod perpetua ecclesiae traditio verba Christi sensu proprio intellexit¹, de qua re postea (cf. interim *Suarez*, De euch. disp. 46, sect. 2, η. 5 sqq; *Vazquez* In 3, disp. 179, c. 4, n. 36 sqq).

589. *Schol. 1.* De difficultate quadam ex SS. Patribus petita.

Cum quidam SS. Patres, ut *Augustinus*, dividant sermonem Christi apud Io 6 in duas partes, quarum priore agatur de cibo fidei, patet nullius momenti esse obiectiones, quae inde fiunt, quod hi Patres dicant cibum caelestem in priore parte sermonis intellegendum esse sensu metaphorico. „Quid paras dentem et ventrem? Crede, et manducasti" (*August.*). Eodem enim modo plurimi theologi, qui nostram thesim defendunt, illa verba explicant, et ex altera parte illi SS. Patres expresse docent Christi corpus et sanguinem realiter manducandum apud Io 6 promitti; id quod infra videbimus.

590. *Schol. 2.* De typis ss. eucharistiae.

Cum omnia, quae in vetere lege Deo auctore instituta erant, sint typus novi testamenti (Hebr 9, 23 sq. 1 Cor 10, 11), mirum non est varias quoque exstitisse figuras excelsissimi mysterii nostrae religionis. Huc a SS. Patribus referuntur panis et vinum, quae protulit Melchisedech (Gn 14, 18; cf. Ps 109, 4), panes propositionis (Ex 25, 30; 40, 21. 1 Rg 21, 6 sqq), agnus paschalis (Ex 12), sanguis testamenti (Ex 24, 8: cf. Mt 26, 28; Hebr 9, 17 sqq), manna (Ex 16, 4 sqq). Cf. *Bellarmin.*, De euch. l. 1, c. 3, qui ex his figuris hoc format argumentum: Figurae hae eucharistiae necessario debent esse inferiores re figurata, i. e. eucharistia. Atqui si in eucharistia est solus panis et solum vinum, eucharistia est inferior vel saltem non excellentior suis figuris. Ergo eucharistia est verum corpus et sanguis Christi (ib. l. 1, c. 4). Quod argumentum non est sine vi probandi pro iis, qui admittunt illos typos.

¹ Verba Christi a SS. Patribus hoc sensu esse intellecta ostendit *Vai. Schmitt*, Die Verheihung der Eucharistie (Joannes VI) bei den Viitem, Würzburg 1900 et 1908.

Prop. LXII. Quod Christus apud Io G promisit, hoc in ultima cena praestitit dando apostolis verum corpus et sanguinem suum ad manducandum et bibendum sub figuris panis et vini.

591. *jXota.* Quattuor narrationes institutionis eucharistiae habentur: Mt 26, 26—28; Mc 14, 22—24; Lc 22, 19 20; 1 Cor 11, 24 25, quae narrationes, quamvis non quoad singula verba inter se conveniant et consequenter sermones Domini non verbotenus referant, tamen omnes eandem rem verbis apertissimis et simplicissimis significant: Accepit Iesus panem et ait: hoc est corpus meum; et accipiens calicem ait: hic est sanguis meus. . . .

Haec verba institutionis non solum omnes catholici sed etiam omnes schismatici et omnes fere haeretici veteres semper intellexerunt, ut sonant, i. e. secundum proximum et naturalem sensum. „Maiores nostri inquit *conc. trid.* (sess. 13, c. 1), „omnes, quotquot in vera Christi ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt hoc tam admirabile sacramentum in ultima cena redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis praebere ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est; quae verba a sanctis evangelistis commemorata et a D. Paulo postea repetita cum propriam illam et apertissimam significationem prae se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt: indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad ficticios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum ecclesiae sensum detorqueri, quae tamquam columna et firmamentum veritatis haec ab impiis hominibus excogitata commenta velut satanica detestata est, grato semper et memore animo praestantissimum hoc Christi beneficium agnoscens (*Denz. n. 874*).

592. *Ii, qui naturalem verborum Christi sensum in alium detorquere nitebantur, in plurimas abierunt sententiarum diversitates, ut teste Bellarmino* (De euch. l. 1, c. 8) anno 1577 prodierit libellus, in quo ducentae numerarentur vel expositiones vel depravationes horum paucorum verborum: „Hoc est corpus meum.“²

¹ Quod attinet quaestionem criticam de his textibus, cf. IF. *Berning*, Die Einsetzung der heiligen Eucharistie, Münster 1901, 22 sqq, qui ostendit omnibus illis locis textum nunc communiter receptum esse retinendum. Idem censet *P. Batiffol*, L'Eucharistiel, Paris 1913, 121 sqq. Idem efficitur ex recentissima editione Novi Testamenti ab *Herm. v. Soden* parata.

* Iam *Luther* hanc dissensionem irridet: „D. Carlstad in disem heiligen text (Das 1st Mein Leib) martert das wOrtlin (Das), Zwingel martert das wOrtlin (1st), Oecolampad martert das wOrtlin (Leib). Die andern martern den ganzen text und keren das wOrtlin (das) um und setzens hinten an und sprechen also (Nemet esset, Mein leib das für euch gegeben wird, 1st das). Etliche martern den text halb und setzen das wOrtlin (das) vns mittel, und sprechen (Nemet esset, Was für euch

Quamvis autom verba Domini tam clara et simplicia sint, ut explicatione vix non obscurentur, tamen breviter exponenda videntur, ut via cavillationibus praecludatur.

593. *Arg. I.* Ex lege loquendi.

Si Christus verbis nullo est corpus meum“ dicere voluit id, quod ecclesia catholica docet, non potuit clarius et simplicius loqui; contra si haec verba usurpata sunt ad significandum id, quod adversarii docent, minus apta locutio vix eligi potuit. Ergo constat catholicam expositionem esse admittendam, contrariam vero reiciendam.

594. *Prob. antecedens.* Haec est recta loquendi lex, ut verba proferantur eo sensu, quo sive ex natura rei sive ex usu hominum ab auditoribus necessario intelleguntur; non vero eo sensu, quem neque ex natura rei neque ex usu hominum habent. — Duplex est categoria vocum et sententiarum. Aliae enim sunt, quae significant rem, prout est in se, ut si cui ostendens lapidem dico: En, hic est lapis. Aliae autem significant rem non ut est in se, sed ut est signum alterius rei, ut si cui ostendens statuam dico: En, hic est Caesar. Haec altera significatio ab omnibus intellegitur, a) si res, de qua agitur, est et noscitur esse in ordine signorum, ut sunt statuae et imagines, parabolae et similitudines, continens pro contento, ut marsupium pro pecunia etc.; b) si ex indole orationis hoc statim apparet, v. g. quando una substantia completa de alia substantia completa enuntiatur, ut si dicitur: Hic homo est leo; cum enim duae substantiae non possint praedicari inter se secundum identitatem, intelleguntur praedicari secundum similitudinem; c) si loquens expresse dicit vel aperte significat se assumere unam rem ut signum alterius, ut si ostendens duos lapides dico: Sumamus hunc lapidem esse Aristotelem et alterum esse Platonem.

Deus multos typos instituit, et consequenter ad hanc praevidiam institutionem Scriptura interdum loquitur de typo ut de antitypo. Attamen ut res aliqua instituat in permanentem figuram alterius rei, debet necessario aliquo modo apta esse ad hanc rem significandam, ut per se patet.

Iam si quis praeter hos casus unam rem enuntiat et aliam vult intellegi, inepte loquitur, ut si quis silicem vel panem sumeret dicens: Hic est Aristoteles, dum secum cogitaret: Eligo hanc rem ut figuram Aristotelis. Nemo talem locutionem intellegeret, sed omnes cogitarent hominem ita loquentem aut iocari aut insanire.

gegeben wird, das ist mein leib). ... Nu ist der heilig Geist hie in je allen und keiner will yrren in solcher widerwiirtigen beweisung und Ordnung des textes. Und mufi ja doch nur ein Ordnung des textes recht sein. So groblich nerret uns der Teufel4 (Das dise Wort Christi [Das ist mein Leib etc.] noch fest stehen wyder die Schwermgeister, Nürnberg 1527).

Porro cum Christus sumeret panem et diceret: „Hoc est corpus meum", non poterat supponere panem esse vel ex natura rei vel usu hominum signum corporis humani; neque praedicavit unam substantiam de altera, ut si dixisset: flic panis est corpus meum. Neque ullo verbo indicavit se nunc velle instituere panem symbolum corporis sui; immo panis ad hoc non est aptus. Omnes enim homines riderent, si quis ostendens panem diceret: Hic est Paulus apostolus, intellegens: Ego mente et voluntate mea concipio hunc panem ut symbolum apostoli Pauli. Ergo verba Christi non possunt aliter intellegi nisi ita, ut corpus suum secundum rem ipsam exhibuerit discipulis suis. Et eodem modo ratiocinandum est de aliis verbis: „Hic est sanguis meus.

Ex hoc argumento facile solvuntur omnes obiectiones, quae fiunt ex aliis locutionibus S. Scripturae, ut: „Septem boves pulchrae septem ubertatis anni sunt (Gn 41, 26); „Ego sum vitis vera (Io 15, 1); Sara et Agar „sunt duo testamenta (Gal 4, 24) etc. Cf. *Wiseman*, *Die wirkliche Gegenwart* 149 sqq.

595. *Arg. 2.* Ex accuratiore consideratione verborum Christi.

Λμβών ὁ Ἰησοῦ ἄρτον καὶ εὐλόγησα ἐχλασεν καὶ δὸν τοῖ μαθηταῖ ἐῖπεν Λάβετε, φάγετε- τούτο ἐστὶν τὸ σῶμα μου (Mt 26, 26). Non dicit: *ούτο ὁ ἄρτο ἐστὶ τὸ σῶμά μου*, sed: *τούτο*, quod pronomen significat indeterminate rem, quae ostenditur quaeque per praedicatum determinatur. Nihil igitur aliud significant verba Christi nisi rem, quam porrigat, esse corpus suum.

Porro Christus *emphatice* inculcat: *τούτο ἐστὶν τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον . . . τὸ αἷμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐγγυνηνόμενον* (cf. Mt 26, 26 28; Le 22, 19 20), i. e. corpus meum illud ipsum, quod pro vobis datur, et quidem corpus, quod hic et nunc datur (partie, praes.), sanguis, qui hic et nunc effunditur. Sed haec omnia nullum habent sensum, si Christus sub pane voluit solum exhibere symbolum corporis sui.

Si his non obstantibus a proprio sensu receditur, nulla inveniri potest explicatio, quae non statim appareat contorta et innaturalis, ita ut exegetae protestantes fateantur verba Christi esse valde aenigmatica et obscura neque verum sensum erui posse nisi adhibito multiplici apparatu et magna investigatione et eruditione (cf. *Wiseman*, *florae syriacae* 64 sqq). Ergo sola catholicorum expositio est naturalis et apta neque ullam verbis vim infert.

596. *Arg. 3.* Ex circumstantiis institutionis.

Christus apostolis loquebatur; ergo eo modo, quo posset ab ipsis intellegi. Iam apostoli non erant rationalistae moderni, qui omne miraculum a priori repugnare censerent, sed qui e contrario summis miraculis assueti et paratissimi erant fidem adhibere rebus supernaturalibus. Ex altera parte erant homines non versati in doctis et

absconditis inquisitionibus sed ingenii valde simplicis, ita ut interdum etiam locutiones aperte tropicas sensu proprio intellexerent. Porro ante annum Christus iis promiserat se iis daturum esse carnem et sanguinem suum in cibum et potum, quam promissionem ipsi, ut alii, sensu proprio intellexerant. His igitur ita constitutis Christus in ultima cena dicit: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus; edite et bibite ex eo omnes. Ergo impossibile erat apostolis verba Christi aliter quam proprio sensu intellegere. Quod cum Christus sciret, non potuit ita loqui, nisi sensu proprio voluit intellegi.

597. Porro in ultima cena *Christus instituit aliquod sacramentum*. Sacramenta autem non debent iis verbis institui, quae, nisi difficilis et subtilis inquisitio adhibeatur, necessario falso intelleguntur.

Sed quod hic cum omnibus fere Christianis omnium saeculorum assumimus: Christum instituisse in ultima cena sacramentum eucharistiae, a pluribus theologis rationalisticis recentissimis negari coeptum est. Anno enim 1891 *A. Harnack* edidit libellum „Brot und Wasser, die eucharistischen Elemente bei Justin“, in quo inter alia affirmat (p. 142) Christum in ultima cena solummodo sanctificasse usitatum cibum et potum vocando eum corpus et sanguinem suum, ut hoc modo christiani per actiones vitae naturalis crescerent in vita spirituali. Iste quidem libellus non multos consentientes, ne apud protestantes quidem invenit, sed causam dedit conscriptioni multarum dissertationum de ultima cena, quarum apud *Berning* (*Die Einsetzung der Eucharistie* 7 sqq) quadraginta circiter numerantur. Alia non pauca adduntur a *W. Koch* in „*Theologische Quartalschrift* (Tiibingen 1905, 230 sqq), ubi sententiae protestantium recentiorum in quattuor classes dispertuntur: a) „Conservativi“ retinent veterem fidem institutionis sacramenti eucharistiae. Ita *J. Schafer* in „*Neue kirchliche Zeitschrift* 1903., 472 sqq. b) *A. Jülicher* (*Theologische Abhandlungen, Weizsäcker gewidmet*, Freiburg 1892, 217 sqq) cum suis asseclis censet Christum non instituisse quicquam, sed solum cum discipulis cenam valedictoriam celebrasse et inter eam in fractione panis et effusione vini in calicem vidisse symbolicam quamdam imaginem mortis suae futurae ideoque parabolice panem vocasse corpus suum, vinum vero sanguinem suum; Christianos autem rem male intellegentes putasse ritum etiam in futurum celebrandum institutum esse, c) *F. Spitta* (*Zur Geschichte und Literatur des Urchristentums I*, Gottingen 1893, 205 sqq) et alii censent sensum verborum Christi esse eschatologicum: cenam, quam promisi me celebraturum esse vobiscum in regno meo, et in qua ego solus ero cibus vester, nunc iam vobiscum anticipo: non tam panis et vinum quam caro et sanguis meus, i. e. ipse sum cibus vester, d) Alii, ut *JP. Heitmüller* (*Taufe und Abendmahl bei Paulus*, Gottingen 1903, 32 sqq), censent cultum eucharisticum esse transsumptum ex simili cultu gentilium, e. g. ex mysteriis Mithrae.

Iam haec diversitas opinionum illorum rationalistarum, quorum alii aliorum theses reiciunt, magnum praeiudicium creat contra eos omnes, praesertim cum supposita historica veritate quattuor narrationum biblicarum omnia sine ulla vi explicentur, dummodo ne a priori negetur possibilitas mysterii, quod illae narrationes postulant. Sed haec est ipsa ratio ultima rationalistarum, quod verba sensu obvio accepta logice secum trahunt necessitatem credendi mysterii supernaturalis. Hoc autem rationalistae cum nolint, confugiunt ad alias expositiones, quantumvis contortas et improbables.

Et illam quidem mythologicam expositionem (Heitmüller) sine ulla discussione ut absurdam dimittere licet; neque enim facta historica inanibus fictionibus sunt permiscenda (cf. *P. Batiffol*, *Etudes d'histoire et de théologie positive* II, 3. éd., Paris 1906, 17 sqq; *L'Eucharistie*, 5. éd., 141 sqq).

Christum non instituisse eucharistiam sed habuisse cenam tantum valedictoriam cum apostolis nemo potest dicere, nisi simul dicat statim a primis Christianis, ab apostolis et evangelistis intentionem Christi non esse recte intellectam, sed nostra demum aetate verum sensum inventum esse. Statim in nascente ecclesia videmus celebrari ubique ritum eucharisticum. Hoc factum pugnat contra Jülicher et eius asseclas, qui pro arbitrio construunt, quid Christus debuerit intendere. Sed contra facta non valet disputatio.

Expositio vero verborum evangelicorum, quam Spitta dat, est tam aliena ab obvio sensu et a contextu sermonis, ut vel inter protestantes vix alios nisi adversarios invenerit. Christus saepius locutus erat de cena in regno suo futura, sed numquam iis verbis, quibus in ultima cena usus est, neque discipuli potuerunt illis verbis tam mirum sensum subicere neque revera subiecerunt. Modificatio quaedam huius opinionis, quam .4. *Andersen* (*Das Abendmahl in den zwei ersten Jahrhunderten nach Christus*) proposuit, in *Theologische Quartalsschrift* (1. c. p. 234 sqq) examinatur et reicitur.

Similes quaedam opiniones, quas *O. Holtzmann* et *J. Hoffmann* proponunt, discutit *Batiffol* (1. c. p. 64 sqq). Omnes hae opiniones excluduntur tum per nativum sensum verborum tum per primitivam praxim Christianorum. Christus in ultima cena sine dubio novi testamenti novum sacramentum instituit.

598. *Christus* disertis verbis *dicit se velle per hoc sacramentum novum testamentum instituere et novum foedus initiare* cum populo suo (Mt 26, 28. Mc 14, 24). Atqui verba testamenti et foederis non debent esse obscura et metaphorae difficiles, sed simplicia et secundum obvium sensum intellegenda, sicut etiam factum est in institutione veteris testamenti (Ex 14. Hebr 9, 19 sqq). Confirmatur ex humano more, a quo etiam apostolus argumentum sumpsit (Gal 3), ubi dicit testamentum hominis ita esse ratum, ut nemo audeat aliquid addere vel

deniore. Iam ergo testamenta humana in proprio sensu verborum intellegenda esso iubent humanae leges, non aliter. Et ideo si testamento relinquatur domus aut ager, et vellet aliquis cavillari non esse relictam domum veram sed depictam, et exponeret: relinquo domum i. e. signum domus, apud nullum indicem obtineret. Quanto igitur minus obtinere debent adversarii, qui testamentum ipsum Christi contra morem omnium testamentorum detorquere audent ad metonymias“ (*Bellarini*, De euch. l. 1, c. 9).

599. *Arff*, 4. Ex modo narrationis evangelicae.

Quattuor scriptores sacri diversis locis et temporibus et pro diversis lectoribus descripserunt institutionem eucharistiae. Iam secundum adversarios hi omnes eandem locutionem singularem et extraordinariam adhibuerunt, cuius parallelum exemplum numquam inveniri potuit, et ita nulla explicatione addita rem gravissimam densissimis tenebris obvolverunt, cum alibi res multo faciliores diligenter explicare soleant (cf. *Franzelin* p. 48). Cum autem hoc sit incredibile, dicendi sunt sacri scriptores voluisse verba sua intellegi sensu plano et obvio.

Immo *S. Paulus*, postquam institutionem eucharistiae narravit¹, addit verba haec: „Itaque, quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini“ (1 Cor 11, 27–29). Emphaticis igitur verbis inculcat gravitatem peccati ex obiecto, circa quod versatur. Iam si hoc obiectum nihil esset nisi panis et vinum repraesentans corpus et sanguinem Christi, non perspicitur, cur hoc peccatum sit tam extraordinariae gravitatis et malitiae. Vix enim quisquam dixerit de iudaeis sine debita praeparatione edentibus agnum paschalem, qui erat figura Christi: Rei fuerunt corporis et sanguinis Domini.

Praeterea eodem loquendi modo usus apostolus simpliciter dicit in eucharistia sumi corpus et sanguinem Domini: „Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?“ (1 Cor 10, 16.)

Cum igitur sacri scriptores eo modo loquantur, quem putant omnibus clarum et obvium esse, adversarii vero nostri ubique videant tropos inauditos et vix non inexplicabiles; cum apostoli referant rem gravissimam verbis simplicissimis, protestantes autem contendat dici rem quidem satis simplicem sed verbis obscuris et intricatis, quis non videat, quantum hi exegetae a vero aberraverint et ex expositoribus *S. Scripturae* corruptores facti sint!

¹ In decreto „Lamentabili sano exitu“ damnatur haec prop. 45: „Non omnia, quae narrat Paulus de institutione eucharistiae (1 Cor 11, 23–25), historico sunt sumenda!“ (*Denz.* n. 2045).

600. *Arg. 5.* Ex futilitate rationum adversariorum.

a) *Argumentum fundamentale eorum est ex impossibilitate rei.* Dicunt enim rem, quam catholica fides doceat, esse impossibilem; ergo non posse esse veram. Hoc argumentum non indiget refutatione. Si enim Deus claris verbis dixit tale vel tale quid a se factum esse, stultum et impudens est, si homo respondet: Hoc non intellego, quomodo possibile sit; ergo non possum admittere. Qui aquam potuit mutare in vinum, paucis panibus saturare quinque milia hominum, independenter a corporum condicionibus ambulare super aquam, intrare per portam clausam etc., potest etiam efficere quae ecclesia catholica docet de hoc sacramento.

An praecise iis, qui rationalismi vanitate inflati suo intellectu divina mysteria diiudicant et discerpunt, immo gloriantur se omnia mysteria abrogasse, Deus censendus est manifestasse hac in re quod verum est; piis autem et humilibus omnium saeculorum Christianis, qui intellectum suum captivaverunt in obsequium fidei, praebuisse occasionem et inevitabilem necessitatem errandi? Falsumne est verbum Christi: .Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis“ ? (Mt 11, 25.)

601. b) *Obiciunt:* Si Christus voluit dicere: Hoc .significat corpus meum, non potuit nisi dicere: .Hoc (est) corpus meum“; nam *in lingua syriaca nullum est verbum, quod habeat sensum significandi.* Ergo verba Christi recte explicantur: Hoc significat corpus meum.

Resp.: Nego antec. Constat enim in lingua syriaca ultra quadraginta voces inveniri, quibus idea signi vel figurae exprimitur. De qua re card. T. Fiseman dissertationem scripsit (Horae syriacae, Romae 1828, 3 sqq), in cuius fine ipsorum syrorum doctrinam adducit, qui expresse docent Christum non dixisse: Hoc significat corpus meum, sed: Hoc est corpus meum. Ita e. g. S. *Maruthas*, tagritensis (maikerphatensis) episcopus, ait: .Quotiescumque ad corpus et sanguinem accedimus et super manus nostras accipimus, sic credimus nos corpus amplecti et nos carnis et ossium eius [participes fieri] iuxta id, quod scriptum est; enim vero Christus illud non appellavit typum aut figuram sed [dixit]: Vere Hoc Est Corpus meum, et Hic Est Sanguis meus! (l. c. p. 60 et apud *Assemani*, *Bibl. orient.* I 180).

602. At, *inquiunt*, saepe in S. Scriptura ponitur verbum .est, ubi sine mutatione sensus poni potest .significat.

Resp. Hoc fit, quando sive ex natura rei sive ex usu sive ex contextu apparet agi ibi de figuris et symbolis, *trans, assert.* Hoc fit, quando res, de qua agitur, neque ex natura sua neque ex usu neque ex contextu sermonis habet rationem symboli et figurae, *nego assert.*

Maxime absurda est provocatio ad illud: „Est enim phase, i. e. transitus Domini" (Ex 12, 11), quia in textu hebraico nihil aliud dicitur nisi „hoc festum paschatis est Domino §acrum. Secundum adversarios, si quis nunc dominica paschatis dicat: Hoc est pascha Domini, vult dicere: Hoc significat pascha Domini; id quod est aperte falsum. Sicut apud nos, ita apud iudaeos (licet alio sensu) tota festivitas vocatur pascha. Non igitur *significatur* pascha, sed *est* pascha. Generatim copula „esta nihil aliud significat nisi identitatem subiecti et praedicati.

603. At, *porro inquit*, Christus in eucharistiae institutione multiplici tropo utitur; nam dicit: *Τούτο το ποτηριού η χαινη διαφραξη εν τω αιμαζι μου το υπέρ υμών ἐχ/υνηόμενον* (Le 22, 20). Vocare autem calicem testamentum et dicere calicem effundi est certe locutio tropica; nam ponitur continens pro contento, i. e. calix pro eo, quod continetur in calice, et ponitur signatum pro signante, i. e. testamentum pro signo testamenti, quia sensus est: Hic calix signum est novi testamenti. Ergo licet etiam concludere totam locutionem Christi fuisse tropicam.

Resp.: Christus in institutione eucharistiae utitur tropis, qui facile ab omnibus possunt intellegi, *conc. antec.*; utitur tropis, qui intellegi vix et ne vix quidem possint, *nego antec.* Ergo tota locutio potest esse tropica, *dist. conseq.*: ita, si agitur de tropo omnibus facile intellegibili, *conc. conseq.*, si agitur de tropo obscuro et non intellegibili, *nego conseq.* Atqui talis esset tropus: rHoc est corpus meum | secundum explicationem adversariorum, ut probavimus. Ergo haec locutio non est tropica.

Verba Christi: „Hic est calix novum testamentum in sanguine meo“ idem significant ac: hic calix (i. e. id quod est in calice) est sanguis meus (qui sanguis est res) novi testamenti (ut habetur apud Matth. et Marc.), quia hoc testamentum sanguine meo initiatum est, sicut vetus testamentum sanguine vitulorum et hircorum (cf. Hebr 9, 19 20).

604. c) Rursus *obiciunt*: Christus dixit: „Hoc facite in meam commemorationem.† Atqui *commemoratio est absentis*. Ergo Christus in eucharistia non potest esse corporaliter praesens.

Resp.: *Conc. mai.*; *dist. min.*: Commemoratio est eius, qui non est visibiliter praesens, ita ut eius praesentia gaudium fruitionis afferat, *conc. min.*; eius, qui plane nullo modo est praesens, *nego min.*; *dist. conseq.*: ergo Christus non potest esse in eucharistia visibiliter praesens, ita ut eius praesentia perceptione sensibili fruamur, *conc. conseq.*, nullo modo potest esse praesens, *nego conseq.*

Christus in eucharistia vere latet, et ideo absens est eo modo, quo aliquando nobis praesens erit in caelo. Eucharistia est igitur aptis-

sima memoria eorum, quae fecit Christus pro nobis in terra, et maxime passionis eius, et simul optimum pignus eorum, quae nobis daturus est in caelo. Memoria opponitur oblivioni, quae non solum oritur ex absentia sed etiam ex invisibilitate, quare apte aliqua res institui potest in memoriam Dei et eorum, quae Deus fecit, licet Deus non sit absens.

Porro cum species sensibiles, quae apparent in eucharistia, non sint ipse Christus, ex una parte servatur ratio sacramenti, quod est signum sensibile rei sacrae, et ex altera parte praesens esse potest ipse Christus, quia praesens est in statu cibi et potus, et consequenter est absens secundum statum suum naturalem.

605. Hinc etiam apparet, quam futilis sit illa obiectio, quod apostoli scientes Christum instituere sacramentum, facile intellegebant rem institutam esse signum corporis Christi, quia omne sacramentum est signum. Nam apostoli hoc discebant ex ipsis verbis Christi. Christus autem dicebat se illis dare sub istis speciebus, quae apparebant, corpus et sanguinem suum. Ergo nequaquam cogitare poterant eum dare nudum signum corporis sui, sed solum eum dare verum corpus et sanguinem suum sub istis signis sacramentalibus. Sed de hac re postea phira.

606. d) *Aiunt: Id quod post consecrationem adest, in S. Scriptura vocatur panis et vinum.* Ergo non est corpus et sanguis Christi.

Resp.: Haec difficultas magis pertinet ad quaestionem de transubstantiatione, sed etiam hic facile solvitur. Ita Ex 7, 12 serpens vocatur virga, quia ex virga factus erat. Homo videns vocatur caecus, quia antea ut caecus omnibus notus erat (Io 9, 17). Sci. hoc est satis usitatum, ut homines vocent rem secundum id, quod aliquando fuit. Hoc autem eo magis in eucharistia fieri potest, quia eadem species externa manet; et sic etiam ecclesia saepe loquitur de pane et vino consecratis.

607. *Schol.* De vi et significatione propositionis practicae.

In propositione *„Hoc est corpus meum* pronomen *„hocu indeterminate significat praesentiam rei*, sicut in omnibus similibus propositionibus, ut: haec est aqua, hic est lapis.

Sed harum propositionum duae classes distingui possunt: altera theoreticarum, altera praeficarum. In *propositionibus mere theoreticis* res eadem est et manet ab initio et in fine orationis. Ergo in propositione *„Haec est aqua terminus demonstratus necessario aqua erat statim ab initio propositionis, si vera est propositio.*

Aliae vero sunt *propositiones practicae*. In his terminus enuntiationis, qui in fine propositionis adest, non necessario aderat iam eodem modo ab initio locutionis. Ut si rex volens aliquem creare

ministrum suum dicit: Hic est minister meus, homo designatus in fine propositionis vero est minister, quod ab initio propositionis non erat. Simili modo in propositione „Hoc est corpus meum“ res designata in fine sermonis erat corpus Christi, quod non erat ab initio sermonis. Unica differentia est, quod homo solis verbis non potest rem intrinsecus et physice mutare sed solum extrinsecus et iuridice seu denominative.

Propositio igitur practica ut sit vera, terminus locutionis finita sententia debet esse id, quod per sententiam esse dicitur. Potest igitur res significata alia esse initio sermonis, alia in fine. Sic quando Christus incipiebat loqui, res significata pronomine „hoc“ secundum formalem quidem modum significandi erat substantia indeterminate sumpta secundum praesentiam tantum; et si Christus nihil dixisset nisi hoc pronomen, res significata objective erat panis; quando vero finiverat Christus sententiam, res significata erat corpus eius. Itaque in propositionibus practicis terminus significatus ab initio est in statu transeunte et in fine est in statu permanente. Et sic in verbis Christi pronomine „hoc“, si consideratur modus significandi, significatur substantia in communi (*S. Thomas*); si consideratur res significata ab initio propositionis, est panis convertendus (*S. Bonaventura*); si consideratur in fine propositionis, est corpus Christi (*Scotus*); quamvis per se omnis terminus sumendus sit secundum formalem significationem; ergo hoc loco pronomen ponitur pro substantia in communi (cf. *Franzelin*, De eucharistia thes. 6).

§ 2.

ARGUMENTA TRADITIONIS.

Prop. LXIII. Consensus Patrum trium primorum saeculorum dogma realis praesentiae ab apostolis traditum esse ostendit.

608. *Nota.* Cum ipsi protestantes concedant apud posteriores Patres multa inveniri, quae, non admissa reali Christi in eucharistia praesentia, plane intellegi nequeant, conantur saltem ostendere primis ecclesiae saeculis aliam viguisse doctrinam; sed quia hoc quoque difficillimum, immo impossibile est, rem ita explicant, ut dicant primos Patres nullum definitum dogma de eucharistia tradidisse, sed eos parum accurate et hyperbolice locutos posteriori errori ansam dedisset.

! .Die arglose Unbestimmtheit, womit diese Lehre ausgesprochen und das Staunenswerttiefe derselben dem frommen Geniüt oft bis zu hyperbolischem Rodeschwung nahegelegt wird, führt dann selbst leise Irrtümer herbei* (*Ebrard*, Abendmahl I 233). Idem fere tenor est articuli ‚Abendmahl II* in Realenzyklopidie für protest. Théologie‘, a *Loofs* conscripti. Hic enim adhibet ea, quae minus clare dicta sunt, ad obscuranda testimonia manifesta, et potius vult SS. Patres inter se pugnantia statuere, quam ut professioni eorum, quantumvis disertae, fidem adhibeat.

Nos autem dicimus: nisi quis artificiose ea, quae claro proponuntur, ad hyperbolicas et metaphoricas locutiones detorquere voluerit, solum ne admittere debeat, quae non placent, sine ulla difficultate iam tribus primis saeculis dogma catholicum clare praedicatum inveniet.

609. S. *Ignatius M.* (Ep. ad smyrn. c. 7) de doketis scribit: „Ab eucharistia et oratione abstinent eo, quod non confiteantur eucharistiam carnem esse salvatoris nostri Iesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quamque Pater benignitate sua resuscitavit. Qui ergo contradicunt dono Dei, altercantes moriuntur. Utile autem esset illis diligere, ut et resurgerent? — Haec verba clare exhibent doctrinam catholicam. Nam si haeticum est negare eucharistiam esse carnem Christi, orthodoxum est confiteri eucharistiam esse carnem Christi: Ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτηροῦ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ; et ut omne dubium tollatur, addit: τὴν ὑπὲρ τῶν ἀμαρτιῶν ἡμῶν παυοῦσαν, ἣν τῆ χρηστότητι ὁ πατὴρ ἡγειρεν. Nihilominus protestantes audacter dicunt haec verba manere vera, si eucharistia nihil sit nisi symbolum Christi Domini (*Ebrard*, Abendmahl I 256). Hoc ideo bonum est notare, quia apparet, quomodo adversarii doctrinae catholicae studeant etiam clarissimae luci tenebras offundere, ne verum agnoscere debeant. — Quod Ignatius dicit doketas oratione (προσευχῇ) abstinere, intellegendum de precibus liturgicis ad eucharistiam pertinentibus (cf. *Iustin.*) Apol. I c. 66). „Utile illis esset diligere (ἀγαπᾶν) fortasse simplicissime explicatur: Utile illis esset ἀγάπην ποιεῖν, i. e. eucharistiam celebrare (cf. *Funk*, Patres Apost. nota in h. 1.).

Alio loco Ignatius exhortatur ad concordiam: Σπουδάσατε οὖν μὴ εὐχαριστία χρησάσθε μίαν γὰρ σάρκα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ χαρὶ ἐν ποτηρίου ἐν ἐνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ (Ep. ad Philad. c. 4). Et eucharistiam vocat ἄρτου, ὃ ἐστὶν φάρμακου ἀθανασία, ἀντίδοτο τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ διὰ παντὸς (Ep. ad Eph. c. 20).

610. Quidam protestantes dicunt alibi fidem et caritatem a S. Ignatio vocari carnem et sanguinem (ad trallian. c. 8); ergo etiam loco citato posse verba eius sensu metaphorico intellegi. Sed alii recte responderunt nullam esse paritatem, cum loco citato S. Pater expresse loquatur de carne, quae crucifixa et resuscitata est, quod non potest dici de fide. Neque ad trail, loquitur de eucharistia, ut ad smyrn.; ergo nulla paritas. Ceterum verba ex Ep. ad trail, c. 8, ad quae provocant, sunt longe alia; ibi enim dicitur: Ἀναχτίσασθε ἑαυτοὺς ἐν

Cf. Die Lehre von der Eucharistie in den drei ersten Jahrhunderten, von *J. J. Dollinger*, Mainz 1826, et *A. Struckmann*, Die Gegenwart Christi in der heiligen Eucharistie nach den schriftlichen Quellen der vornizianischen Zeit, Wien 1905. Revue du Clergé français XXXIII, Paris 1903, 508 sqq contra ea, quae leguntur in The Journal of Theological Studies III. London 1902, 168 sqq.

πίστει, ὃ ἐστὶν σαρξ τοῦ κυρίου, καὶ ἐν ἀγάτῃ, ὁ ἴστιν αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ergo non fides et caritas dicitur caro et sanguis Christi, sed renovari in fide et caritate est caro et sanguis, i. e. effectus carnis et sanguinis Christi; ponit igitur rem sacramenti pro sacramento. (Cf. Rom 7, 3.)

Quidam sic student ostendere Ignatium non loqui de sacramento altaris: Doketae eo sensu ab eucharistia abstinent, quo philadelphiaenses in inscriptione epistolae monentur, ut una eucharistia utantur. Hic autem eucharistia significat „congregationem ecclesiae”, ergo etiam ibi. At nihil tale textus indicat. In c. 4 (non in inscriptione) ad philad. illa verba iam citata leguntur: „Studeatis igitur una eucharistia uti; una enim est caro Domini nostri Iesu Christi et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, sicut unus episcopus cum presbyteris et diaconis “ Hic eucharistia nequaquam idem est ac congregatio ecclesiae”; sed potius unitas ecclesiae dicitur manifestanda, sicut in unitate episcopi, ita etiam in unitate altaris et mensae eucharisticae. Hic igitur eucharistia est idem atque sacramentum altaris. Doketae non negabant „congregationem ecclesiae”, sed veritatem corporis Christi, et ideo ab eucharistia catholicorum abstinebant. Propterea Ignatius smyrnaeos monet: „Separatim ab episcopo nemo quicquam faciat eorum, quae ad ecclesiam spectant. Valida eucharistia habeatur illa, quae sub episcopo peragitur. . . . Non licet sine episcopo neque baptizare neque agapen celebrare” (smyrn. 8). Totus igitur contextus excludit expositionem nonnullorum protestantium, quibus alii protestantes et vix non omnes catholici merito contradicunt. Ita *P. Batiffol* (L'Eucharistie, 5. éd., 39 sq), *Funk* (In smyrn. 7, 1), *Bardenhewer* (Geschichte der altkirchl. Literatur I, ed. 2, 133), *Vai. Schjnit* (Die Verheifiung der Eucharistie 56), *Struckmann* (Die Gegenwart Christi in der heiligen Eucharistie 22 sqq), qui protestantes quoque allegat.

611. *S. Iulianus M.* in Apol. I (scripta circa annum 150) c. 65 66 aliquibus lineamentis describit liturgiam Christianorum et de eucharistia ait: „Ei, qui fratribus praeest, panis affertur et poculum aquae et vini (ὕδατο καὶ χράματο) \ quibus ille acceptis laudem et gloriam universorum Parenti per nomen Filii et Spiritus Sancti emittit. . . . Postquam vero is, qui praeest, preces absolvit et omnis populus acclamavit, qui apud nos dicuntur diaconi, panem et vinum et aquam, in quibus gratiae actae sunt, unicuique praesentium participanda distribuunt (διδόασιν ἐκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπο τοῦ εὐχαριστηθέντο ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατο) et ad absentes perferunt. Hic cibus vocatur apud nos eucharistia; . . . neque enim ut communem panem neque ut communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus est Iesus Christus salvator noster et carnem et sanguinem habuit pro salute nostra, ita etiam illam ali-

inoniam, ex qua «anguis et carnes nostrae per conversionem aluntur, edocti sumus esse incarnati illius lesu et carnem et sanguinem, postquam ea [alimonia] per precem verba eius continentem facta est eucharistia ·π' λήγον ~οὐ ζαρ' α'»το' > ευχαριστηύσαν τροφήν). Nam apostoli in commentariis ab ipsis scriptis, quae vocantur ovan-
gelia, ita sibi mandasse lesum tradiderunt; eum sci. accepto pano, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in meam commemorationem; hoc est corpus meum. Simili modo accepto calice, cum gratias egisset, dixisse: Hic est sanguis meus (M 6, 427).

Ergo S. Iustinus docet: a) verba Christi esse sensu proprio intel-
legenda; b) non minus vero carnem et sanguinem Christi esse in eucharistia, quam verbum caro factum sit; c) panem et vinum per orationem verba Christi continentem weucharistizari“, i. e. in carnem et sanguinem Christi converti; qui loquendi modus saepius occurrit apud priscos Patres graecos. Provocat pro hac re ad aequae magnum miraculum incarnationis; modum vero explicat per similitudinem alimoniae, quae in corpus hominis convertitur. Alii illud „per con-
versionem {χαζά μεταβολήν) explicant de efficacia eucharistiae ad tribuendam corporibus beatam immortalitatem. Ita *Struckmann* l. c. p. 57 sqq.

612. *S. Irenaeus* ad confutandos gnosticos asserentes Deum Patrem lesu Christi non esse fabricatorem mundi neque existere resurrectionem mortuorum, ita scribit: „Quomodo constabit iis cum panem, in quo gratiae actae sint {άρτον vs/aptovrpHvza), corpus esse Domini sui et calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, i. e. Verbum eius, per quod . . . terra dat . . . spicam, deinde plenum triticum in spica? Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quao corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutant aut abstineant offerendo, quae dicta sunt. . . . Quemadmodum enim, qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, iam non communis panis est sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et caelesti: sic et corpora nostra, percipientia eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, [sed] spem resurrectionis habentia (Adv. haer. l. 4, c. 18, n. 4sq; M 7, 1027 sq). Similia dicit l. 5, c. 2 (M 7, 1123 sqq): „Vani omnimodo, qui univorsam Dei dispositionem contemnunt et carnis salutem negant et regenerationem eius spernunt, dicentes non eam capacem esse incorruptibilitatis. Si autem non salvetur haec, videlicet nec Dominus sanguine suo redemit nos, neque calix eucharistiae communicatio sanguinis eius est, neque panis, quem frangimus, communicatio corporis eius est. Sanguis enim non est nisi a venis et carnibus et a reliqua, quae est secundum hominem, substantia, qua vere factum est Verbum Dei. Sanguine suo redemit nos.... Et quoniam membra eius sumus et per creaturam nutrimur, creaturam autem ipse nobis prae-

stat . . . eum calicem, qui est a creatura, suum sanguinem confessus est, ex quo auget nostrum sanguinem, et eum panem, qui est a creatura, suum corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora. Quando ergo et mistus calix et factus panis percipit verbum Dei et lit eucharistia corpus et sanguis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia, quomodo carnem negant capax osso donationis Dei, quae est vita aeterna, quae sanguine et corpore Christi nutritur et membrum eius est? Alia vide infra n. 881.

613. *Clemens Alex.*: «Comedite, inquit Verbum, carnem meam et bibite sanguinem meum. Hanc nobis propriam alimoniam Dominus tribuit, carnem porrigit et sanguinem effundit, et nihil deest infantibus ad crescendum. O quam admirabile mysterium!» (Paedag. l. 1, c. 6; A/ 8, 362; cf. l. 2, c. 2; M 8, 410.)

Moro suo Clemens mox addit explicationem allegoricam, secundum quam in eucharistia caro allegorice est Spiritus Sanctus, sanguis vero Verbum. Spiritus autem et Verbi commistio Dominus est, qui est parvulorum nutrimentum, Verbum Dei, Spiritus incarnatus, caro sanctificata et caelestis. Nutritor noster, Verbum, sanguinem suum fudit ad salvandos homines — et ita porro. Quae obscura verba videntur significare Christum esse Spiritum divinum seu personam divinam, quae assumpserit Verbum, i. e. humanam naturam, et in hac natura sanguinem suum fuderit nobisque in alimentum dederit; eucharistica vero carne significari divinitatem, sanguine autem humanitatem Christi. Quae allegoria, quantumvis nobis mira videatur, non tamen magis mira est quam multae aliae allegoricae expositiones Clementis. Ceterum non quaeritur, quid iuxta Clementem eucharistia sit secundum allegoricam interpretationem, sed quid sit secundum historicam veritatem. Sic autem veram carnem et sanguinem Christi esso non potest merito in dubium vocari, id quod latius ostendit *Struckmann* l. c. p. 117 sqq. Neque obliviscendum est Clementem de industria obscure loqui ad servandum arcanum, ut ipse testatur Strom. 1, 1 et 7, 8 (M 8, 704; 9, 556). Alia vide apud *P. Batiffol*, *Etudes d'histoire et de théologie positive* II, 3. éd., 176 sqq et *L'Eucharistie*, 5. éd., 248 sqq.

614. *Tertullianus*: „Caro [christianorum] corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur" (De resurr. c. 8; M 2, 806). Quare valde vituperat Christianos conficientes et vendentes idola. „Zelus fidei perorabit ingemens Christianum ab idolis in ecclesiam venire . . . eas manus admovere corpori Domini, quae daemoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit, si ab aliis manibus accipiant, quod contaminant. Alleguntur in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. Pro scelus! Semel iudaei Christo manus intulerunt, isti cotidie corpus eius lacesunt. O manus praecedendae!" (De idolol. c. 7; M 1, 669; cf. De oratione c. 6; A/ 1, 1160, et c. 19; A/ 1, 1181 sqq).

Varia quidem inveniuntur apud Tertullianum, quae possint aliena videri a doctrina catholica, ut: „Ille quidem [Christus] usque nunc nec aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit . . . nec panem, quo ipsum corpus suum repraesentat⁴ (Adv. Marc. 1. 1, c. 14; *M* 2, 262). Sed „repraesentare" idem est ac „praesens exhibere". Ergo hic textus potius enuntiat doctrinam catholicam. Ipse Tertullianus verbum repraesentandi saepe hoc sensu adhibet, ut Adv. Marc. 1. 4, c. 22; *M* 2, 414. De orat. c. 5; .VI, 1159. Ceterum etiam alio sensu species sacramentales corpus Christi repraesentant, de qua re postea.

Difficilior textus videri potest ille Adv. Marc. 1. 3, c. 19 (*M* 2, 348): „Hoc lignum [crucis] et Hieremias (11, 19) tibi insinuat dicturis praedicans Judaeis: „Venite, iniciamus lignum in panem eius"¹, utique in corpus. Sic enim Dominus in evangelio quoque vestro [Lucae, quod solum marcionitae admittebant] revelavit, panem corpus suum appellans, ut et hinc iam eum intellegas corporis sui figuram pani dedisse, cuius retro corpus in panem propheta figuravit, ipso Domino hoc sacramentum postea interpretaturo.- Haec verba, in se non valde simplicia et clara, hunc habent sensum: In vetere testamento corpus Christi typice panis nominatus est; huius typi antitypus est ipsum corpus Christi sub figura panis praesens. Ergo eucharistia est figura corporis Christi ut adimpletio typi prophetici. Sensus enim illius prophetiae secundum Tertullianum est: Mittamus crucem in corpus eius seu crucifigamus eum. Quia autem Ieremias corpus Christi vocavit panem, propterea Christus hanc prophetiam implevit et interpretatus est, quando in ultima cena „acceptum panem corpus suum fecit", ut ibidem (1. 4, c. 40) Tertullianus scribit: „Acceptum panem et distributum discipulis corpus illum suum fecit, „hoc est corpus meum" dicendo, i. e. figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus [quod Marcion negabat]; ceterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate; ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis crucifigeretur.... Non intellegens veterem fuisse istam figuram corporis Christi dicentis per Hieremiam: „Venite, coniciamus lignum in panem eius", sci. crucem in corpus eius. Itaque illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit significasse panem, satis declaravit, corpus suum vocans panem. . . . Ut autem et sanguinis veterem figuram in vino recognoscas . . . „Lavabit inquit, „in vino stolam suam (Gn 49, 11).... Ita et nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit" (*M* 2, 460).

Itaque panis est figura corporis Christi, quia propheta corpus Christi typice vocat panem, et quia Christus, hanc prophetiam ut impleret, panem voluit assumere ut antitypum illius figurae. Con-

¹ Sensus horum verborum est: Fustibus occidamus eum.

cedimus quidem ex his verbis Tertulliani dogma catholicum non posse efficaciter probari, sed multo minus huic dogmati repugnant (cf. *Franzelin*, De euchar. 140 sqq, ubi in nota alias affert explicationes verborum Tertulliani. Similiter *Struckmann* l. c. 257 sqq et *Batiffol*, L'Eucharistie, 5. éd., 220 sqq).

615. *S. Cyprianus*, De orat. dom. n. 18: „Christus eorum, qui corpus eius contingimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis cotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus et eucharistiam cotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstinenti et non communicantes a caelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso praedicante et dicente: „Ego sum panis vitae, qui de caelo descendi; si quis ederit de meo pane, vivet in aeternum. Panem autem, quem ego dederò, caro mea est pro saeculi vita.⁴ Quando ergo dicit in aeternum vivere, si quis ederit de eius pane, ut manifestum est eos vivere, qui corpus eius attingunt et eucharistiam iure communicationis accipiunt, ita contra timendum est et orandum, ne, dum quis abstentus separatur a Christi corpore, remaneat a salute, comminante ipso et dicente: „Nisi ederitis carnem Filii hominis et biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.⁴ Et ideo panem nostrum, i. e. Christum dari nobis cotidie petimus, ut, qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione eius et corpore non recedamus⁴ (7/ 280). Idem in libro De lapsis n. 24 sqq (*H* 254 sqq) varia miracula narrat, quibus Deus ab eucharistia repulit eos, qui idolorum cultu contaminati erant, quia ab idololatriis „vis infertur corpori eius et sanguini et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquant, quam cum Dominum negaverunt⁴ (n. 16; *H* 248). Idem recommendat, ut tempore persecutionis paenitentes statim admittantur ad communionem. ^Communicatio a nobis danda est, ut, quos excitamus et hortamur ad proelium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus . . . nam quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si iis militaturis Christi sanguinem denegamus?⁴ (Ep. 57 ad Cornei, n. 2; *II* 651 sq.)

616. *Oriyenes* disertis verbis eucharistiam vocat „corpus Christi⁴: «Communicare non times corpus Christi accedens ad eucharistiam quasi mundus et purus . . . non recordaris illud, quod scriptum est: quia „propterea in vobis infirmi et aegri et dormiunt multi⁴? Quare multi infirmi? Quoniam non se ipsos diiudicant neque se ipsos examinant neque intellegunt, quid est communicare ecclesiae vel quid est accedere ad tanta et tam eximia sacramenta⁴ (Horn. 2 in Ps. 37, n. 6; *M* 12, 1386). «Volo vos admonere religionis vestrae exemplis. Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuestis, quomodo, cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne

ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur" (Horn. 13 in Ex., n. 3; *M* 12, 391). «Tunc in aenigmate erat manna cibus; nunc in specie caro Verbi Dei est verus cibus, sicut et ipse dicit, quia ,Caro mea vero est cibus!# (Horn. 7 in Num., n. 2; *M* 12, 613).

Ceterum Origenes in hac re, ut in aliis, nimis indulget allegoricis interpretationibus. Nam praeter doctrinam traditionis, quam simplici populo proponit, aliam doctrinam esotericam habet accommodatam solis eruditoribus, quibus suas philosophicas speculationes exhibet, a doctrina ecclesiae non raro satis alienas. De qua re valet, quod *S. Basilius* ait, tantam esse vim Traditionis, ut Origenem eiusque asseclas contra privatas suas opiniones loqui cogat (De Spir. S. n. 73; *M* 32, 204). Hoc autem loco nolumus investigare, quae fuerint philosophicae Origenis opiniones et quae eius allegoricae expositiones, sed quae sit doctrina, quam in ecclesia traditam esse testatur. Haec autem testimonia sunt tam multa et tam clara, ut rationabili dubitationi locus non esse videatur. Quomodo vero singulae eius allegoricae expositiones ad doctrinam traditam se habeant, non est nostrum hic exponere. Cf. *Bellarmin.*, De euchar. l. 1, c. 8; *Dollinger* l. c. 61 sqq; *Struckmann* l. c. 140 sqq; *Batiffol*, L'Eucharistie, 5. e'd., 269 sqq.

Discipulus Origenis, *Dionysius Alexandrinus*, in paucis fragmentis, quae ex eius scriptis ad nos pervenerunt, saepius fidem realis praesentiae testatur. Ita in epistula ad Sixtum II data describit, quomodo fidelis in celebratione eucharistiae «gratiarum actionem audierit, et qui cum ceteris responderit Amen, qui ad sacram mensam adstiterit et manus ad suscipiendum sanctum cibum porrexerit atque illum exceperit et corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi particeps fuerit® (*M P. L.* 5, 97). Alia vide apud *Eusebium* (H. E. 6, 44; *M* 20, 630 sqq) et apud *Aligne*, P. G. 10, 1281.

ñ

*.
n
4
.41
4.'

617. Itaque ex iis, quae hucusque allata sunt, evidens est supposita catholica doctrina dicta SS. Patrum facile intellegi, in adversariorum vero suppositione opus esse artificiosis et contortis expositionibus. Praeterea nos sequimur unice verum principium hermeneuticum: verba obscura explicanda esse per ea, quae alibi clare dicta sunt; adversarii vero clare dicta obscurare student per ea, quae alibi obscure dicta sunt, ,et ideo, praetermissis locis apertissimis, in quibus [Patres] veritatem docent, quidquid ab iis minus explicite dictum est, corradunt ac congerunt; cum enim antiquis temporibus hi haeretici nondum orti essent, sancti Patres sincere et confidenter de hoc mysterio loquebantur, nihil de istorum malitia ac perversitate solliciti, qui nunc eorum scriptis malitiose abutuntur" (*Suarez*, De euch. disp, 46, sect. 4, n. 1).

618. *Textibus citatis haec diserte docentur:* in eucharistia esse eam carnem Christi, quae pro nobis passa sit; panem et vinum per verba consecrationis fieri carnem et sanguinem Christi; corpus Christi mani-

bus tangi: indigna sumptione inanibus et ore vim inferri corpori et sanguini Domini; eucharistiam esse summe admirabile mysterium. Haec omnia secundum solam doctrinam catholicam naturaliter et sine vi explicantur. Ergo cum SS. Patrum doctrina optime consonat doctrina catholica et sola doctrina catholica, id quod etiam clarius patebit ex posteriorum Patrum dictis, qui magis explicite de eucharistia locuti sunt; nam quos citavimus, omnes quasi per accidens tantum et obiter eucharistiae mentionem faciunt.

Prop. LXIV. Catholica de eucharistia doctrina constat ex testimoniis posteriorum Patrum graecorum.

619. *Xiota.* Mirum videri potest, *cur etiam inter posteriores Patres quidam tam clare, quidam vero tam obscure de eucharistia loquantur.* Sed haec res explicatur per *disciplinam arcani*, quae maxime observabatur relate ad eucharistiam. Unde si de sermonibus agitur, distinguendum est, utrum Patres coram solis Christianis an etiam coram aliis loquantur. Ita 5. *Ioan. Chrysostomus* hom. 24 in 1 Cor. et hom. 83 in Matth. solos Christianos alloquitur et ideo clarissimis verbis utitur, alibi vero, ut locis supra (n. 91) citatis, diserte dicit se non posse verbis apertis uti. Multo etiam cautiores erant Patres, si res sacrae erant litteris consignandae. Aut enim omnino nolebant quicquam dicere, ut *Innocentius I* in epistula ad Decentium (*Denz.* n. 98); aut valde indeterminate loquebantur, ut *S. Epiphanius* in ep. ad clerum urbis Suedrorum seu in Ancorato c. 57: *Ἀνέστη [ὁ σωτήρ] ἐν τῷ δείπνῳ καὶ ἔλαβε τὰδε καὶ εὐχαριστήσας ἔειπε τοῦτό μου Ἰστί τὰδε* (3/ 43, 117); quia autem s. doctor rem his verbis enuntiatam valde miraculosam habet, addit: «Neque quisquam est, qui ei sermoni fidem non adhibeat; nam qui verum illum esse non credit, a gratia et salute prorsus excidit." Itaque hic ipse textus recte allegatur ut testimonium pro reali praesentia. Sancti Patres monent, ne scripta sua ullo modo tradantur non-christianis, ut *S. Cyrillus Hierosolym.* initio Catechesium (cf. *Dollinger*, *Lehre von der Eucharistie* 12 sqq).

620. *Macarius Magnes*, qui floruit initio saeculi IV, multa scripsit, quorum fragmenta tantum habemus. In uno ex illis fragmentis expresse reicit illam doctrinam, quam postea calvinistae statuerunt: «Dixit [Christus]: „Hoc est corpus meum“; non est igitur eucharistia figura corporis et sanguinis, ut quidam stupida mente nugati sunt, sed secundum veritatem sanguis et corpus Christi: *οὐχ ἐστὶν Εὐχαριστία τύπο τοῦ σώματος . . . ἀλλὰ κατ' ἀλήθειαν αἷμα καὶ σῶμα Χριστοῦ* (*Pitra*, *Spicileg. solesmen.* II, Parisiis 1852, 548b; cf. *M* 10, 1374 et *Μαχαρίου Μαγνήτου Ἀποχρητιχοῦ ἢ Μονογενῆ* . ed. *Blondel*, Par. 1876, 106).

621. *S. Gregorius Nyss.* de eucharistia praecipue in oratione catech. c. 37 loquitur, in qua inter alia haec dicit: «Cum ostensum sit . . .

...

jr

44

.1

4

:: 3»

nostrum corpus non posse fieri immortale, nisi per communionem cum immortali [corpore Christi] fiat particeps incorruptionis, oportet considerare, quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus [Christi], quod tam multis fidelium milibus in universo orbo terrarum semper distribuitur, totum sit in unoquoque singillatim et ipsum in se totum maneat. . . . Recte ergo credimus etiam nunc panem, dum verbo Dei sanctificatur, transmutari in corpus Dei Verbi. . . . Hic panis, ut loquitur apostolus, sanctificatur verbo Dei et oratione, non per esum et potum transiens in corpus Verbi, sed uno momento in corpus per verbum transmutatur, sicut ab ipso Verbo pronuntiatum est: „Hoc est corpus meum. . . .“ Dispensatione gratiae se ipsum per carnem inserit omnibus fidelibus, commixtus corporibus fidelium, quibus ex pane et vino substantia est, ut unione cum immortali [corpore Christi] etiam homo particeps fiat incorruptionis. Haec autem dat, virtute benedictionis in illud [corpus suum] transelementans eorum, quae apparent, naturam: rz rrc εὐλογία ὀυνναμει πρυζ εχεινο μεταστοιγειώαα των φαινομένων την φύσιν' (M 45, 93 sqq) \

622. S. *Basilius* paucissima habet de eucharistia neque uspiam doctrinam hanc explicat, sed notam supponit solumque ad frequentem communionem exhortatur, ut in epist. 93 (al. 289) ad Caesariam: .Singulis etiam diebus communicare ac participem esse sancti corporis et sanguinis Christi bonum est ac perutile, cum ipse perspicue dicat: „Qui comedit meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam/ Quod autem persecutionum temporibus cogitur quis, absente sacerdote aut diacono, communionem sua ipsius manu accipere, id grave non esse supervacuum est ostendere, quia hoc diuturna consuetudo ipsis rebus confirmat. Omnes enim in solitudinibus monachi, ubi non est sacerdos, communionem domi servantes, suis ipsorum manibus sumunt“ (Jf 32, 483). Similiter inter „Moralia“ regula 21 est: „quod necessaria etiam ad vitam sit participatio corporis et sanguinis Christi“, et monet considerandum esse in recipienda communione, „secundum quam rationem corporis et sanguinis Christi participatio detur“, et ibidem de eucharistia explicat Io 6 (M 31, 738;

1 Quam perspicue hic tradatur doctrina catholica, neminem fugere potest. Unde fit, ut S. Gregorius adversariis huius doctrinae minime placeat et ab iis ludibrio habeatur: Die Ansicht dieses Kirchenvaters muß an die Spitze dieses neuen Kapitels gestellt werden, in welchem wir den Verfall des Dogmas vom heiligen Abendmahle in der morgenländischen Kirche betrachten wollen/ Dieser Verfall ist entstanden durch die Spoetisch-hyperbolische Ausdrucksweise, zusammengenommen mit dem krassen Mystizismus der orientalischen Monche „Je unbeholfener aber dieser Versuch neuer Lehre von der manducatio oralis ist, um so deutlicher zeigt sich, daß es einer der ersten Versuche und dafi diese Lehre noch durchaus eine subjektivo Ansicht gewesen sein müsse und nicht Kirchenlehre gewesen sein kann (Ebrard, Das Dogma vom heiligen Abendmahl I 316 sqq). Sic isti theologi tractant SS. Patres, et tamen volunt esse theologi sincere verum quaerentes.

†om

ir

iii

cf. De Spiritu Sancto c. 27, η. 66; *M* 32, 187). Huic explicationi non obstat, quod alibi verba Christi: «Qui manducat me, vivit propter me» (Io 6, 58) allegorice explicat: «Carnem enim et sanguinem totam suam mysticam in carne conversationem vocavit, et doctrinam ex practica et naturali et theologica notione constantem declaravit» (Ep. 8, n. 4; *M* 32, 254). Nam SS. Patres saepissime praeter litteralem etiam dant allegoricam expositionem. Praeterea haec explicatio dubitanter tantum proponitur: „Haec est fortasse (ωω) illius dicti sententia.”

Notandum librum De baptismo et liturgiam, de quibus *Bellarminus* (l. 2, c. 15) loquitur, non esse Basili; liturgiae autem postea nobis considerandae sunt.

623. *S. Cyrillus Hierosol.* in Catechesibus myst. 4 et 5 de eucharistia agit, et docet verba Christi instituentis hoc sacramentum sensu obvio intellegenda esse; refert enim narrationem Pauli (1 Cor 11, 23) et pergit: «Vel haec sola beati Pauli institutio abunde sufficiens est, ut certam vobis de divinis mysteriis fidem faciat, quibus digni habitus, concorporei et consanguines Christi {σύσσωμοι και σύνναιμοι του Χριστου} facti estis. Ille enim modo clamabat: ‚quod in ea nocte, qua tradebatur Dominus . . .‘ Cum igitur ipse pronuntiaverit et dixerit de pane: ‚Hoc est corpus meum‘, quis audebit deinceps ambigere? Et cum ipse asseveraverit et dixerit: ‚Hic est sanguis meus‘, quis umquam dubitaverit eius non esse sanguinem? Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilaeae transmutavit {μεταβίβληχευ}, et eum parum dignum existimabimus, cui credamus, cum vinum in sanguinem transmutavit? . . . Quare cum omni persuasione tamquam corpus et sanguinem Christi sumamus. Nam in figura panis (ἐ> τὸ~ω ἄρτου) datur tibi corpus et in figura vini datur tibi sanguis, ut, cum sumpseris corpus et sanguinem Christi, concorporeus et consanguis ipsi efficiaris. Sic enim et christiferi efficimur, distributo in membra nostra corpore eius et sanguine. . . . Quamobrem ne tamquam nudis pani et vino attende; sunt enim corpus et sanguis Christi secundum Domini asseverationem; nam etiamsi illud tibi suggerat sensus, fides tamen te certum et firmum efficiat. Ne iudices rem ex sensu, sed ex fide citra ullam dubitationem certus esto te corporis et sanguinis Christi dono dignatum fuisse. . . . Isthac edoctus et certissima imbutus fide, quod qui videtur panis, panis non est, tametsi gustu sensibilis sit, sed corpus Christi; et quod videtur vinum, vinum non est, etiamsi ita gustui videtur, sed sanguis Christi . . . confirma cor tuum, panem illum tamquam spirituales sumens, et animae tuae faciem exhilara (Catech. 22, myst. 4, n. 4 sqq.; *M* 33, 1098 sqq). In Catech. myst. 5 exponit ritum sacrificii missae; ubi vero communionem describit, monet: «Ne corporeis faucibus huius rei indicium aestimationemque

1 Cf. Dr *Val. Schmitt*, Die Verheifiung der Eucharistie (Iuannes VI) bei den Antiochenern Cyrillus von Jerusalem und Johannes Chrysostomus, Würzburg 1903.

permitte; non, inquam, sed fidei omnis dubitationis experti. Qui enim gustant, non panem et vinum gustare iubentur sed antitypum corporis et sanguinis Christi“ (n. 20; *M* 33, 1123).

624. Hoc „antitypum corporis Christi in textu graeco proprie non habetur sed .antitypum corpus Christi': ἀντιτύπου σώματος, non ἀντιτύπου του σώματος sci. γζόσασιαι. Saepius a SS. Patribus species panis et vini typus (figura), corpus vero Christi antitypus vocantur. Revera species sacramentales institutae sunt ad significandum Christum invisibiliter praesentem. Ergo corpus Christi dicitur antitypus ut res significata per species sensibiles.

Praeterea panis et vinum ante consecrationem etiam interdum appellantur typus vel antitypus corporis et sanguinis Christi. De qua re loquitur concilium nicaenum II in act. 6. Cum enim iconoclastae dixissent tollendas esse imagines Christi, quod Christus ipse suam imaginem instituisset eucharistiam, hunc loquendi modum in sensu iconoclastarum omnino reicit concilium: „Ante consecrationis quidem consummationem quibusdam SS. Patrum visum est nominare [panem et vinum] antitypa . . . post consecrationem vero corpus proprie et sanguis Christi dicuntur et sunt et creduntur. Isti vero praeclari viri [iconoclastae] volentes venerabilium imaginum abolere conspectum, aliam imaginem introduxerunt, quae non est imago, sed corpus et sanguis Christi“ (*Hardouin* IV 370).

625. Attamen fatendum est quosdam SS. Patres, sed longe alio sensu, corpus Christi eucharisticum interdum antitypum vocare vel simpliciter typum, quae duo vocabula eodem sensu accipiunt. Ita e. g. S. Gregorius Naz. in orat. de S. Gorgonia (Or. 8, n. 18; *M* 35, 811) vocat eucharistiam antitypum corporis et sanguinis. Similiter alii Patres, quos citat *Franzelin* p. 144. — De hoc modo loquendi dicit S. Ioan. Damasc.: „Antitypa futurorum dicuntur, non quasi vere corpus et sanguis Christi non essent, sed quia nunc quidem per ipsa participes sumus divinitatis Christi, tunc vero intellectualiter per solam visionem“ (De fide orthod. l. 4, c. 13; *M* 94, 1154). Itaque corpus et sanguis Christi in statu sacramentali vocantur antitypus visionis beatificae. Hic modus loquendi de eucharistia ut de typo ante haereses exortas sine periculo adhiberi potuit; post haereses autem sine explicatione usurpatus non iam bene sonat, id quod de multis aliis terminis accidit. Si vero tales termini apud SS. Patres occurrunt, ita interpretandi sunt, ut SS. Patres sibi non contradicant, cum ipsi sine dubio per tales terminos nolint revocare ea. quae alibi clare docuerunt. Ita absurdus esset, qui S. Cyrilli manifestam de eucharistia doctrinam vellet in alium sensum detorquere, quia S. Pater corpus et sanguinem Christi typica vocat. Nihilominus non desunt protestantes, qui hanc frontem habeant, ut *Ebrard*, qui (l. c. p. 278 sqq) efficere conatur

S. Cyrillum non admisisse realem praesentiam, sed simile aliquid docuisse atque Calvinum. Sane, qui ita procedit, omnia probare potest. Alius protestans (*Marheineke*) loquens de libro, quem putabat esse ex saec. IV, studebat demonstrare scriptorem eius non docere transsubstantiationem, quamvis contrarium manifestum sit. Postea autem inventum est librum esse scriptoris saec. XII, quo tempore, protestantibus latentibus, ubique admittebatur transsubstantiatio h

626. *S. Joannes Chrysostomus* tanta et tam praeclara de eucharistia dixit, ut doctoris eucharistici nomen acceperit. Praecipue de hac re loquitur in hom. 82 (al. 83) in Matth., quae partim habetur in breviario rom. sabbato infra octavam Corporis Christi sub tit. homiliae 60 ad populum antioch., quare hic nihil de ea describendum videtur. Ex eadem ratione omittimus ea, quae dixit in hom. 45 (al. 46) in Io.; haec enim sunt in brev. sub titulo hom. 61 ad populum antioch. In hom. 24 in 1 Cor. n. 1 s. doctor ait: „Hoc quod in calice est, illud ipsum est, quod ex latere fluxit, et illius sumus participes. . . . Itaque si sanguinem cupis, ne idolorum aram brutorum caede, sed altare meum sanguine meo cruenta. Quid hac re horribilius, quid quaeso amabilius?" Ib. n. 4: „Si humanum vestimentum [alicuius regis] nemo ausus fuerit temere tangere, quomodo corpus universorum Dei immaculatum et purum, quod cum divina illa natura versatum est, per quod sumus et vivimus, per quod portae mortis fractae sunt et fornices caeli àperti sunt, cum tanta contumelia accipiemus? Ne, quaeso, ne nos ipsos iugulemus per impudentiam; sed cum horrore et puritate omni ad ipsum accedamus; et cum ipsum videris propositum, tibi dic: Propter hoc corpus non sum ego amplius terra et cinis, non ultra captivus sed liber . . . hoc corpus clavis confixum, flagris caesum mors non tulit; hoc corpus sol cum crucifixum videret, radios avertit . . . hoc est illud corpus, quod cruentatum fuit, lancea perfossum, quod salutare fontes scaturivit, alium sanguinis, alium aquae. . . . Hoc corpus dedit nobis et tenendum et comedendum, quod intensae dilectionis fuit" (A/ 61, 199 sq). In hom. 17 in Hebr. n. 3 ad illa verba: „Christus semel oblatus est", haec dicit: „Quid igitur, an non nos cotidie offerimus? [Sed] eundem semper offerimus, non nunc unam ovem, cras aliam, sed semper eandem, adeoque unum est sacrificium, non multa. Etenim hac ratione, quando multis in locis offertur Christus, numquid multi sunt Christi? Nullatenus profecto, sed unus ubique est Christus, et totus hic et totus illic, unum corpus. Sicut

1 .Hieraus sieht man, wie leicht es diesen Dogmenhistorikern wird, selbst in den Schriften des 12. Jahrhunderts, wo nach ihrer eigenen Behauptung die Transsubstantiationslehre schon allgemein herrschend war, die lutherische oder calvinische Lehre vom Abendmahl zu finden; wundern wir uns also nicht, daß sie den alten Kirchenvätern so Obel mitgespielt haben' (*DOUinger*, Die Lehre von der Eucharistie 78, nota).

ergo multis in locis oblatum, unum est corpus et non multa corpora, ita et unum sacrificium. Pontifex noster illo est, qui tunc obtulit hostiam nos emundantem; illam nunc quoque offerimus, quae tunc fuit oblata et consumi non potest" (Ai 63, 131). In hom. 1 de prodicione iudae n. 6 dicit: „Non homo est, qui facit, ut proposita [panis et vinum] efficiantur corpus et sanguis Christi, sed ipse Christus, qui pro nobis crucifixus est. Figuram Christi implens stat sacerdos verba illa proferens; virtus autem et gratia Dei est. ‚Hoc est corpus meum‘, inquit. Hoc verbum transformat (*μεζαρόημιζει*) ea, quae proposita sunt . . . et perfectum sacrificium implet" (Ai 49, 380). Vide praeterea hom. de coemet, n. 3 (A/ 49, 397); De sacerdotio l. 3, n. 4 (Jf 48, 642); In diem natalem Christi n. 7 (M 49, 360). Cf. *Aug. Nagle*, Die Eucharistielehre des hl. Joh. Chrysost., Freiburg 1900.

627. 8. *CyriUus Alex.*, In Alath. 26, 27: «Demonstrative dixit: ‚Hoc est corpus meum‘ et ‚hic est sanguis meus ne figuram esse arbitreris ea, quae videntur, sed arcana aliqua ratione transformari ab omnipotente Deo in corpus et sanguinem Christi in veritate, quae oblata sunt (*ἵνα μὴ νομίσῃς ὅτι εἶναι τὰ φαινόμενα, ἀλλὰ . . . μεταποιεῖσθαι εἰς σῶμα χαῖ (ἅμα Χριστοῦ χαζὰ το ἀληθῆ τὰ -αρηνεγεμενά)*), quorum participes effecti vivificam et sanctificantem Christi virtutem suscipimus» (Af 72, 451). Similiter in Io. evang. l. 3, c. 6 ad 6, 35 dicit: «Quidnam ergo Christus pollicetur? Nihil quidem corruptibile, sed eulogiam potius illam, quae est in participatione sanctae carnis et sanguinis, quae integrum hominem ad incorruptionem revocat. . . . Vivificat igitur sanctum Christi corpus eos, in quibus fuerit, et in incorruptione conservat, nostris coniunctum corporibus. Corpus enim non alterius cuiusdam sed ipsius vitae secundum naturam intellegitur, totam habens in se uniti Verbi virtutem et eadem, ut ita dicam, qualitate praeditum, immo eius [Verbi] vi et efficacia repletum, per quam omnia vivificantur et in suo esse conservantur» (Af 73, 519). Dein toto capite 2 libri 4 doctrinam hanc clarissimis verbis exponit explicans Io 6, 48 sq. Cf. quae habet ad 6, 61 sqq; porro Adv. Nestor, lib. 4, c. 6; M 72, 451; 73, 519 sqq; 74, 342; 76, 371 (cf. *Adolf Struckmann*, Die Eucharistielehre des hl. Cyrill von Alexandrien, Paderborn 1910).

628. Tandem doctrinam Patrum graecorum more suo brevi compendio complectitur *S. Iohannes Damasc.*, qui De fide orthodox. l. 4, c. 13 (Ai 94, 1146 sq) doctrinam de eucharistia exponit et inter alia ait: «Panis propositionis atque vinum et aqua per invocationem et adventum Spiritus Sancti supernaturaliter transmutantur in corpus Christi et sanguinem, et non sunt duo [corpora] sed unum idemque [Christi corpus]. . . . Non panis et vinum est figura corporis et sanguinis Christi, absit, sed ipsum corpus divinitate donatum; cum Dominus

krtrti

ii
4
£

ipso dixerit non: ‚hoc est figura corporis mei‘, sed: ‚hoc est corpus meum‘; et non: ‚figura sanguinis mei‘, sed: ‚sanguis meus‘. Dein explicat, quomodo nihilominus vario sensu de figura Christi sermo esse possit, ut supra (624 sq) iam vidimus.

Alia testimonia Patrum graecorum collegit card. *Franzelin* p. 85 sqq, quae testimonia cum tam evidentia sint, mirum non est, quod etiam ii protestantes, qui contra evidentiam pugnare non timent, tamen fatentur suam doctrinam ab ecclesia graeca reiectam esse.

Prop. LXV. Catholica de eucharistia doctrina probatur ex consensu posteriorum Patrum latinorum.

629. *S. Hilarius Pictav.*: „Si vere Verbum caro factum est et vere nos Verbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostrae iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et naturam carnis suae ad naturam aeternitatis sub sacramento nobis communicandae carnis admiscuit? . . . Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit et vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus et per hoc unum erimus, quia Pater in eo est et ille in nobis, quomodo voluntatis [tantum] unitas [inter nos et Christum] asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietates perfectae sacramentum sit unitatis? . . . Ipse enim ait: ‚Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus; qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo.‘ De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra vere caro est et vere sanguis est; et haec accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est?“ (De Trin. 1. 8, n. 13 sq; *M* 10, 246 sqq.)

630. *S. Ambrosius* in libro De mysteriis c. 8 9 neophytis doctrinam de eucharistia exponit. Et in priore quidem capite varias figuras veteris testamenti proponit et concludit (n. 49): ‚Haec in figura facta sunt nostra. Cognovisti praestantiora; potior est enim lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de caelo/ — C. 9 pergit: ‚Forte dicas: Aliud video; quomodo tu mihi asseris, quod corpus Christi accipiam ? . . . Probemus non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit; maioremque vim esse benedictionis quam naturae, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur/ Dein narrat, quomodo Moyses converterit virgam in serpentem, et alia miracula, et infert: ‚Quodsi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi

1 „Das deutet auf eine geistige Impotenz der orientalischen Kirche hin* (*Ebiard* I c. I 353).

verba ipsa Domini salvatoris operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quodsi tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de caelo deponeret [3 Rg 18, 38], non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: ‚Quia ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt.‘ Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant? Sed quid argumentis utimur? Suis utamur exemplis. . . . Hoc, quod conficimus, corpus ex Virgine est; quid hic quaeris naturae ordinem, cum praeter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? Vera utique caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta est, vere ergo carnis illius sacramentum est. Ipse clamat Dominus Iesus: ‚Hoc est corpus meum.‘ Ante benedictionem verborum caelestium alia species nominatur; post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur; post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: Amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur; quod sermo sonat, affectus sentiat⁸ (.V 16, 405 sqq).

Eadem dicit idem vel alius auctor in libris De sacramentis, ut e. g. l. 4, c. 4, n. 14: ‚Panis iste panis est ante verba sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. . . . Ergo didicisti, quod ex pane corpus fiat Christi, et quod vinum et aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione Verbi caelestis⁸ (Af 16, 439 sqq).

631. S. *Augustini* doctrina paulo accuratius consideranda est, quia protestantes audacter affirmant hunc Patrem sine dubio idem sensisse ac Calvinum. Itaque primo quaedam afferemus, quibus s. doctor clare docet realem praesentiam; dein exponemus ea, quae possint difficultatem contra hanc doctrinam creare, quamvis a priori evidens sit S. Augustinum non recessisse a communi doctrina, quae tanta claritate in ecclesia catholica tradebatur. Est autem notandum non exsistere specialem S. Augustini hac de re instructionem, sed eum obiter tantum de hoc dogmate locutum esse et potius ipsa doctrina supposita morales ex ea conclusiones dedecere solere.

632. Imprimis igitur s. *doctor diserte docet ea, quae appareant panis et vinum, reapse esse corpus et sanguinem Christi.* ‚Quod videtis, panis est et calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant; quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis Christi⁸ (Serm. 272; JĪ38, 1246). Idem saepe inculcat in sermonibus suis. Martyres tam fortes fuerunt, quia ad mensam magnam sederunt. ‚Quae est mensa magna, nisi unde accipimus corpus Christi et sanguinem?⁸ (Serm. 31, n. 2; M 38, 193.) Quid sit manducare carnem Christi et bibere sanguinem eius, catechumeni nesciunt; sed

fuloles, „qui iam manducant carnem Domini et bibunt sanguinem eius, cogitent, quid manducant et quid bibant, ne, sicut dicit apostolus, indicium sibi manducant et bibant" (Serm. 132, n. 1; *M* 38, 734 sq). Similiter in serm. 3 ex iis, quos edidit *Denis*¹: „Accipite itaque et edito corpus Christi, etiam ipsi in corpore Christi facti iam membra Christi. Accipite et potate sanguinem Christi. Ne dissolvamini, manducate vinculum vestrum. Ne vobis viles videamini, bibite pretium vestrum. . . . Ipse namque . . . ait: ‚Hoc est corpus meum.‘ . . . Hoc in evangelio vel legebatis vel audiebatis [catechumeni], sed hanc eucharistiam esse Filium [Dei] nesciebatis. Nunc vero aspersi corde in conscientia pura et loti corpore aqua munda, accedite. . . . Illam enim carnem sumitis, de qua dicit ipsa vita: ‚Panis, quem ego dederò, caro mea est pro saeculi vita!\" (*M* 46, 827). Et in serm. 6: „Hoc, quod videtis, carissimi, in mensa Domini, panis est et vinum; sed iste panis et hoc vinum accedente verbo fit corpus et sanguis Verbi" (*M* 46, 834 sq). „Habet magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur: Arnen. Haec est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum" (Contra Faustum l. 12, c. 10; *M* 42, 259). Cur vero alibi non apertius de hac re loquatur, ipse indicat serm. 132, n. 1, explicans verba Io. 6 „caro mea vere esca est" : „Qui audistis haec, nondum omnes intellexistis. Qui enim baptizati et fideles estis, quid dixerit, nostis. Qui autem inter vos catechumeni et audientes vocantur, potuerunt esse, cum legeretur, audientes; numquid et intellegentes? . . . Velatum est; sed, si volueris, erit revelatum. Accede ad professionem [baptismum]" (*J*/ 38, 734 sq).

633. Praeterea de corpore Christi eucharistico ea dicit, quae cum metaphorica acceptione plane conciliari nequeant. Dicit enim Christum in ultima cena se ipsum tulisse in manibus, sicut dicitur in 1 Rg 21. 13: „Et ferebatur in manibus suis" (sec. versionem LXX). „Hoc vero, fratres, quomodo possit fieri in homine, quis intellegat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intellegatur in ipso David secundum litteram, non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: ‚Hoc est corpus meum/ Ferebat enim illud corpus in manibus suis" (In Ps. 33 enarrat. 1, n. 10; *M* 36, 306). Hoc corpus Christi per os in hominem intrat, ideoque antea alii cibi non sumuntur. „Liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. . . . [Postea] placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os christiani

¹ De genuinitate horum sermonum cf. *I. Fessler*, Institutiones Patrologiae, ed. *B. Jungmann*, Oeniponte 1892, IIa, 375.

prius dominicum corpus intraret quam ceteri cibi; nam ideo per universum orbem mos iste servatur" (Epist. 54 ad Ianuar. c. 6; cf. c. 3; J/ 33, 203). Unde .mensa potentis quae sit, nostis; ibi est corpus et sanguis Christi' (In Io. tr. 47, n. 2: 3/ 35, 1733). Et corpus Christi fideles, antequam sumunt, adorant: .Quia [Christus] carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit, inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini (Ps 98 5), et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando (In Ps. 98, n. 9; M 37, 1264).

Docet corpus et sanguinem Christi in altari Deo in sacrificium offerri. Quod Ecclesiastes ait: «Non est bonum homini nisi quod manducabit et bibet' (Eccle 8, 15), .quid credibilius, quam quod ad participationem mensae huius pertinet, quam sacerdos ipse mediator testamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore et sanguine suo? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris testamenti, quae immolabantur in umbra futuri. Propter quod etiam vocem illam in psalmo tricesimo et nono eiusdem mediatoris per prophetiam loquentis agnoscimus: .Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi' (Ps 39, 7). Quia pro omnibus illis sacrificiis corpus eius offertur et participantibus ministratur (De civ. Dei 17, 20, 2; AI 41, 556). „Erat autem sacrificium iudaeorum antea secundum Aaron in victimis pecorum, et hoc in mysterio. Nondum erat sacrificium corporis et sanguinis Domini, quod fideles norunt et qui evangelium legerunt, quod sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum. Proponite ergo ante oculos duo sacrificia, et illud secundum ordinem Aaron, et hoc secundum ordinem Melchisedech. ... Videte, quid protulit et quem benedixit [Melchisedech]. Et dictum est postea: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech (Ps 109, 4). . . . De quo alio dicit: Tu es sacerdos . . . nisi de illo, cuius nostis sacrificium? Sublatum est ergo sacrificium Aaron, et coepit esse sacrificium secundum ordinem Melchisedech (In Ps. 133, serm. 1, n. 5 sq; M 36, 302 sq). Ex eodem sermone est commentariis modo citatus in illud: „Et ferebatur in manibus suis.

ir

Alio loco ait: „A solis ortu usque ad occasum, sicuti a prophetis praedictum est, immolatur, et secundum novi testamenti gratiam Deo victima laudis offertur. Non adhuc de gregibus pecorum hostia cruenta conquiritur, non nunc ovis aut hircus divinis altaribus admovetur, sed sacrificium iam nostri temporis corpus et sanguis est ipsius sacerdotis. . . . Huius gratiae memores . . . cum timore et tremore ad participationem huius altaris accedite. Hoc agnoscite in pane, quod pependit in cruce; hoc in calice, quod manavit ex faterere (Inter serm. a Denis editos 3; 3f 46, 827). In hoc sacrificio .vera fit remissio peccatorum, a cuius tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur,

qui volunt habere vitam' (Quaest. in Heptateuch. 3, 57; *M* 34, 704). Cf. *Contra Faust.* 1. 20, c. 21 (*J*/ 42, 385 sq); *De civ. Dei* 10, 6 (.V 41, 284).

Alia multa testimonia vide apud *Bellarminum*, *De euch.* 1. 2, c. 24.

Difficultates, quae ex S. Augustino obici possunt.

634. S. Augustinus *numquam catechumenos vel neophytos primo instruit de eucharistia*, sed iam instructos supponit. Hac igitur instructione supposita solet statim ad moralem et mysticam explanationem transire. Ita in serm. 272, postquam dixit vere in altari esse corpus Christi, addit: „Breviter quidem hoc dictum est, quod fidei forte sufficiat, sed fides instructionem desiderat”, i. e. moralem applicationem, et quae est haec? „Corpus ergo Christi si vis intellegere, apostolum audi dicentem fidelibus: „Vos autem estis corpus Christi et membra/ Mysterium vestrum in mensa dominica positum est, mysterium vestrum accipietis. Ad id, quod estis, „Arnen' respondetis et respondendo subscribitis. Audis enim: „Corpus Christi', et respondes: „Arnen'. Esto membrum corporis Christi, ut verum sit Arnen.’ Deinde explicat, quomodo ex multis granis tritici et botri unus panis et unum vinum fiat, ita debere ex multis fidelibus unam ecclesiam existere. „Mysterium pacis et unitatis nostrae in sua mensa consecravit’ (*M* 38, 1246). Iam si quis ex hoc exponendi modo vellet concludere secundum S. Augustinum verba Christi ^Hoc est corpus meum’ esse metaphorice intellegenda, is deberet dicere secundum Augustinum sacramentum altaris nihil aliud esse nisi figuram unitatis ecclesiae; id quod nemo dicit, et sane esset absurdum. Ponit igitur sanctus doctor effectum pro causa et dicit: Eucharistia est, i. e. efficit unitatem ecclesiae, et *etiam* hoc mystico sensu est corpus Christi.

635. De hac significatione eucharistiae maxime agit in *Exposit.* cap. 6 Ioannis. Statim enim verba „Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita’ ita explicat: „Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non neglegant. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de spiritu Christi. De spiritu Christi non vivit nisi corpus Christi. . . . O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet uude vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. . . . Hunc itaque cibum et potum societatem vult intellegi corporis et membrorum suorum, quod est sancta ecclesia in praedestinis et vocatis et iustificatis et glorificatis sanctis et fidelibus eius. . . . Hoc est ergo manducare illam escam et illum bibere potum: in Christo manere et illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat [spiritualiter] carnem eius nec bibit eius sanguinem, sed magis tantae rei sacramentum ad indicium sibi man-

ducat et bibit. (In Io. tract. 26, n. 13 sqq; *M* 35, 1612 sqq). Postquam eadem repetiit in tract. 27, in fine (n. 11), concludit: „Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectissimi, ut carnem Christi et sanguinem Christi non edamus tantum in sacramento, quod et multi mali, sed usque ad spiritus participationem manducemus et bibamus, ut in Domini corpore tamquam membra maneamus. (M 35, 1621). — Ergo qui haec dicta S. Augustini recte consideraverit, in iis non solum nullam seriam difficultatem contra realem praesentiam inveniet, sed etiam intelletget, quomodo et quo sensu SS. Patres possint interdum tam fortiter inculcare absolutam necessitatem manducationis corporis Christi, de qua re S. *Fulgentius* loquitur in epist. 12 ad Ferrand., in qua, postquam integrum Augustini sermonem 272 supra citatum descripsit, ita concludit n. 26: „Arbitror non cuiquam esse aliquatenus ambigendum tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando in baptisate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisque consortio [secundum effectum], etiamsi, antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. (3/ 65, 392). Cf. S. Augustini serm. 71, n. 17 (3/ 38, 453), ubi clare dicit bonos et malos corpus et sanguinem Christi sumere et tamen secundum effectum solos bonos sumere: „Ulud etiam quod ait: „Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in illo (Io 6, 57), quomodo intellecturi sumus? Numquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit apostolus, quod indicium sibi manducant et bibant (1 Cor 11, 29), cum ipsam carnem manducant et ipsum sanguinem bibant? Numquid et ludas, magistri venditor et traditor impius, quamvis primum ipsum manibus eius confectum sacramentum carnis et sanguinis eius cum ceteris discipulis, sicut apertius Lucas evangelista declarat, manducaret et biberet (Lc 22, 21), mansit in Christo et Christus in eo? Tam multi denique, qui vel corde ficto carnem illam manducant et sanguinem bibunt, vel cum manducaverint et biberint, apostatae fiunt, numquid manent in Christo aut Christus in eis? Sed profecto est quidam modus manducandi illam carnem et bibendi illum sanguinem, quo modo qui manducaverit et biberit, in Christo manet et Christus in eo. Non ergo quocumque modo quisquam manducaverit carnem Christi et biberit sanguinem Christi, manet in Christo et in illo Christus, sed certo quodam modo, quem modum utique ipse videbat, quando ista dicebat. De hoc salutari manducandi modo, quod attinet effectum eius, i. e. de coniunctione cum Christo, recte etiam dicitur: „Utquid paras dentes et ventrem? Crede [utique fide viva] et manducasti“ (In Io. tract. 25, n. 12; *M* 35, 1602). Ceterum haec verba non de eucharistia dicuntur, sed de fide, de qua secundum Augustinum Christus in priore parte capitis sexti apud Ioannem loquitur. Plura apud *Franzelin* p. 146 sqq.

636. *S. Augustinus, ut alii quoque Patres, comparat manducationem quam vocant σαρκοφαγίαν vel capharnaiticam, cum ea, quam Christus reapse instituit, et illam reicit: Iudaei, «prout voluerunt, ita intellexerunt [verba Christi] et more hominum, quia poterat Iesus, aut hoc disponebat Iesus, carnem, qua indutum erat Verbum, veluti concisam distribuere credentibus in se. . . . Quid est ergo? „non prodest quicquam caro? Non prodest quicquam, sed quomodo illi intellexerunt, carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. . . . Spiritus ergo est, qui vivificat, caro autem non prodest quicquam; sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum carnem meam’ (In Io. tract. 27, n. 2 5; M 35, 1616 sq). Iam vero hic est communis modus edendi carnes, ut in frustra scissae comedantur. In oppositione igitur ad hunc communem modum, qui secundum proprium tenorem verborum intellegitur, quando de esu carnis sermo est, verba Christi, quibus dicit carnem suam edendam esse, recte *figurate*, i. e. cum quadam temperatione intellegenda esse dicuntur; sci. tanta temperatio iis adhibenda sit, ut Christus iis, quae dicit, non iubeat facinus vel flagitium. Itaque capharnaitae „acceperunt illud stulte, camaliter illud cogitaverunt et putaverunt, quod praecisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo et daturus illis. . . . Ipsi erant duri, non sermo. Etenim, si duri non essent, sed mites essent, dicerent sibi: Non sine causa dicit hoc, nisi quia est ibi aliquod sacramentum latens. . . . Spiritualiter intellegite, quod locutus sum; non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos. Etsi necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intellegi® (In Ps. 98, n. 9; M 37, 1265). Numquid haec spiritualis intellegentia excludit realem Christi in sacramento praesentiam? Nequaquam. Nam immediate ante dixit christianos id, quod in eucharistia manducarent, prius adorare. Quid ergo secundum Augustinum hic est figura vel sacramentum? Fortasse res, quae ita, ut dicitur vel narratur, sensu proprio accipi non debeat sed sensu metaphorico? Nullo modo. Hoc ipse clare explicat libro 2 Contra adversarium leg. et proph. (n. 34), ubi allatis variis exemplis historicis, quae sine dubio sensu proprio accipi debent, ut de polygamia Abrahami, addit etiam hoc: «Mediatorem Dei et hominum hominem Christum Iesum carnem suam nobis manducandam bibendumque sanguinem dantem fidei corde atque ore suscipimus; quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare quam perimere et humanum sanguinem potare quam fundere® (Af 42, 658). Et concludit haec omnia esse figurate dicta vel facta ideoque non crasso sed rationabili modo intellegenda. Praeterquam enim, quod caro Christi non dilaniatur, ut manducetur, etiam haec manducatio non solum propter se ipsam fit, sed ad aliquid significandum; fit enim*

in memoriam passionis Christi. Ergo sicut matrimonium Abrahami cum Sara et Agar realiter quidem factum est sed tamen figurate, quia aliquid spirituale significat et ideo res erat non calumnianda sed veneranda, ita etiam manducatio carnis Christi realiter quidem fit, attamen non flagitiose sed figurate. β Facinus vel flagitium videtur iubere [Christus, ut sci. manducemus carnem suam]. Figura est ergo, praecipiens passioni dominicae communicandum et suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa et vulnerata sit“ (De doctr. christ. 1. 3, n. 24; J/ 34, 74).

637. *Tandem Augustinus cum aliis doctonibus comparat partem visibilem sacramenti cum Christo invisibiliter praesente, et illam dicit huius signum vel figuram.* Hoc sensu dicit: „Non enim Dominus dubitavit dicere: „Hoc est corpus m̄ eum cum signum daret corporis sui β (Contra Adimant, manich. c. 12, n. 3; *M* 42, 144). — Quae verba dummodo in contextu legantur, nihil suspiciosi continent. Ridebant enim manichaei, quod in vetere lege sanguis dicebatur anima, ideoque iudaei vetabantur manducare sanguinem animalium (Dt 12, 23). Ad quod Augustinus respondet: „Possum interpretari praeceptum illud in signo esse **positumi**. e. ideo non debebant manducare sanguinem, quia sanguis est signum animae, per id quod continet significando id quod continetur, quoniam anima sanguine continetur in corpore (cf. In Levit. 1. 3, c. 57, n. 3; *M* 33, 702); et ad hoc explicandum adducit exemplum eucharistiae. Ergo sicut sanguis animalium non est nudum signum animae sed signum continens animam, ita pars visibilis eucharistiae non est nudum signum sed signum continens Christum (cf. De Trin. 1. 3, c. 10, n. 19 21; *M* 42, 879).

Itaque si dicta S. Augustini in contextu legantur et modus eius loquendi observetur, facile constat nihil in eius scriptis esse, unde seria contra doctrinam catholicam difficultas moveri possit (cf. Theol. Quartalschrift, Tübingen 1896, 79 sqq; *O. Blank*, Die Lehre des hl. Augustin vom Sakramente der Eucharistie, Paderborn 1907; *K. Adam*, Die Eucharistielehre des hl. Augustin, Paderborn 1908).

638. *S. Leo M.:* β Dicente Domino: „nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in v obis (Io 6, 54), sic sacrae mensae communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi et sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, et frustra ab illis „ A nnen respondetur, a quibus contra id, quod accipitur, disputatur β (Sermo 91, c. 3; *M* 54, 452). De eutychanis, qui negabant humanitatem Christi, dicit: „In quibus isti ignorantiae tenebris, in quo hactenus desidia torpore iacuere? ut nec auditu discerent vel lectione cognoscerent, quod in ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis veritas corporis et sanguinis Christi inter communionis sacra-

menta taceatur [quia etiam infantes communionem accipiebant]. Quia in illa mystica distributione spiritualis alimoniae hoc impartitur, hoc sumitur, ut accipientes virtutem caelestis cibi in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus" (Ep. 59, c. 2; *M* 54, 868). — „Ciimque [eutychiani] ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant intéressé conventibus, ita in sacramentorum communionem se temperant, ut interdum ne penitus latere non possint, ore indigno Christi corpus accipiant, sanguinem autem redemptionis nostrae haurire omnino declinent" (Serm. 42, c. 5; *M* 54, 279).

Alia vide apud card. *Franzelin* p. 114 sqq.

639. *Patrum dicta ad haec capita revocari possunt:*

1. Patres disertis verbis docent in eucharistia vere et realiter esse corpus et sanguinem Christi coniunctum cum divinitate, ideoque eucharistiam esse adorandam. Ita Cyrill. Hierosol., Chrysost., August.

2. Dicunt idem corpus Christi esse in eucharistia, quod natum est ex Maria Virgine, crucifixum, resurrexit, sedet ad dexteram Patris: Ignat. M., Chrysost., Ambros.

3. Consequenter dicunt eucharistiam non esse figuram Christi sed ipsum Christum: Cyrill. Alex., Macarius Magnes., Maruthas.

4. Docent corpus Christi quidem ab omnibus ore sumi, semper tamen in se totum manere: Greg. Nyss., Chrysost.

5. Dicunt in eucharistia nos uniri cum Christo non sola fide et caritate sed etiam corporali coniunctione: Cyrill. Hierosol., Greg. Nyss., Chrysost., August.

6. Dicunt panem et vinum converti in corpus et sanguinem Christi: Iustinus M., Greg. Nyss., Ambr., Ioan. Damasc.

7. Dicunt esse stupendum miraculum: Clemens Alex., Cyrill. Hierosol., Ambros.

8. Dicunt Christum in altari offerri in sacrificium: Cyrill. Hierosol., Chrysost., August.

9. Adeo Patribus persuasum erat de reali Christi in eucharistia praesentia, ut hoc dogma non raro tamquam indubitatum principium assumpserint ad confutandos varios haereticorum errores, ut Irenaeus et alii, de quibus cf. *Franzelin* p. 123 sqq.

Prop. LXVI. Dogma realis praesentiae probatur ex consensu ecclesiae, qui variis documentis aetate SS. Patrum posterioribus manifestatur.

640. *Nota.* Vix a quoquam acatholico in dubium vocatur, quin SS. Patres posteriores iis, quos hactenus citavimus, realem praesentiam admittant, ut e. g. *S. Greg. M.* in hom. 14 (in breviario rom. Dorn. II post Pascha), hom. 22 etc, *Caesarius Arelat.* hom. 7, alii,

quos vide apud *Bellarmin.* l. 2, c. 30 sqq. Ergo ut argumentum Traditionis integrum reddamus, nil restat nisi ut quaedam videamus ex iis, quae post tempora SS. Patrum facta sunt. Quae ad tria revocari possunt:

- I. definitiones conciliorum,
- II. disputationes saeculi IX de hac re ortas,
- III. doctrinam scholasticorum.

I. Definitiones conciliorum et pontificum.

641. Definitiones conciliorum tamdiu necessariae non erant, quamdiu doctrina catholica ab omnibus unanimiter admittebatur. Unde mirum non est, quod prima concilia nihil de eucharistia definiverunt. Prima occasio de hac re aliquid dicendi erat in *synodo VII* (anno 787). quando iconoclastae non quidem realém praesentiam negabant, sed eucharistiam imaginem Christi dicebant. Quam doctrinam a concilio reiectani esse iam supra vidimus (n. 624).

Prima haeresis contra eucharistiam mota esse videtur a Berengario, qui prius a variis aliis conciliis damnatus, tandem a *Gregorio VII* et *conc. rom.* (anno 1079) iussus est subscribere huic formulae: „Ego corde credo et ore confiteor panem et vinum . . . post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de virgine et quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit et quod sedet ad dexteram Patris, et verum sanguinem Christi, qui de latere eius effusus est, non tantum per signum et virtutem sacramenti sed in proprietate naturae et veritate substantiae“ (*Denz.* n. 355). Cf. *conc. later. II* contra Petrum de Bruis (*Denz.* n. 367): *Lucii III* decretum contra albigenses (*Denz.* n. 402).

Conc. later. IV (anno 1215) item contra albigenses definivit: lesu Christi „corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur“ (*Denz.* n. 430).

Conc. constantiense (anno 1418) damnavit sententiam Wiclif: «Christus non est in eodem sacramento [altaris] identice et realiter propria praesentia corporali“ (*Denz.* n. 583).

Conc. florent. in decreto pro armenis instructionem de materia, forma, effectu eucharistiae habet, quae postea citanda erit (infra n. 728).

Conc. trident. sess. 13, can. 1 contra novatores saec. XVI definivit: „Si quis negaverit in sanctissimae eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo vel figura aut virtute, A. S.“ (*Denz.* n. 882).

Itaque manifeste cernitur, quomodo ecclesia per omnia saecula constanter eandem de reali Christi in eucharistia praesentia doctrinam tradiderit.

If

|

..

n

!F.
•M

|W
rü.

II. Disputationes de ss. eucharistia saeculo IX factae.

642. Disputationes, quae saec. IX de eucharistia ortae sunt, ad oculum demonstrant unanimem omnium de reali praesentia fidem, licet de quaestionibus theologicis huc pertinentibus disputantium. *Paschasius Radbertus* enim, monachus corbeiensis, anno 831 librum edidit „De corpore et sanguine Domini“, in quo doctrina catholica disertissime traditur, ita ut protestantes saepe dixerint eam primo a Paschasio esse inventam. In cap. 4 inter alia haec habet: «Quod in veritate corpus et sanguis fiat consecratione mysterii, nemo, qui verbis divinis credit, dubitat. . . . Sed quia Christum vorari fas dentibus non est, voluit in mysterio hunc panem et vinum vere carnem suam et sanguinem consecratione Spiritus Sancti potentialiter [per potentiam suam] creari, creando vero cotidie pro mundi vita mystice immolari, ut, sicut de virgine per Spiritum vera caro sine coitu creatur, ita per eundem ex substantia panis et vini mystice idem Christi corpus et sanguis consecratur. . . . Unde quia mysticum est sacramentum, nec figuram illud negare possumus; sed, si figura est, quaerendum, quo modo veritas esse possit. . . . Sed si veraciter inspicimus, iure simul veritas et figura dicitur: ut sit figura vel character veritatis, quod exterius sentitur; veritas vero, quidquid de hoc mysterio interius recte intellegitur aut creditur. Non enim omnis figura umbra vel falsitas; unde Paulus de unico Dei Filio ad hebraeos loquens ait: ‚Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius‘ . . . [Similiter in sacramento] est figura vel character hoc, quod exterius sentitur, sed totum veritas et nulla adumbratio, quod intrinsecus percipitur, ac per hoc nihil aliud hinc inde quam veritas et sacramentum ipsius carnis aperitur. . . . Et ne mireris, o homo, neque requiras naturae ordinem; sed si carnem illam vere credis de Maria virgine in utero sine semine potestate Spiritus Sancti creatam, ut Verbum caro fieret, vere crede et hoc, quod conficitur in verbo Christi per Spiritum Sanctum, corpus ipsius esse ex virgine“ (Jf 120, 1277 sqq). Cf. *J. Ernst*, Die Lehre des Paschasius Radbertus von der Eucharistie, Freiburg 1896.

643. Sed quod Paschasius dicit in eucharistia esse idem corpus, quod ex virgine natum sit, multis valde displicuit, ut *Rabano Mauro*, qui scribit: «Illud in hoc libro [Paschasii] mihi prius penitus fateor inauditum reperiri sub nomine S. Ambrosii, quod non sit haec alia caro Christi, quam quae nata est de Maria et passa in cruce et resurrexit de sepulcro“ (Ep. 3 ad Egilem, n. 2; *M* 112, 1513). Contra hanc igitur Paschasii sententiam scripserunt saec. IX praeter Rabanum *Ratramnus*, monachus corbeiensis, duo anonymi gemblacenses, quorum alter videtur idem ac Rabanus ad Egilem (cf. *Migne* 1. c. coi. 1509, nota); saec. vero *X Heriger* abbas et *Ratherius*. At hi omnes, quamvis acerrime contra Paschasium pugnarent, nihilominus circa fidem realis praesentiae se cum eo omnino consentire fatebantur. Ita

644. *Rabanus Maurus* (l. c. η. 1; *M* 112, 1510): „Quod corpus et sanguis Domini [in eucharistia] sit vera caro verusque sit sanguis, unusquisque debet credere, nosse, tenere, confiteri pariter et incunctanter asserere fidelis... Hoc ergo fidelissime confirmo et addo, quod, sicut veritas est Christus et verus agnus Dei, qui cotidie pro vita mundi mystice immolatur, ita procul dubio ex pane vera caro et ex vino verus sanguis eius consecratione Spiritus Sancti potentialiter creatur/ — Similiter

645. *Ratramnus*: „Panis, qui per sacerdotis ministerium Christi corpus conficitur, aliud exterius humanis sensibus ostendit et aliud interius fidelium mentibus clamat. Exterius quidem panis, quod ante fuerat, forma praetenditur, color ostenditur, sapor accipitur; ast interius longe aliud multoque excellentius intimatur, quia caeleste, quia divinum, i. e. Christi corpus ostenditur, quod non sensibus carnis sed animi fidelis contuitu vel aspicitur vel accipitur vel comeditur. Vinum quoque, quod sacerdotali consecratione Christi sanguinis efficitur sacramentum, aliud superficialiter ostendit, aliud interius continet.... Interius si consideres, iam non liquor vini sed liquor sanguinis Christi credentium mentibus sapita (De corpore et sanguine Domini n. 9 et 10; *M* 121, 131). Dicit vero eucharistiam esse simul figuram et veritatem eo sensu quo Paschasius; attamen multo obscurius loquitur; ideo multi censuerunt eum non recte sensisse de transsubstantiatione: ceterum omnia sine difficultate in rectum sensum accipi possunt, et quoad realem praesentiam plane cum adversariis consentit: „Corpus etenim sanguinemque Christi fideliter confitentur“, et eucharistiam „negare corpus esse sanguinemque Christi nefas est non solum dicere, verum etiam cogitare“ (l. c. n. 15, coi. 134). Cf. *Aug. Nagle*, *Ratramnus und die heilige Eucharistie*, Wien 1903.

646. Neque minus clare hanc veritatem confitentur tum alter anonymus gemblacensis tum alii scriptores, qui contra Paschasium disputarunt. Itaque *de reali praesentia nulla tunc exstabat dubitatio*, sed solum circa modum loquendi de hac re. Putabant enim adversarii Paschasio inauditum esse dici idem corpus Christi in eucharistia, quod natum est de virgine. Insistebant igitur tripliciter corpus Christi dici: corpus mysticum, quod est ecclesia; corpus naturale, quod est in caelo; corpus sacramentale, quod est in eucharistia. Hanc distinctionem ex Augustino affert *Rabanus* et pergit: „Haec magistri dicta si fideliter, ferventer, diligenter et frequenter legeritis, manifestissime cognoscetis *non quidem, quod absit, naturaliter sed specialiter aliud esse corpus* Domini, quod ex substantia panis ac vini pro mundi vita cotidie per Spiritum Sanctum consecratur ... et aliud specialiter esse corpus Christi, quod natum est de Maria virgine, in quod illud transfertur“ (Ep. ad Egilem, n. 3; *M* 112, 1513), et mox addit non propterea esse duo corpora sed unum, sed hoc corpus unum in alio

et alio statu esse. Loquuntur autem hi theologi in tota disputatione, quasi Paschasius dixerit ipsas species sensibiles esse corpus Christi, et contra hoc pugnant. Sed hoc Paschasius numquam dixit, neque eius loquendi modus ulla reprehensione dignus est, verum, ut ipse iam probavit, ex Patribus haustus. Ex altera parte etiam vera est doctrina adversariorum; nam omnino in re non differebant, sed erat lis de verbo. Hodie igitur constat quidem nullam fuisse rationem contra Paschasium pugnandi; hanc tamen utilitatem pugna haec habuit, ut clarissime ostenderet, quanta unanimitate dogma realis praesentiae ea aetate in ecclesia crederetur, sicut ab initio religionis christianae semper creditum est.

III. Doctrina scholasticorum.

647. Doctrina scholasticorum de reali praesentia ne ab adversariis quidem in dubium vocatur; et sane omnes scholastici sine ulla dissensione hoc dogma disertissimis verbis proposuerunt, praeunte *Petro Lombardo*: „Huius sacramenti gemina est res: una sci. contenta et significata est caro Christi, quam de virgine traxit, et sanguis, quem pro nobis fudit. Res autem significata et non contenta est unitas ecclesiae in praedestinitis vocatis, iustificatis et glorificatis. Haec est duplex caro Christi et sanguis“ (4, dist. 8). Sic cum magistro docent omnes commentatores eius.

S. *Thomas* de hac re agit 3, q. 75, a. 1: „Verum corpus Christi et sanguinem esse in hoc sacramento neque sensu neque intellectu deprehendi potest sed sola fide, quae auctoritati divinae innititur/ Dein rationes convenientiae proponit, quae ab eius expositoribus magis excoluntur.

Suarez e. g. has rationes convenientiae affert:

1. Ad divinam *bonitatem* pertinet, ut omnibus modis se communicet. Ergo sicut conveniens fuit, ut Verbum divinitatem communicaret cum humanitate, ita conveniens est, ut totum se cum singulis hominibus reali aliquo modo communicet.

2. Divina *sapientia* dignum fuit velut summam donorum omnium in unum sacramentum colligere.

3. Divina *potentia* glorificatur per summa miracula, quae in hoc sacramento interveniunt, quod est quaedam consummatio omnium operum divinorum.

4. Idem valet de *aliis attributis* liberalitatis, misericordiae, immo et iustitiae, quia homo, sicut per cibum mortuus est, ita per dignum huius cibi usum ad vitam immortalem redire debet.

5. *Sanctitas* hominum maxime eo promovetur, quod ipsa sanctitas substantialis iis unitur.

6. Augetur *fides* credendo hoc difficillimum mysterium.

7. Crescit *spes*, quia Deus, postquam tantum dedit, minora non denegabit.

8. Maxime inflammatur *caritas* tanto amore Christi proposito.

9. Firmatur *unitas* cum proximis, quia omnes eidem mensae caelesti accumbimus.

10. Extollitur *religio* Christianorum, cui medium suppetit tam perfecte Deum colendi, et in qua omnes figurae et typi veteris cultus implentur.

11. Omnibus *necessitatibus* animae hoc sacramento satisfit, quia post generationem et virile robur nihil requiritur nisi alimentum, quod quam excellens hic datur!

12. Christus est in eucharistia humilitatis, patientiae omniumque *virtutum exemplar* (Suarez, De euch. disp. 46, sect. 7).

Prop. LXVII. Cum ecclesia catholica de veritate realis Christi in eucharistia praesentiae consentiunt omnes sectae orientales.

648. Quod vim huius argumenti attinet, cf. ea, quae supra dicta sunt (n. 75 sq).

Dogma realis praesentiae proposuerunt saepe theologi orientales, ut *Xenaias Afabugensis* (monophysita saec. VI), qui postquam reiecit sententiam nestorianorum de duplici Christi persona, ait: „Propterea etiam corpus vivum Dei vivi nos accipere profiteamur et non merum modo corpus hominis mortalis; similiter vivum vivi sanguinem in omnibus sacris haustibus accipimus, et non est nudus sanguis hominis, corruptibilis, nostri similis, ut haeretici opinantur. Nam non panem sanctificatum appellavit [tantum] corpus suum, et non tantummodo vinum benedictionibus cumulatum appellavit suum sanguinem, sed dixit super unumquodque eorum esse in veritate corpus et sanguinem suum (Assemani, Bibl. orient. II 39).

Joannes Darensis (alter monophysita saec. VIII) scribit: „Incipit, qui sacerdotio fungitur, et repetit preces deificas [verba consecrationis], nempe efficientes corpus et sanguinem Dei“, et dicit haec esse verba evangelica: „Hoc est corpus meum? etc. (Franzelin p. 119). Nec minus clare hanc doctrinam proponit *Barsalibi* (item monophysita) apud *Assemani* (l. c. II 178).

Nestoriani quidem negant nos in eucharistia carnem Verbi accipere, sed docent nos corpus et sanguinem Iesu Christi sumere, id quod intellegitur ex eorum opinione de duabus in Christo personis. Ceterum et Nestorius et nestoriani realem Christi in eucharistia praesentiam disertis verbis docent, ut ostendit *Assemani* (l. c. III pars 2, p. 209 290 sqq). Immo *Elias Damascenus* nestorianus dicit secum omnes christianos orientales convenire „in oblatione eucharistiae, quam Christi corpus et sanguinem esse profiterentur (ib. p. 291)l.

Quod ad *graecos schismaticos* attinet, res est notissima de eucharistia eos eandem fidem habere ac latinos, id quod maxime claruit illa occasione, cum protestantes eos conarentur ad suas partes trahere

l Cf. *Struckniann*, Die Eucharistielehre des hl. Cyri.ll von Alex. 84 sqq 154 sqq.

(supra n. 77 sqq). Scribit enim *Icremias* patriarcha: „Panis et vinum atque aqua invocato et superveniente Sancto Spiritu super omnem naturae rationem transmutantur in corpus et sanguinem Christi, nec duo iam sunt sed unum idemque. Non est porro panis et vinum typus corporis et sanguinis Christi (absit), sed ipsum corpus Domini deificatum, cum ipsomet Dominus dicat: „Hoc est meum“, — quid? — non typus corporis sed „corpus“, non typus sanguinis, sed „sanguis““ (*Scheistrate*, Acta orient, eccl. I 200). Similiter *Gabriel Philadelphiensis* (l. c. p. 309) et *Gregorius Hieronionachus*, cuius opusculum Synodus Hierosol. anno 1672 approbavit (l. c. p. 379).

Alia collecta sunt in lib. 12 tomi I operis „Perpétuité de la foi“, ubi e. g. testimonium alicuius patriarchae armeni ita incipit: „Audi- vimus aliquos dixisse, quod orientales omnes, exceptis romanis, non credant sanctissimum sacramentum eucharistiae esse verum corpus Christi, et miramur multum stultitiam eorum et audaciam, quia ea, quae ignorant, proferunt. Nam orientales omnes istius temporis in sacrificio missae credunt fide indubitabili et inhaesitabili panem vere transmutari in corpus et vinum in sanguinem Domini nostri Iesu Christi, immo numquam de hac re dubitaverunt nec umquam habuerunt infidelitatem hanc, quam audivimus nunc a quibusdam nomine tantum christianis“ (l. c. ed. 2, Paris 1670, p. 78). — Et alius expresse addit hoc valere tam de armenis, qui cum ecclesia latina iuncti, quam de iis, qui ab ea separati sunt (ib.).

649. Sed haec sufficiant, ut concludere possimus verbis *Lanfranci* contra Berengarium scribentis: „Si verum est, quod de corpore et sanguine Christi tu credis et adstruis, falsum est, quod ab ecclesia ubique gentium de eadem re creditur et adstruitur. Omnes enim, qui Christianos se esse et dici laetantur, veram Christi carnem verumque eius sanguinem, utraque sumpta de virgine, in hoc sacramento se percipere gloriantur. Interroga universos, qui linguae latinae nostrarum- que litterarum notitiam perceperunt, interroga graecos, armenos seu cuiuslibet nationis christianos quoscumque homines. Uno ore hanc fidem se testantur habere. Porro si universalis ecclesiae fides falsa exstitit, aut numquam fuit catholica ecclesia aut periit. Nihil enim efficacius ad interitum animarum quam perniciosus error. Sed non fuisse aut periisse ecclesiam catholicam nemo consenserit“ (De corp, et sang. Dom. c. 22; *M* 150, 440).

Prop. LXVIII. Fides realis praesentiae constat ex omnibus liturgiis.

650. *Nota.* Non solum ex theoreticis instructionibus sed etiam ex praxi ecclesiarum fides disci potest. Doctrina autem sacramentalis et maxime fides eucharistiae necessario apparet in liturgiis.

Liturgia vi quidem nominis significat quodlibet publicum munus (*λέϊτον έργο*»), sed in lingua sacra exclusive significat munus sacerdotale et imprimis munus sacrificandi. Ita in ep. ad hebr. (8, 2 3) Christus vocatur *λειτουργό*, quia constitutus est *εί τυ προσφέρει» οώρα τε χα'ι Ουσία*. Dein vero regula seu formula, secundum quam sacrificium offerendum est, i. e. *ό τη λειτουργία χα»ώ*», ut ait *Clemens Rom.* (1 Cor. 41), et ipsa vocatur liturgia. Hoc igitur sensu liturgiae nil aliud sunt nisi formularia sacrificii missae, litteris consignata, seu ut ait *Renaudot*: „Liturgiarum nomine intellegi debent officia seu rituales libri auctoritate publica ecclesiarum scripti earumque usu comprobati, quibus preces et ritus ad consecrandam et administrandam eucharistiam continentur (Liturg. orient. I 152).

651. Liturgiarum scriptarum magnus numerus existit, quae in varias classes redigi et ad unum prototypum reduci possunt. *Omniū anti-quissima ea habetur, quae legitur in Constitutionibus apostolorum* 1. 8, c. 5. Ita saltem censent viri docti, qui hac de re prae aliis indicium ferre possunt, ut *Renaudot* (Lit. orient. I, ed. 2, Francofurti 1847, 9); *Daniel* (Codex liturg. IV 42); *Probst* (Liturgie der drei ersten christl. Jahrh., Tübingen 1870, 231 sqq; Die ältesten römischen Sakramentarien, Münster 1892, 1 sqq), *Bickell* (Messe und Pascha, Mainz 1871), alii, quibus etiam persuasum est hanc liturgiam esse radicem et fontem omnium aliarum liturgiarum.

Integrum opusculum, quod nunc habetur sub nomine Constitutionum apostolorum, non uno tempore conscriptum est. De qua re cf. *Funk*, Die apost. Konstitutionen, Rottenburg 1891.

Liber octavus, quamvis secundum formam, quam nunc habet, sit posterioris aetatis (post 350), tamen secundum essentielles partes ad primum omnino saeculum referendus est, quia plane concordat cum iis, quae de liturgia Christianorum dicuntur a *Clemente Rom.* (ep. ad corinth.) et aliis Patribus, ut patet ex diligenti comparatione, quam instituit *Probst* (l. c. p. 41 sqq). Immo *Bickell* contendit hanc liturgiam ortam esse ex iis, quae in ultima cena acta sunt (*Zeitschr. für kath. Theol.*, Innsbruck 1880, 90 sqq)l.

l *E. Schwartz* (Über die pseudoapostol. Kirchenordnungen, Straburg 1910) derivat librum octavum Constit. apost. ex Constitutionibus ecclesiasticis aegyptiacis. — Similiter *P. Cagin*, qui primitivam canonis missae formam invenire studet diligenti comparatione vetustissimarum liturgiarum et documentorum liturgicorum, et censet eam inveniri in .canonibus aegyptiorum⁴, quos edidit *E. Hauler* (Didascaliae Apostolorum fragmenta veronesia, Lipsiae 1900). Est autem „Anaphora⁴ haec: „Gratias tibi referimus, Deus, per dilectum puerum tuum Iesum Christum, quem in ultimis temporibus misisti nobis salvatorem et redemptorem et angelum voluntatis tuae, qui est Verbum tuum inseparabilem, per quem omnia fecisti et beneplacitum tibi fuit; misisti de caelo in matricem virginis, quique in utero habitus incarnatus est et Iilius tibi ostensus est, ex Spiritu Sancto et Virgine natus, qui voluntatem tuam complens et populum sanctum tibi adquirens, extendit manus, cum pateretur, ut

lr

n
4
tb.

Iam ex hae liturgia indo a aec. IV multae aliae ortae sunt, quae proximo in duas classes dividi possunt: in liturgias orientales et occidentales (cf. *Franz*, *Der euchar. Kohsekrationsmoment*, Würzburg 1875, 54 sqq).

652. *Liturgiae orientales* praecipuae sunt hae:

1. *Liturgia hierosolymitana seu S. Iacobi*, quae quamvis saec. IV iam existens, ut patet ex *S. Oyrill. Hier.*, tamen postea per influxum byzantinum modificata est. Quae liturgia (non tamen unice) viget in forma plus minusve immutata apud syros et orthodoxos et iacobitas. Ex hac liturgia postea videntur prodiisse *liturgia S. Basilii* ecclesiae Caesariensis, et *liturgia S. Chrysostomi* ecclesiae constantinopolitanae. Attamen in iisdem ecclesiis aliis diebus secundum liturgiam Basilii, aliis diebus secundum liturg. Chrysost. missa celebratur (cf. *Goar*, *Eucholog.* 58 87 158 185). Haec graecorum liturgia in linguam slavicam translata etiam in regno russiaco in usu est.

Liturgia armenorum ad exemplar liturgiae S. Basilii a Sancto Gregorio illuminatore, armenorum apostolo, composita esse dicitur.

2. *Liturgia ecclesiae alexandrinae seu S. Marci*, ex qua orta est liturgia coptica *S. Cyrilli Alexandrini*. Amplificatio quaedam liturgiae S. Cyrilli est liturgia abyssiniorum seu *liturgia apostolorum* vel „*canon universalis*“. Praeterea copti (iacobitae, monophysitae) secundum liturgias graecorum composuerunt liturgias copticas *S. Basilii* et *Gregarii Naz.*, quae cum liturgia S. Cyrilli pro variis festis unice iam apud coptos in usu sunt.

3. *Liturgia Chaldaeorum* seu apostolorum *Adaei et Maris (Agis)* adhibetur in ecclesiis (nestorianorum) Mesopotamiae, in qua liturgia, ut in scriptis exstat, desunt verba consecrationis. Praeterea utuntur nestoriani *liturgiis Theodori Interpretis* (mopsuestiensis) et *Nestorii*, quae ad formam liturgiae Adaei et Maris factae sunt. Etiam hae variae liturgiae variis diebus festis in usu sunt. (Cf. „*Testamentum Domini*“ 190 sq.)

a passione liberaret eos, qui in te crediderunt; qui cumque traderetur voluntariae passioni, ut mortem solvat et vincula dirumpat et infernum calcet et iustos illuminet et terminum figat et resurrectionem manifestet, accipiens panem, gratias tibi agens, dixit: Accipite, manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis confringetur, similiter et calicem, dicens: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur: quando hoc facitis, meam commemorationem facitis. Memores igitur mortis et resurrectionis eius, offerimus tibi panem et calicem, gratias tibi agentes, quia nos dignos habuisti adstare coram te et tibi ministrare, et petimus, ut mittas Spiritum tuum Sanctum in oblationem sanctae ecclesiae; in unum congregans des omnibus, qui percipiunt, sanctis in repletionem Spiritus Sancti ad confirmationem fidei in veritate, ut te laudemus et glorificemus per puerum tuum Iesum Christum, per quem tibi gloria et honor, Patri et Filio cum Sancto Spiritu, in sancta ecclesia tua et nunc et in saecula saeculorum. Amen (Euchologie latine 2: L'Eucharistia, Canon primitif de la Messe, Rome, Pans, Tournai 1912, 294 sqq. ubi etiam textus graccus reconstructus). Cf. *Batiffol*, *L'Eucharistiel* 333 sq.

4. Anno 1899 *Rahmani*, patriarcha antiochenus syrorum, Moguutiae edidit codicem a se inventum *..Testamentum Domini nostri Iesu Christi* in quo continetur liturgia, quae editori videbatur antiquior liturgia Constitutione apostolorum. Sed inquisitione facta inter criticos convenit esse opus saeculi V (cf. *Funk*, *Das Testament des Herrn und verwandte Schriften*, Mainz 1901).

5. His ultimis annis inventa est alia liturgia, quam vocarunt „*Sacramentarium Serapionis*” Textum edidit *Wobbermin* in „*Texte und Untersuchungen*” (nova series II), textum emendatum praebet *F. E. Brightman* in „*The Journal of Theological Studies*” I, London 1900, 88 sqq). Serapion erat episcopus urbis Thmueos in inferiore Aegypto saeculo quarto (ib. p. 90). Hoc sacramentarium ideo est magni momenti, quia exhibet fidem ecclesiae aegyptiacae, cum aliae liturgiae vetustissimae ex ecclesia syriaca provenerint.

653. *Liturgiae occidentales:*

1. *Liturgia romana*, cuius vetustissima forma habetur in tribus sacramentariis: *leoniano* (veronensi), quod circa finem saec. V conscriptum esse videtur; *gelasiano*, quod, licet postea variis additamentis auctum, a Gelasio I papa confectum est; cuius emendatio quaedam est *Sacramentarium gregorianum*, de quo cf. *Grisar*, *Zeitschr. f. kath. Theol.*, Innsbruck 1885 et 1886, et *Probst*, *Die ältesten rom. Sakramentarien*; quod quidem sacram. Gregorii erat fundamentum omnium missalium romanorum; sed ante conc. trid. paulatim tot variationes irrepserant, ut *conc. trid.* in fine sess. 25 summo pontifici demandant curam revisendi et ad unitatem redigendi missale rom., quod opus finitum est sub *Pio V*, a quo nostrum missale omnibus ecclesiis latinis (certis quibusdam exceptis) praescriptum est. Duae novae revisiones factae sunt sub *Clemente VIII* et *Urbano VIII* et recentissima sub *Leone XIII*.

Liturgia mediolanensis vel ambrosiana in plerisque cum romana concordat, et ea, quibus differt, non sunt valde magni momenti, v. g. quod Credo dicitur post Offertorium, quod Agnus Dei communiter omititur, et similia; nihilominus haec liturgia populo mediolanensi tam cara erat, ut introductio liturgiae romanae saepius tentata numquam ad effectum perducere potuerit.

2. *Liturgia mozarabica* seu gotho-hispana, quae quando in Hispaniam inducta sit, non constat inter doctos, quamvis omnes concedant eam esse antiquissimam (*Migne*, *Patrol.*, lat. 85, praef.). Eius

1 De liturgia romana et maxime de canone huius liturgiae ultimis annis plura scripta sunt, inter quae maxime commemoranda sunt: *P. Drews*, *Zur Entstehungsgeschichte des Kanons der römischen Messe*, 1902, et *J. Baumstark*, *Liturgia Romana e Liturgia dell' Esarcato* 1904. de quibus cf. *Theologische Quartalschrift*, Tübingen 1904, 600 sqq.

uscipie ad hunc diem conservatio maxime cardinali Ximeno debetur (*Hefele*, Card. Ximenes 161 sqq).

3. *Liturgia gallicana*, quae usque ad saec. VIII in Gallia observabatur et quae aliquam similitudinem cum liturgia graeca prae se fert, id quod explicatur per intimam necessitatem, quae inter Galliam et Asiam minorem intercedebat. Integra huius ritus missalia habentur gotho-gallicanum, francicum, gallicanum vetus. Praeterea fragmenta edidit Dr *Mone*, Lateinische und griechische Messen aus dem 2. bis 6. Jahrhundert, Frankfurt 1850. De liturgia gallicana doctum opusculum scripsit *Mabillonius* (*M* 72. 101, in quo tomo etiam habentur missale gothicum et sacramentarium gallicanum). De liturgiis generatim conferri possunt praeter scriptores iam citatos: *Aug. Krazer* O. Pr., De liturgiis, Augustae Vind. 1786; *Prosper Guéranger* O. S. B., Institutions liturgiques I, Paris 1840; *P. Suitbert Baumer* O. S. B., Geschichte des Breviers, Freiburg 1895; Dr *J. Kôssing*, Liturgische Erklärung der heiligen Messe, ed. 3, Regensburg 1869, 104 sqq. Liturgias denuo edidit *F. E. Brightman*, Liturgies eastern and western I, Oxford 1896.

654. Iam *quanta sit auctoritas liturgiarum* in rebus dogmaticis, explicatione non indiget; quae totius ecclesiae testimonium practicum de rebus fidei exhibent: «Legem enim credendi lex statuit supplicandi» (*Denz.* n. 139). Quia autem non unius, quantumvis magni, doctoris sententiam liturgiae exhibent sed ecclesiarum, in quibus observabantur, earum auctoritas non tam dimetienda est ex nomine viri, quod prae se ferunt (praesertim cum de vix ulla constet, in qua forma vel utrum omnino ab hoc an alio auctore edita sit), sed ex praes eminentia ecclesiae, cuius liturgia fuit. Si vero omnes liturgiae orientales et occidentales, orthodoxae et heterodoxae de certo aliquo dogmate unanimiter consentiunt, hoc certe dogma apostolicae originis esse probatur (cf. *Renaudot* I, xlv sqq). Atqui tale est dogma realis praesentiae.

655. *Argumentum pro reali praesentia ex liturgiis* cum ex aliis orationibus et rubricis tum ex epiclesi colligi potest, i. e. ex illa oratione, qua Spiritus Sanctus rogatur, ut velit conficere ex pane et vino corpus et sanguinem Christi, de qua oratione postea pluribus erit agendum. Itaque singula videamus.

656. In *Constit. apost.* 1. 8, c. 5 Deus rogatur: „Poscimus te, ut super haec dona in conspectu tuo proposita placate respicias . . . atque super hoc sacrificium mittas Sanctum tuum Spiritum . . . ut exhibeat panem hunc corpus Christi tui et calicem hunc sanguinem Christi tui. quo participes illius ad pietatem confirmentur, remissionem peccatorum consequantur. . . .” — Postea «episcopus tribuat oblatam dicens: .Corpus Christi⁴, et qui recipit, respondeat: Amen. Diaconus vero teneat calicem ac tradendo dicat: .Sanguis Christi, calix vitae⁴, et

qui bibit, Arnen respondeat. . . . Cumque universi et universae communicaverint, accipientes diaconi, quae supersunt, inferant in pastophoria. Et diaconus, quando qui psallit fecerit finem, pronuntiet: „Percepto pretioso corpore et pretioso sanguine Christi agamus ḡratias. .. / (3f 1, 1103 sqq; cf. *Brightman* I 21 25).

Ex *Sacramentario Serapionis* (XIII) exscribo integram formulam consecrationis graece, quia hic textus plerisque praesto non erit. Πλήρη εστιν ο ουρανός , πλήρη εστιν και ή γη τη μεγαλοπρεπού σου δόξη , χόριε των δυνάμεων. Πλήρωσαν χα'ι την δυσίαν ταύτην τη ση δυνάμεω χα'ι τη ση μεταληψεω · σοί γάο προσηνέγγαμεν ταύτην την ζώσαν δυσίαν χα'ι προσφοράν την άναίμαχτον. Σο'ι προσηνέγγαμεν τον άρτον τούτον, τό ομοίωμα του σώματο του μονογενοού . Ο άρτο ούτο του άγιου σώματο εστιν ομοίωμα, ότι ό χύριο Ιησού Χριστό , εν η νυχτί παρεδίδοτο, ελαβεν άρτον και έδίδου τοί μαθηταί έαυτοϋ λίγων' Λάβετε και φάγετε, τοϋτό εστιν τό σώμά μου τό υπέρ υμών χλώμενον ει άιρεσιν αμαρτιών. Διά τοϋτο και ημεί τό ομοίωμα του δανάτου ποιούντε τον άρτον προσηνέγγαμεν χα'ι παραχαλοϋμεν διά τή δυσία ταϋτη · χαταλλά,γηδι πάσιν ήμίν χα'ι ιλάσδητι, δεέ τή άληθεια · χα'ι ώσπερ ό άρτο οϋτο έσχορπισμίνο ήν επάνω των ορίων και συναχδει έγένητο ει εν, ουτω και την αγίαν σου εχκλησίαν συνα ον έχ παντό εδνου και πάση χώρα χα'ι πάση πόλεω και χώμη και οίχου και ποιήσον μίαν ζώσαν χαδολιχην εχκλησίαν. Προσηνέγγαμεν δε και τό ποτήριον, τό ομοίωμα του αίματο , ότι ό χύριο Ιησοϋ Χριστό λαβών ποτήριον μετά τό δειπνήσαι ελεγεν τοί έαυτοϋ μαθηταί ' Λάβετε, πίετε, τοϋτό εστιν ή χαινή διαδήχ.η, υ εστιν τό αίμά μου, τό υπέρ υμών έχ/υνόμενον ει άφεςιν αμαρτημάτων. Διά τοϋτο προσηνέγγαμεν και ημεί τό ποτήριον. ομοίωμα αίματο προσάγοντε . Έπιδημησάτω, δεέ άληθεια , ό αγió σου Λόγο επί τον άρτον τούτον, ίνα γένηται ό άρτο σώμα του Λόγου, και επί τό ποτήριον τούτο, ίνα γένηται τό ποτήριον αίμα τή Άληθεια , και ποιήσον πάντα του χοινωνούντα φάρμαχον ζωή λαβείν ει δηραπειαν παντό νοσήματο και ει ίνδυνάμωσιν πάση προχοπή και αρετή , μή ει χατάχρισιν, δεέ τή άληθεια , μηδ'ε ει έλεγχον και όνειδο . — Post communionem vero dicitur: Εϋχαριστοϋμέν σοι, ότι δέδωχα ήμίν χοινωνίαν σώματο και αίματο . Versionem latinam vide apud *Funk*, *Didascalia* II 175 sq.

657. In *liturgia S. Iacobi*: „Offerimus tibi hoc sacrificium terribile et incruentum, ut non secundum peccata nostra agas nobiscum, Domine. . . . Miserere nobis, Deus, Pater omnipotens, et mitte Spiritum Sanctum tuum . . . ut adveniens efficiat panem istum corpus vivificum, corpus salutare, corpus caeleste, corpus animabus et corporibus salutem praestans, corpus Domini Dei et salvatoris nostri Iesu Christi, in remissionem peccatorum et vitam aeternam accipientibus illud. . . . Et mistum, quod est in calice, efficiat sanguinem testamenti novi, sanguinem vivificum . . . sanguinem Domini Dei et salvatoris nostri Iesu Christi . . .“ (*Renaudot* II 32 sq; cf. *Brightman* I 87 sqq et 53 sq).

658. *Liturgia S. Basilii*: «Panem hunc fac pretiosum corpus Domini et Dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hunc vero calicem sanguinem Domini et Dei et salvatoris nostri Iesu Christi, qui pro mundi vita effusus est . . . immutans Spiritu Sancto tuo. . . . Sileat omnis caro humana et nihil terrenum in se cogitet. Rex enim regnantium et Dominus dominantium progreditur, ut mactetur et detur in cibum fidelibus" (*Goar*, Euchol. 169 sq; cf. *Brightman* I 406).

659. Eadem sunt in *liturgia S. Chrysostomi* (l. c. p. 77), et in fractione (panis) dicitur: «Frangitur et dividitur Agnus Dei, Filius Patris, qui frangitur at non comminuitur, qui semper comeditur et non consumitur, sed eos, qui sunt participes, sanctificat" (l. c. p. 81; cf. *Brightman* I 393). — Prorsus iisdem verbis atque in his duabus liturgiis sed ter repetitis invocatur Spiritus Sanctus in

660. *Liturgia armenorum*, et additur: «Consecra hunc panem et vinum in verum corpus et verum sanguinem Domini et redemptoris nostri Iesu Christi permutans Spiritu Sancto tuo" (*Daniel*, Cod. liturg. IV 466).

661. *Liturgia ecclesiae alexandr.*: «Emitte super nos et super panes et calices istos Spiritum Sanctum tuum, ut ea sanctificet et consecret tamquam Deus omnipotens et faciat panem quidem corpus, calicem autem sanguinem novi testamenti ipsius Domini et Dei et salvatoris et summi regis nostri Iesu Christi, ut fiant omnibus nobis, qui ex iis participamus, in fidem, in sobrietatem . . . in remissionem peccatorum" (*Assemani*, Cod, lit. 1. 4, P. 4, p. 34 sq; cf. *Brightman* I 134). Similiter in *liturgiis copticis* S. Cyrilli (*Benaudot* I 47 sqq), S. *Basilii* (ib. p. 15 sq), S. *Greg. Naz.* (ib. p. 31). In iisdem liturgiis ante communionem dicit sacerdos: «Corpus sanctum et sanguis pretiosus, purus, verus Iesu Christi, Filii Dei nostri. Arnen. Corpus et sanguis Emmanuelis Dei nostri, hoc est in rei veritate. Arnen. Credo, credo, credo et confiteor usque ad extremum vitae spiritum hoc esse corpus vivificum Filii tui unigeniti, Domini Dei et salvatoris nostri Iesu Christi" (ib. p. 23 35). Cf. ib. *liturg. aethiop.* seu apost. (p. 490; cf. *Brightman* 238).

662. In *liturgia Chaldaeorum* sacerdos ad fractionem hostiae dicit: „Frangimus cum confessione et signamus per misericordiam tuam corpus et sanguinem vivificatoris nostri Iesu Christi." Dum particula hostiae signat calicem, dicit: «Signatur sanguis pretiosus corpore sancto Domini nostri Iesu Christi." Dum intingit particulam in calicem: «Signatur corpus sanctum sanguine propitiatorio Domini nostri Iesu Christi" (*Benaudot* II 588; cf. *Brightman* 290 sq). — Eadem dicuntur in liturgiis Theodori et Nestorii, quae habentur ibidem p. 610 et 620.

663. *Ite romana liturgia* nihil est dicendum, cum omnia nota sint. Vetera formularia gelasiana apud *Assemanum* l. 4, t. 1, ubi formula consecrationis p. 160. Plane eiusdem rationis est forma consecrationis in *liturgia S. Ambrosii* (*Martène*, De antiq. rit. 174).

664. Nec valde dissimilis est ritus consecrationis in *missali mozarabico* (21 85, 116 sq). Ante communionem dicit sacerdos: „Domine Deus meus, da mihi corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Iesu Christi ita sumere, ut per illud remissionem omnium peccatorum merear accipere. . . . Ave in evum sanctissima caro Christi. . . . Ave in evum caelestis potus. . . .” (l. c. 120 550 sqq). Et in missa de nativitate Domini haec habetur oratio: „Famuli tui indigni et exigui sacerdotes tremende maiestati tue spirituales victimas immolantes offerimus tibi, Deus, hostiam immaculatam, quam maternus uterus impolluta virginitate produxit, pudor edidit, sanctificatio genuit, integritas fudit. Hostiaque immolata vivit, et vivens iugiter immolatur; hostia, quae sola Deo placere prevalet, quia Dominus est (l. c. 157).

665. In *missali gothico-gallicano* fides realis praesentiae in multis orationibus clarissime exprimitur; item ratio sacrificii, ut in missa 78: „Contestatio [praefatio]: Dignum et iustum est . . . Pater Domini nostri Iesu Christi. Qui formam sacrificii perennis instituens hostiam se tibi primum obtulit et primus docuit offerri/ .Post secepta: Credimus, Domine, credimus in hac confractione corporis et effusione tui sanguinis nos esse redemptos/ „Post communionem: Corpus tuum, Domine, quod accepimus, et calicem tuum, quem potavimus, haereat in visceribus nostris. . . / (Jf 72, 314 sq). Similiter in *missali francorum*: „Remotis obumbrationibus carnalium victimarum spiritualem tibi, summe Pater, hostiam supplici servitute deferimus, quae miro ineffabilique mysterio et immolatur semper et eadem semper offertur, pariterque et devotorum munus et remunerantis est praemium/ Dein ordo consecrationis sicut in miss. rom. (*M* 12, 338 sq). Cf. etiam *missale gallic.* ib. 342.

666. Ex missis gallicanis, quas *Mone* edidit, haec exempli causa excerptimus: „Depraecamur, pater omnipotens, ut his creaturis altario tuo superpositis spiritus sanctificationis infundas, ut per transfusione caelestis adque invisibilis sacramenti panis hic mutatur in carne, et calix translatus in sanguine, sit totius gratia, sit sumentibus medicina (*Mone* p. 21). „Discendat, domine, plenitudo magistatis . . . super hunc panem et super hunc calicem et fiat nobis legitima eucharistia in transformatione corporis et sanguinis Domini (l. c. p. 24).

Sed haec abunde sufficiunt; qui plura vult, adeat libros citatos, ex quibus patet nullam omnino existere liturgiam ante saec. XVI, in qua non haec duo contineantur: realis praesentia corporis et sanguinis

Christi in eucharistia et character sacrificalis missae. Alia formularia introducere, quae aut alterutrum aut utrumque hoc excludunt, haereticis saeculi XVI reservatum erat. Ergo aut ab omnibus Christianis omnium temporum et locorum, aut a novatoribus saec. XVI erratum est (cf. L. *Duchesne*, *Origines du culte chrétien*).

ART. II.

DE TRANSSUBSTANTIATIONE!:

Prop. LXIX. Realis Christi in eucharistia praesentia efficitur (**transsubstantiatione** panis et vini in corpus et sanguinem Christi).

667. *Nota.* Hactenus probavimus Christum in eucharistia esse vere praesentem, idque non transeunter, sicut virtus Dei est in reliquis sacramentis in solo usu, sed *permanentem*. Haec res, quamvis postea accuratius tractanda sit, ex dictis sufficienter constat, quia SS. Patres et definitiones ecclesiasticae et liturgiae docent post consecrationem Christum esse in eucharistia, adorari, tangi, transferri ex uno loco in alterum et similia, quae supponunt permanentem Christi praesentiam (cf. *conc. trid.* sess. 13, can. 4; *Denz.* n. 886).

::
iII ' I
!.,?
M 1 ' I

668. Hoc igitur supposito quaestio fieri potest, *utrum solus Christus sit in eucharistia an etiam substantia panis et vini*; et si negatur substantiam panis et vini adesse, iterum quaeri potest, utrum accidentia panis et vini realiter maneant necne. De hac duplici quaestione erit agendum, et hoc quidem capite de priore.

;

Non negamus per absolutam Dei potentiam fieri posse, ut in eucharistia simul sint substantia panis et vini et corpus et sanguis Christi, cum nulla appareat ratio hanc possibilitatem negandi (*Suarez* disp. 49, sect. 1), sed quaerimus solum, *num reapse substantia panis et vini post consecrationem maneat simul cum Christo realiter praesente*.

Affirmavit olim *Berengarius*, si omnino admisit realem praesentiam (supra n. 565), postea *Lutherus* et *lutherani* (n. 569). Quae sententia diverso modo explicari potest: aut ita ut Christus hypostatice assumat substantiam panis, ut assumpsit naturam humanam (*impanatio*; sic *Osiander*), aut ita ut solum simul sint panis et corpus Christi, sive corpus Christi dicitur esse ubique et ita etiam in eucharistia (*ubiquistae*), sive alio modo praesens fit. Recentes lutherani, qui realem praesentiam credunt, plerumque dicunt melius esse abstinere a quaestione de modo coniunctionis inter Christum et panem (cf. *Bellarminus*, De euchar. l. 3, c. 11 sqq).

669. *Contra ecclesia catholica negat post consecrationem manere panem et vinum, et docet ea converti in corpus et sanguinem Domini, quae conversio dicitur transsubstantiatio.* Haec igitur transsubstantiatio in tribus consistit:

- a) quod cessat panis et vini substantia;
- b) quod Christus substantialiter praesens fit;
- c) quod substantia panis et vini cessat per conversionem in corpus et sanguinem Christi.

Iam cum transsubstantiatio sit res non inventa a ratione humana sed a Deo revelata, prius videamus, quae in fontibus revelationis contineantur; dein studeamus ea, quae revelata sunt, ratione explicare, quantum fieri potest.

670. Doctrina S. Scripturae.

Christus pane manibus sumpto dixit: „Hoc est corpus meum“, et similiter de vino. Haec erat propositio practica, qua finita verum erat id, quod Christus ut praesens exhibebat vocabulo „hoc“, esse corpus Christi (supra n. 607). Atqui simpliciter falsa fuisset haec propositio, si etiamtum affuisset substantia panis; nam panis manens panis numquam potest esse corpus Christi. Neque iuvat dicere Christum usum esse figura synecdoches, sicut si quis ostendens marsupium dicit: Haec est pecunia. Nam figura haec tum solum rationabiliter adhibetur, cum sive ex natura rei sive ex usu hominum una res noscitur esse receptaculum alterius. Hoc autem non valet de pane relate ad corpus Christi; neque omnino panis vel ex natura sua vel ex usu ordinatur ad continendam aliam substantiam. Hinc etiamsi quis nummum aureum includeret in panem, non tamen posset panem ostendens rationabiliter dicere: „Hoc est aurum“, nisi forte ad iocandum; nemo enim hanc propositionem intellegeret. Aliud utique esset, si Christus antea praemonuisset apostolos se velle nunc cum pane corpus suum ita coniungere, ut panis fieret receptaculum corporis sui. Hoc enim praemonito errandi occasionem exclusisset. Sed cum nihil tale antea dixerit, verba eius secundum communem loquendi modum interpretanda sunt, quia sic tantum et non aliter ab apostolis intellegi poterant.

671. Itaque recte calvinistae lutheranis obiciunt: eum, qui admittat vi horum verborum „Hoc est corpus meum“ Christum in eucharistia esse substantialiter praesentem, non posse sine inconsequentia affirmare panem manere sine substantiali mutatione (cf. *Herzog*, *Realencykl.*, ed. 2, s. v. Abendmahl 39). *Quidam vero catholici errarunt*, putantes ex solis verbis Christi non posse demonstrari desitionem substantiae panis et vini. Ita *Scotus* (In 4, dist. 11, q. 3, n. 15), *Durandus* (ib. q. 1, n. 16 17), *Paludanus*, *Petrus Alliacensis*. Hi quidem doctores concedunt posse etiam ex verbis Christi hanc rem evinci, si Traditionis doctrina in auxilium vocetur; negant autem hoc posse fieri, si sola verba Christi in se spectentur. Ita *Scotus* (l. c.): „Si quaeras, quare voluit ecclesia eligere istum intellectum ita difficilem huius articuli, cum verba Scripturae possent salvari secundum intellectum facilem

et veriore[m] secundum apparentiam de hoc articulo [sci. facilius est admittere esse vere panem, quem sensus nostri panem esse referunt]; dico, quod eo spiritu expositae sunt Scripturae, quo conditae . . . et ideo [ecclesia] hunc intellectum eligit, quia verus est."

672. Hanc sententiam putavit *Vazquez* (disp. 180, c. 5) non posse conciliari cum iis, quae postea definivit *conc. trid.* (sess. 13, c. 4): „Quoniam Christus redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta haec synodus declarat per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius, quae conversio convenienter et proprie a sancta catholica ecclesia transsubstantiatio est appellata" (*Denz.* n. 877). Alii tamen putant huic definitioni satisfieri, si quis concedat saltem ope Traditionis posse transsubstantiationem ex verbis Christi deduci, id quod Scotus non negat (*Franzelin* p. 254). — Quidquid id est, sententia Scoti est falsa, quia destruit concinnitatem sermonis Christi et peccat contra regulas hermeneuticas.

Itaque Christus verbis „Hoc est corpus meum“ *signate* dixit adesse in eucharistia corpus suum; *exercite* vero etiam dixit non iam ibi esse substantiam panis, et consequenter se omnipotentia sua mutasse substantiam panis in substantiam corporis sui, quam rem ecclesia vocat *transsubstantiationem*.

673. *Neque huic doctrinae obstat, quod S. Paulus eucharistiam vocat panem:* „Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?“ (1 Cor 10, 16.) Eucharistia enim vocatur panis: a) quia ex pane facta est; b) quia externa apparentia et accidentia panis manent; c) quia tota eucharistia panis animae, caelestis, angelicus est. Unde etiam ecclesia catholica eucharistiam saepe vocat panem. Ita e. g. in missa post consecrationem: „offerimus . . . panem sanctum vitae aeternae“. Numquid propterea fortasse et ipsa ecclesia catholica negat transsubstantiationem?

Doctrina SS. Patrum et theologorum.

674. *SS. Patres docent panem et vinum transmutari in corpus et sanguinem Christi:* μεταστοιχειόσθαι (*Greg. Nyss.* supra n. 621), μεταβάλλεσαι (*Cyrill. Hier.* n. 623), μεταβρνίλμιζεσθαι (*Io. Chrys.* n. 626), μεταποιεφθαι (*Cyrill. Alex.* n. 627, *Ioan. Dam.* η. 628), converti, mutari (*S. Ambrosius* et auctor libri *De sacramentis* n. 630). — Porro clarissime indicant *terminum in quem* huius transmutationis esse corpus Christi in veritate (*Cyrill. Alex.*), corpus immortale (*Greg. Nyss.*), corpus flagellatum, crucifixum, illum ipsum sanguinem, qui ex Christi latere fluxerit (*Chrys.* n. 626, *Aug.* n. 633), corpus ex Virgine natum

(*Ambros.* n. 630). — Dicunt *terminum a quo*, i. e. panem et vinum, desinere esse; naturam eorum transelementari, ita ut maneant sola phaenomena (*Greg. Xyss.*), ita ut, quod videatur esse panis, non iam sit panis, et vinum apparens non iam sit vinum (*CyriU. Hieros.*), et species elementorum mutetur (*Ambros.*).

Tandem *illustrant hanc transmutationem* variis exemplis. Comparant eam cum conversione alimenti in corpus humanum (*Iustin. M.* n. 611), cum mutatione aquae in vinum (*CyriU. Hieros.*), cum conversione virgae in serpentem (*Ambros.*) etc. — Itaque Patres omnibus modis docuerunt et explicare studuerunt substantiam panis et vini per conversionem fieri substantiam corporis et sanguinis Christi. Licet igitur *verbo* transsubstantiationis non utantur, *rem* tamen manifeste docent (cf. *Franzelin* p. 224 sqq).

675. Neque minus clare transsubstantiationem docuerunt *theologi saec. IX*, i. e. Radbertus et adversarii eius (n. 642 sqq), inter quos omnino convenit panem verbis consecrationis ita in corpus Christi mutari, ut de pane non iam maneat nisi externa apparentia et figura.

676. *Fandem rem doceri ab omnibus scholasticis* est notissimum. Ita *Magister* (4, dist. 10 in fin. et dist. 11). In priore distinctione, postquam varia testimonia Patrum attulit, sic ait n. 3: «Satis responsum est haeticis... qui negant... panem in corpus et vinum in sanguinem mystica consecratione converti." *Scotum* iam audivimus (n. 671). Similiter *S. Thomas* docet contrariam doctrinam esse haeticam (3, q. 75, a. 2). Et idem unanimiter omnes scholastici dicunt, quamvis de variis quaestionibus ad hanc rem pertinentibus acerrime inter se disputaverint (cf. *Franzelin* p. 200 sqq).

677. *Immo etiam schismatici orientales idem docent.* Hoc unum testimonium addimus ex «orthodoxa confessione", approbata a synodo constantinopolitana (anno 1643) et apud schismaticos graecos et rusiacos pro libro symbolico habita. In interrogatione 107 de sacerdote consecrante dicitur: «Animadvertendum est, ut sacerdos habeat talem intentionem, quod ipsa vera substantia panis et substantia vini *transsubstantietvr* (*μεταβάλλεται*) in verum corpus et sanguinem Christi per operationem Spiritus Sancti, cuius invocationem facit tunc temporis hoc orando et dicendo: Mitte Spiritum Sanctum . . . Statim enim ad haec verba fit transsubstantiatio (*μετουσίωσι*), et transsubstantiatur (*ἀλλάσσει*) panis in corpus Christi verum, remanentibus solum speciebus (*ἀπομένονται μόνον τα ε'ιοη όπου φαίνονται*)' (*Schelstrate, Acta orient, eccl. I* 512 sqq).

678. *Tertium argumentum petitur ex liturgiis*, in quibus omnibus, nulla excepta, continetur professio fidei in transsubstantiationem

(supra n. 656 sqq). Incipiendo enim a liturgia Constit. apost. (l. 8, c. 12), in qua rogatur Deus: χαταπέμψ^ το άγιόν σου Πνεύμα . . . οπώ άποφήγγι τον άρτον τούτον σώμα του Χρίστου σου {M 1, 1104); haec vel similis forma transiit in permultas liturgias. Ita in liturgiis graecorum et armenorum Deus expresse rogatur, ut consecret panem et vinum: μεταβολών τω πνεόματι σου τω άγιω {Goar, Euch. 168).

679. Iam his omnibus consideratis recte dicit *Franzelin*: «Spectata consensione totius nominis christiani in universo orbe terrarum, consensione communionum ex multis saeculis nullo unitatis vinculo inter se cohaerentium, consensione in mysterio, quod hinc quidem est in publica et cotidiana usurpatione et praxi omnium fidelium, inde vero creditu difficillimum et supra rationem ipsique testimonio sensuum contrarium videtur, quis non intellegit, quantam vim demonstrationis prorsus ineluctabilem acquirat praescriptionis?» (De euchar. 210.)

Definitiones conciliorum et constitutiones pontificum.

680. *Conc. rom.* sub. Greg. VII (a. 1079) Berengario inter alia credendum praescripsit: «Panem et vinum, quae ponuntur in altari, per mysterium sacrae orationis et verba nostri redemptoris substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Domini nostri Iesu Christi» {Denz. n. 355).

Conc. lateran. IV (a. 1215): Iesu Christi «corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem, potestate divina» {Denz. n. 430) L Cf. *Deer. Innoc. III* (Deer. l. 3, tit. 41, c. 6 8; *Denz. n. 416 417*), *Confessio Mich. Palaeoi.* {Denz. n. 465), *Decretum pro armenis* {Denz. n. 698).

Conc. trid. (sess. 13, can. 2): «S. q. d. in sacrosancto eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, A. S.» {Denz. n. 884).

Pius VI (a. 1794) in constitutione «Auctorem fidei» contra synodum pistor, in art. 29 haec habet: «Doctrina synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis circa modum, quo Christus est in eucharistia, a quibus

1 Vox transsubstantiationis iam apud scriptores saec. XI et XII occurrit (cf. *Migne*, P. L. 172, 1291; 199, 1122; 207, 420; 210, 359 sq). *Hildebertus Lavadinus* primus ea usus esse dicitur *M* 171, 776; cf. ib. 535 sq; *H. Denifle*, *Luther und Luthertum II*, 612 sqq; *Der Katholik* 1908, II 417 sqq.

paro hos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus tantum his propositis: 1. Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus; 2. tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis seu conversionis totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam velut articulum fidei tridentinum concilium definivit, et quae in sollemni fidei professione continetur; quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis tum etiam vocis ab ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad eius oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica: perniciose, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transsubstantiationis, favens haereticis (*Denz.* n. 1529).

Explicatio huius dogmatis.

681. Ex dictis patet *transsubstantiationem esse speciem mutationis*. Mutatio enim est quilibet transitus a statu in statum, sive uterque terminus est positivus sive alteruter est negativus. Quia autem in consecratione uterque terminus a quo et ad quem est positivus, haec pertinet ad illam speciem mutationis, quae dicitur *conversio*. — Iam vero in conversionibus plerumque *forma* tantum **mutatur**, et quidem aut forma accidentalis, ut si lignum convertitur in mensam, aut forma *substantialis* (generatio), ut si corpus humanum convertitur in cadaver. Ut igitur significetur in sacramento altaris fieri conversionem non accidentalem sed substantialem, vocatur haec conversio *transsubstantiatio*; est enim transsubstantiatio conversio unius substantiae in aliam substantiam. Haec autem est conversio *sui generis*; nam ne in ipsa quidem conversione substantiali, quae accidit in rerum natura, tota substantia convertitur, sed una forma recedente alia accedit, dum materia eadem manet; hic vero *tota substantia transmutatur*.

682. Imprimis igitur *falsa est sententia Durandi* (In 4, dist. 11, q. 3): solam formam, non vero materiam panis transmutari. Docet enim aperte tridentinum fieri totius substantiae conversionem. Praeterea, si materia manens transiret in corpus Christi, corpus Christi augetur per singulas consecrationes, id quod absurdum videtur. Ideo sententia Durandi error in fide reputatur a gravissimis theologis (*Suarez* disp. 49, sect. 3, n. 6. Cf. *Tolet.*, In Sum. IV, q. 75, a. 4, q. 3, conci. 1).

683. Alius est error, qui *Ruperto Tuitiensi adscribitur*: substantiam panis manentem hypostatice uniri cum *Christo*. Hoc est falsum, tum quia hypostatica unio non est conversio substantiae in substantiam, tum quia inaudita est ulla unio hypostatica praeter Verbi incarna-

a

E-J

n
|
t
i'
||

tionem, tum quia verba Christi non manerent vera: *Τοῦτό ἐστὶ τὸ σῶμα μου τοῦ ὑπὲρ ὑμῶν ὠδόμενου, τὸ αἷμά μου τοῦ ὑπὲρ ὑμῶν ἐχχυνόμενον*; nam neque panem neque vinum dedit pro remissione peccatorum nostrorum sed corpus et sanguinem suum (cf. *Suarez* l. c. sect. 2, n. 3).

684. Tertius est *error cuiusdam loannis Parisiensis* iunioris (saec. XIV) docentis: manere quidem panem sed sustentari a corpore Christi, ita ut *caro Christi* sit hypostatice unita cum „panitate, et sic panis sit caro, sicut homo est Deus propter unionem hypostaticam. Negat tamen Deum esse panem, quia non immediate unitus est cum pane sed per carnem (*Franzelin* p. 263, nota). Per se patet hanc explicationem non satisfacere iis, quae ecclesia catholica docet de conversione totius substantiae panis in corpus Christi; quare *Toletus* (IV, q. 75, a. 2) vocat loannem haeticum. Dein arbitrarie haec sententia statuit mysterium plane novum, sci. posse unam substantiam, quae ipsa non est hypostasis, aliam substantiam hypostatice sustentare; immo haec videtur contradictio in terminis.

34

jHl

»

685. Affinis, nisi forte identicus, est *error cuiusdam doctoris recentis*, qui putat incompletam esse distinctionem in substantiam (ens in se) et accidens (ens in alio), medium enim esse conceptum naturae, quae non cum absoluta necessitate sit in se. Itaque posse naturam panis manere plane integram et immutatam, et tamen sustentari aliquo modo in corpore Christi, ita ut, natura panis manente quod erat, substantia panis esse desinat, quia panis non iam est in se (*Denz.* n. 1843 sqq). Hanc explicationem transsubstantiationis declaravit *congreg. s. inquis.* (die 7 iul. 1875, fer. IV) „tolerari non posse“. Et merito quidem; nam ecclesia semper docuit ita substantiam panis converti in corpus Christi, ut de pane nihil maneat nisi accidentia. Ergo quidquid non est accidens, post consecrationem non iam adest. Secus enim *verba institutionis* non essent vera, ut modo dictum est contra Rupertum. Praeterea haec sententia peccat contra sanam *philosophiam*; nam a ratione substantiae non solum excluditur actualis inhaerentia in subiecto, sed etiam aptitudo ad inhaerendum; aliter enim accidentia eucharistica essent substantia. Ergo quia de essentia substantiae est, ut inhaerere non possit, non potest fieri, ut retinens essentiam suam tamen inhaereat. Ceterum *novitas rei* ostendit esse figmentum inane, cum agatur de mera expositione conceptus, non de detectione novarum legum vel phaenomenorum physicorum.

4«

;*

Ob similes rationes reicienda est doctrina *Rosmini*, prop. 29 30 (*Denz.* n. 1919 sq).

686. His igitur erroribus reiectis *vera sententia est totam naturam et substantiam panis et vini per consecrationem desinere esse*, ita ut non

magis existat, quam si annihilaretur. Aon *tamen annihilatur substantia panis*; nam annihilatio est transitus ab esse ad non esse simpliciter. Verum panis non convertitur in nihilum, sed in substantiam corporis Christi. Ergo definitio annihilationis non verificatur (*S. Thomas* 3, q. 75, a. 3) Dein corpus Christi succedit substantiae panis; haec autem duo, desitio panis et successio corporis Christi, non mere temporaliter et localiter inter se cohaerent, sed *internus* nexus est. Sci. ideo et ideo solum moraliter vi verborum sacramentalium, physico vero per omnipotentiam divinam panis esse desinit, ut in corpus Christi transeat. Ergo actio divina respicit terminum a quo solum propter terminum ad quem; nam hunc alterum ita ponit, ut prior ille simul esse non possit; et sic habetur vere transitus unius termini in alterum in uno indivisibili instanti.

687. *Terminus autem formalis ad quem*, i. e. corpus Christi, existit quidem iam ante consecrationem, sed per consecrationem *novo modo existere incipit*. Ergo substantia panis ad hoc esse desinit, ut Christus sacramentaliter existere incipiat; neque in hoc ordine providentiae Christus aliter potest sacramentaliter existere, nisi ita ut per consecrationem panis (et vini) sub accidentibus panis (et vini) existere incipiat. Transsubstantiatio igitur respectu praesentiae Christi sacramentalis est absolute necessaria et unica via, qua Christus sacramentaliter praesens fieri potest. Quamvis autem in omni vera conversione terminus ad quem dependenter a termino a quo aliquem novum existendi modum accipiat, non tamen simpliciter novam ex-

| Posteriores quidem scholastici interdum loquantur de annihilatione panis et vini, sed addunt non esse annihilationem proprie dictam, quippe quae terminetur in purum nihilum, cum in hoc sacramento substantia panis et vini desinat in corpus Christi. Itaque per illam vocem annihilationis nihil aliud volunt indicare nisi substantiam panis et vini non iam esse aliquid, sed totaliter conversam esse in corpus et sanguinem Christi. Cum vero actiones divinae non distinguantur nisi ratione terminorum, recte dicimus Deum annihilare, quatenus cessat conservare; et haec cessatio conservationis panis et vini formaliter ut cessatio non est id, quo corpus Christi praesens fit. Si res ita explicatur, in omnium sententia transsubstantiatio est necessario destructio unius substantiae et subrogatio alterius, neque video, quomodo possit aliquis, nisi valde leviter rem attingens et in cortice verborum haerens, statuere realem oppositionem inter doctrinam S. Thomae supra laudatam et e. g. haec *Lessii* verba: „Circa substantiam panis et vini primum miraculum est, quod hae substantiae vi consecrationis funditus pereant et *reluti* annihilentur; quamvis non solemus dicere annihilari, eo quod haec desitio ex intentione divina non sistat in nihilo, sed dirigatur ad positionem corporis Christi. Verum hoc ad modum loquendi spectat; nam quod ad rem attinet, nihil omnino substantiae panis manet. . . . Nam quod aliud succedat, non est ex vi illius desitionis; haec enim solum tendit per se ad nihilum et non esse; sed alterius actionis coniunctae, qua ponitur corpus Christi (De perf. div. 1. 12, c. 16, n. 109). Verissime! Quamquam enim est una simplex actio, qua Deus convertit panem in corpus Christi, est tamen duplex terminus huius actionis: desitio panis et positio corporis Christi, et sub hoc respectu duplex actio divina distingui potest.

sistentiam eum accipero nocuisse est; terminus autem a quo, i. e. panis substantia, simpliciter esse desinit, sed desinit non in nihilum sed in corpus Christi.

688. *In eucharistia de facto saltem terminus totalis ad quem, i. e. sacramentum corporis Christi, aliquid commune habet cum termino totali a quo, qui est substantia panis cum accidentibus.* Manent enim ipsa accidentia, quae essentialiter pertinent ad sacramentum. Utrum autem possit concipi vera conversio necne, in qua nihil realitatis commune habeat terminus totalis ad quem cum termino totali a quo, disputatur inter doctos. Negant *Suarez* (disp. 50, sect. 2, n. 16) et card. *De Lugo* (De euch. disp. 7), affirmat card. *Pallavicinus* (Curs. theol. 1. 6, c. 19). *S. Thomas* ait: „In mutatione qualibet requiritur, quod sit aliquid idem commune utrique mutationis termino" (De pot. q. 3, a. 2).

Card. *Franzelin* putat conversionem fieri sensu magis proprio, si commune tertium sit in utroque termino: „In omni enim conversione oportet vere dici posse: hoc, quod erat A, nunc est B" (p. 193 sqq). Sed hoc praecise negat card. *Toletus*: „Illud idem, quod erat panis, non est corpus Christi post conversionem", et rationem reddit, quia panis desinit esse ens; quod autem non est ens, non est corpus Christi, quia nihil potest esse simul non-ens et aliquid (IV, q. 75, a. 4, q. 3, conci. 1; cf. totus art., in quo conceptum transubstantiationis clarissime exponit). Ceterum hae propositiones: quod fuit A, nunc est B; A factum est B, vel ex A factum est B — possunt habere multiplicem sensum. Per se patet numquam intellegi illam ipsam formalitatem specificè sumptam, quae antea fuit A, nunc esse B. Haec enim est contradictio in terminis, et hoc sensu propositionem reicit *Toletus*. Plerumque autem his propositionibus significatur manere commune subiectum, ut: nigrum factum est album, vel saltem communis materia, ut: cibus factus est corpus humanum. Sed in sacramento altaris non est commune subiectum neque communis materia in utroque termino. Ergo ne hoc quidem sensu panis fit corpus Christi. Quia nihilominus manent accidentia, et nomine panis potest magis indeterminate significari id quod est sub accidentibus, propterea potest hoc sensu dici: quod antea erat panis, nunc est corpus Christi, sci. sub iisdem accidentibus nunc est corpus Christi, sub quibus antea fuit panis (*S. Thorn.* 3, q. 75, a. 8).

Hoc idem sine dubio vult *Caietanus* exprimere dicendo et iterum iterumque inculcando panem per consecrationem non annihilari, sed post consecrationem corpus Christi (eucharisticum) esse id, quod antea erat panis, consequenter quod erat panis, esse nunc corpus Christi, et substantiam illam, quae erat panis, nunc esse corpus Christi. Scilicet etsi substantia panis non manet, tamen si substantia generice sumitur, prout est nomen commune omnis rei, quae substantia est,

potest recte dici: Substantia, quae erat panis, nunc est corpus Christi (In 3, q. 75, a. 3, n. 8 sqq et a. 4, n. 5). Quae doctrina bono sensu accipi potest, sed modus loquendi non placet, quia incauti nimis facile decipiuntur, putantes secundum Caietanum aliquam entitatem, quae antea fuerat panis, eadem numero manere et nunc esse corpus Christi, quae esset doctrina falsa et contra mentem S. Thomae, qui diserte docet panem et corpus Christi nihil habere commune nisi eadem numero accidentia, cum substantia panis corrumpatur: „In hac conversione non solum est difficile, quod hoc totum convertatur in illud totum, ita quod nihil prioris maneat . . . sed etiam habet hoc difficile, quod accidentia remaneant corrupta substantia“ (3, q. 75, a. 8 ad 3). In transsubstantiatione fieri corruptionem substantiae panis et vini S. Thomas constanter docet, ut in 4, dist. 11, q. 1, a. 3, sol. 1 et aliis locis. Etsi quidam illam falsam doctrinam Caietano tribuerunt et impugnarunt, tamen melius videtur cum Suarez iudicare Caietanum non esse ita intellegendum (De euch. disp. 49, sect. 4, n. 2 9). Cf. I. M. Piccirelli, Disquisitio dogmatica, critica, scholastica, polemica de catholico intellectu dogmatis transsubstantiationis, Neapoli 1912, qui diligentissime discutit quaestionem de destructione substantiae panis et vini, praecipue p. 219 sqq.

689. Itaque *quod essenziale est in transsubstantiatione, est hoc: quod substantia panis destruitur per positionem corporis Christi tali modo factam*. Quod reddit hanc conversionem magis propriam, est permanentia eorundem numero accidentium. Si vero etiam accidentia destruerentur et plane alia producerentur, posset eatenus dici conversio, quatenus una eademque actio divina ita versaretur circa terminum a quo, ut eo ipso poneretur terminus ad quem, et consequenter haec actio non posset pertingere ad terminum ad quem, nisi trans-eundo per terminum a quo. Contra, si Deus una actione destrueret terminum a quo et alia plane nova et distincta actione poneret terminum ad quem, non esset vera conversio. Haec enim non consistit in eo tantum, quod unum desinit et alterum ponitur, sed in eo, quod per desitionem unius alterum ponitur. Ergo per verba „Hoc est corpus meum“ corpus Christi ita ponitur, ut substantia panis non possit manere; non quia hae duae substantiae simul esse nequeunt, sed quia actio divina respondens illi propositioni practicae non potest aliter ponere corpus Christi nisi destruendo substantiam panis; conversio autem non denominat naturam terminorum sed naturam *actionis* et effectus.

His igitur positis iam evidens est, *quomodo dogma transsubstantiationis tria contineat*: praesentiam Christi, desitionem panis, conversionem panis in corpus Christi. Unde recte concludit Suarez: „Si quis confiteatur praesentiam Christi et absentiam panis, neget tamen veram conversionem unius in aliud, in haeresim labi, quia ecclesia catholica non solum duo priora sed etiam hoc tertium definit ac docet; . . . si

quis tamen, confitendo rem totam, vocem transsubstantiationis abiceret ut ineptam et barbaram, in re ipsa non existimo esse haereticum, quia usus vocis per se non pertinet ad obiectum fidei; esset tamen valde temerarius, scandalosus et pias aures offenderet, ac denique in externo foro esset vehementer de haeresi suspectus" (disp. 50, sect. 1, n. 5).

690. *Difficultates* quaedam ab adversariis nostris contra doctrinam nostram proferuntur ex SS. Patribus, quarum quaedam sunt merae nugae, ut si pro sua sententia afferunt, quod *Theophylactus* (In Mare. 14, 22; cf. In Matth. 26, 26) dicit: Deus panem et vinum *ει δύναμιν σαρχο και αίματο μεταστοιχειοί*. Ergo, inquiunt, eadem est in eucharistia transmutatio atque in aliis sacramentis, quae vim quandam supernaturalem accipiunt, non in aliam substantiam convertuntur. Verumtamen *δύναμι* apud scriptores graecos non raro idem est ac substantia vel natura. Ita dicunt tres personas divinas esse *μίαν δύναμιν*; cf. 2 Tim 3, 5, ubi etiam *δύναμι* ponitur pro re ipsa. Ceterum textus Theophylacti est splendidissimum testimonium pro nostra doctrina: „Hoc est corpus meum, hoc, quod nunc sumitis. Non enim figura vel exemplar dominici corporis panis est, sed in illud ipsum corpus Christi convertitur. Dominus enim dicit: ‚Panis, quem ego dabo, *caro* mea est.‘ Non dicit: Figura est carnis meae, sed: caro mea est. Et iterum: ‚Nisi manducaveritis *carnem* Filii hominis/ Et quomodo hoc? inquit aliquis; caro enim non videtur. Propter nostram infirmitatem, o homo! Quia enim panis et vinum nobis usitata sunt, sanguinem et carnem proposita videntes non id ferremus, sed abhorreremus. Idcirco benignus Deus condescendens nobis speciem (*είδο*) quidem panis et vini conservat, in vim (*δύναμιν*) autem carnis et sanguinis transelementat" (3/ 123, 650; cf. ib. 443). Ergo *δύναμι* et *είδο* inter se opponuntur.

691. Porro provocant ad hoc, quod Patres interdum vel contra monophysitas vel contra apollinaristas dicunt *manere in eucharistia substantiam vel naturam panis et vini*. Sed imprimis SS. Patres per vocem substantiae vel naturae interdum significant accidentia naturae. Exempla apud *Franzelin*, De euch. 136. Naturam igitur intellegunt, ut ipsi loquuntur: *ουσίαν* vel *ιρύσιν αίσθητην*. Ita in Dialogo „Eranistese *Theodoret*i, quem adversarii pro se citant: „Neque enim post sanctificationem mystica symbola a natura sua recedunt. Manent enim in prioris essentiae et figura et forma et videri et tangi possunt, qualia prius erant. Intelleguntur autem [ea esse], quae facta sunt et creduntur et adorantur, utpote quae sunt illud, quod esse creduntur" (*M* 83, 167) \ Similiter *scriptor epistulae ad Caesarium* (inter opera

1 Theodoretus in eodem dialogo immediate fere post verba supra citata contra inonophysitas invocatur auctoritatem Gregorii Nyss., Chrysostomi, Ambrosii, aliorum

S. Chrysost.; *M* 52, 758): «Antequam sanctificetur panis, panem nominamus: divina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, et non sunt duo corpora, sed unum corpus Filii praedicamus/ Atqui si maneret substantia panis secundum opinionem lutheranorum, iam essent duo corpora.

Similiter indicandum est de tractatu quodam (non plane indubie authentico) *Gelasii*, qui item contra monophysitas ait: Sicut in eucharistia „esse non desinit substantia vel natura panis et vini" et tamen in ea „divina res est", „ut sicut in hanc, scilicet in divinam, transeant, Sancto Spiritu perficiente, substantiam permanentes tamen in sua proprietate naturae", ita Christus, etsi ex duabus naturis constat, est tamen una persona (*Thiel*, Ep. roman, pontificum 541 sq). Thiel ibi in nota advertit hac comparatione reici quoddam argumentum raonophysitarum, qui dicebant: sicut in eucharistia tota res panis et vini in Christum convertitur, ita in incarnatione tota humana natura in Deum conversa est. Respondebant catholici: transit quidem panis et vinum in rem divinam, manet tamen eorum sensibilis natura vel substantia, i. e. proprietatum congeries. «Gelasius hanc qualitatum congeriem *substantiae* et *naturae* nomine donat, graecos, maximeque Theodoretum imitatus, apud quos vocabulorum *φύσι*, et *οὐσία* idem usus est" (ib. 542 nota).

Vult quidem *Batiffol* (*Études d'histoire ...* II, 3. éd.) hac expositione destrui totam vim responsi contra monophysitas eamque pugnare cum modo loquendi illius aetatis. Sed neutrum recte dicitur. Nam accidentia panis et vini, quae manent post consecrationem, sunt vere res numero et natura distincta a corpore Christi. Hoc autem sufficit ad refutandum argumentum monophysitarum. Theodoretus (l. c. 83, 167) diserte loquitur de rebus, ut sunt visibiles et tangibiles (*ορατά xai φατά*). Has autem sensibiles qualitates vocant Patres *φύσιν*, quando e. g. dicunt post resurrectionem naturam corporis Christi mutatam esse (*Gregor. Nyss. in Antirrheth. n. 57; Athanasius orat. 3 contra arianos n. 48* et alii apud *Franzelin* l. c.: cf. ib. p. 247 sqq).

692. *Schol.* Quid sit transsubstantiatio active spectata.

Alii dicunt esse actionem adductivam, alii esse reproductivam. *Adductio* in eo consistit, quod res, quae antea solum erat in caelo, praesens fit sub speciebus panis secundum aliquem modum unionis, quem postea magis explicabimus. *Adductio* igitur necessario supponit corpus Christi iam existere, illudque praesens reddit non deferendo

(.If 83, 169 sqq), qui diserte docent conversionem panis et vini; atqui certe noluit horum Patrum doctrinae contradicere. Cf. de hac quaestione *I. Lebreton* in Report of the nineteenth Eucharistic Congress, held at Westminster 1908, London 1909, 326 sqq.

per motum localem de caelo, sed simpliciter addendo novam praesentiam sacramentalem ad priorem caelestem. Hanc sententiam docuerunt *Scotiis* (In 4, dist. 10, q. 1 et dist. 11, q. 3) et „sequuntur omnes scotistae, In 4, dist. 10 11“, inquit *Suarez* (disp. 50, sect. 4, n. 2; cf. *Bosco*, De euch. sect. 4, conci. 4 et 5, praecipue n. 156), qui etiam docet huic sententiae favere Halensem et Bonaventuram. „Denique moderni scribentes contra haereticos libenter hanc sententiam complectuntur, quia facilitatem quandam prae se fert/ Itaque ex „modernis“ hanc sententiam defendunt *Toletus*: „Dico esse veram transsubstantiationem et terminari in corpus Christi non ei dando esse simpliciter, sed ipsam substantiam sub sacramento collocando“ (In 3, q. 75, a. 4, q. 3, conci. 2); *Bellarminus* (De euch. 1. 3, c. 18); *Gregorius de Valentia* (De euch. disp. 6, q. 3, punct. 3); *Vazquez* (disp. 182, c. 13, n. 147); *De Lugo* (De euch. disp. 7, sect. 6, n. 89); praeterea *Oviedo*, *Becanus*, multi alii. Hi quidem auctores inter se differunt loquendi modo et quoad quaestiones accidentales; convenit autem inter omnes transsubstantiationem non fieri per aliquam productionem vel conservationem corporis Christi, sed per solam introductionem corporis Christi sub species sacramentales. Hanc introductionem dicit *De Valentia* fieri producto aliquo modo unionis Christi cum accidentibus panis; *Vazquez* per aliquam relationem substantiae panis ad corpus Christi; cardinali *De Lugo* displicet nomen adductionis, et melius ei videtur dici actio constitutiva corporis Christi sub speciebus. Hac autem actione constitutiva nulla prorsus fit mutatio in ipso Christo, sed ut ait *S. Bonaventura*: „Fit, ut, quod erat alicubi, sine mutatione sit alibi“ (In 4, dist. 10, p. 2, a. 1, q. 1). Videlicet per adductionem Christus recipit solam indistantiam ad species sacramentales, quae indistantia non mutat Christum, sed conotat externum terminum. Si vero in hac re apparet aliquid, quod positive capere non possumus, in memoriam revocandum est agi de mysterio fidei.

693. *Reproductionem* imprimis defendit *Suarez*, qui dicit: „substantiam corporis Christi esse terminum huius actionis, quia verba consecrationis revera influunt de facto ipsum esse substantiale in corpus Christi, et consequenter habent veram actionem substantialem, quae nunc dicitur esse per modum conservationis, quia aliunde supponitur eadem esse res alibi antea existens, et in hunc modum posset illa actio dici esse sufficiens productio termini, si alibi non esset; nunc vero de facto solum habere rationem conservationis“ (disp. 50, sect. 4, n. 10). Est ergo reproductio actio eiusdem virtutis ac creatio. Quam sententiam tenent *Lessius* (De perf. div. 1. 12, c. 16, n. 114 sqq), *Arriaga* (De euch. dist. 35, sect. 1), *Coninck*, *Petrus Hurtado*, *Tanner*, *Franzelin*, alii et thomistae communiter. S. Thomam, qui hanc rem ex professo non tractavit, utraque pars pro sua sententia citat (3, q. 75, a. 2 et q. 78, a. 5). Itaque ex auctoritate quaestio dirimi nequit.

334 Tr. IV. De eucharistia. Sectio 1. De reali praesentia Christi in eucharistia.

694. Supponimus hic ex philosophia probatum neque adductionis neque reproductionis internam repugnantiam probari posse, ubi hoc notandum est eos sine dubio docere contradictoria, qui haec tria simul statuunt: a) Deum non posse adhibere ullum instrumentum physicum ad creandum; b) formam sacramenti esse causam physicam instrumentalem!; c) verbis „Hoc est corpus" reproduci corpus Christi. Qui vero vel primam vel secundam propositionem non docent, sine contradictione tertiam admittere possunt.

695. *Praeferendus videtur modus explicandi transsubstantiationem per adductionem*; nam reproductio ex una parte non sufficit, et ex altera parte difficultates non necessarias creat.

Non sufficit reproductio; nam non eo, quod corpus Christi reproduci-
tur, substantia panis in illud mutatur, sed eo solum, quod corpus
Christi succedit substantiae panis in ordine ad eadem accidentia; ergo
praeter reproductionem reduplicative sumptam requiritur necessario
adductio, sive sit ab ea realiter distincta sive non distincta.

Praeterea illa reproductio debet a Deo fieri (secundum systema
causalitatis moralis, et quia nulla creatura potest creare); sed actiones
divinae non multiplicantur nisi terminative. Porro corpus Christi non
multiplicatur secundum substantiam, sed eadem numero substantia
corporis Christi est in sacramento et in caelo. Ergo sola reproduc-
tions corpus Christi non potest pluries poni, nisi in quantum reproductio
adiunctam habet adductionem; et sic praecise ratione adductionis
corpus Christi multilocatur. Aliis verbis: productio (passive sumpta)
et res producta est idem; ergo ubi una res producta est, non possunt
esse plures productiones, nisi in quantum terminantur ad substantiam
diversis locis ponendam. Quia igitur ex una parte etiam reproductio
ideo solum sufficit, quia per eam corpus Christi ponitur loco substantiae
sub speciebus, et quia ex altera parte haec positio sub speciebus sola
pro se sufficit, non apparet, cur recurramus ad tam difficilem con-
ceptum ad explicandum hoc mysterium (cf. *Vazquez* disp. 181, c. 6 sqq;
De Lugo disp. 7, sect. 2, n. 21 sqq).

\$51*
U»*.

696. *Non requiritur reproductio, sed sufficit adductio*, quia verba
Christi nihil aliud postulant. Qui enim dicit: „Hoc est corpus meum",
nihil aliud vult significare nisi corpus suum, quod iam antea existebat,
esse etiam sub illis speciebus, quas praesentes ostendit. Utrum autem
hoc corpus sit denuo creatum an alio modo sub his speciebus positum,
verba non enuntiant. Sancti vero Patres et ecclesia collegerunt doc-
trinam transsubstantiationis ex illis verbis Christi; ergo nihil aliud
voluerunt docere, nisi quod ad verificanda verba Christi requiritur.
Praeter hoc vero statuere nova miracula ad minimum est multiplicare
entia sine ratione. Admissa autem sola adductione etiam evitatur
illa inconvenientia, ut dicendum non sit corpus Christi corruptis spe-

ciebus destrui; nam si vere in sacramento est reproductum, tunc etiam vere actione correspondente destruitur, licet non simpliciter, quia alibi pergit exsistere.

697. Illud unum notandum superest, quomodo in theoria adductionis respondendum sit ad quaestionem, *quidnam efficiat adductio*, cum omnis actionis terminus aliquis assignari debeat. Respondemus adductionem efficere id, quod in corpore requiritur, ut hanc partem spatii et haec accidentia conotet. Quid autem hoc sit, disputatur inter philosophos. Evidens est esse aliquid, quod requirat positivum influxum alicuius agentis. Corpus enim eo ipso, quod limitatum et iners est, conotat necessario certam partem spatii et ex se quidem immobiliter. Si per motum localem ex hoc spatio movetur, hoc fit per vim, quae inertiam superat; statim atque haec vis cessat, status quietis redit, et corpus immobiliter illud spatium occupat, in quo tunc est. Iam alii dicunt vim locomotivam efficere in corpore realem modum, quo corpus fiat *Bubie*, alii hoc negant et dicunt „ubi“ nihil esse nisi corpus ex una parte et hanc indistantem partem spatii ex altera parte. *Motus igitur in hac sententia nihil efficit nisi indistantiam*. Indistantia autem non est ens aliquod positivum substantiae rei superadditum; id quod inde quoque patet, quod motus localis semel corpori inditus per se in aeternum durat, et sic deberet sine fine nova entia producere, si ubicationes essent realitates substantiae superadditae. Cum autem hoc repugnare videatur virtuti creatae, dicendum est neque motum neque quietem quicquam reale producere, sed esse diversos status naturae corporeae. Quamvis autem status quietis, si formaliter consideratur, semper sit idem, tamen, si causaliter consideratur, est diversus; videlicet haec determinata quies post motum est resultantia certarum virium inter se pugnantium et tollentium. Itaque quod aliquod corpus est in hoc spatio, inde factum est, quod vel ibi creatum est, vel quod tales vires in hoc corpus egerunt et se invicem ita impugnarunt, ut hic status quietis redierit. Si quis autem hunc statum quietis post motum vult modaliter distinguere a statu quietis, qui fuit ante motum, habeat sibi.

698. Nos solum dicimus in consecratione Deum efficere sine motu locali, quod in naturali ordine motus localis efficit, sci. *Deus dat corpori Christi indistantiam ad hoc spatium et ad haec accidentia*. Et sic potest dici corpus Christi effici, produci, creari, non simpliciter sed sacramentaliter, quia eo ipso, quod ponitur sub speciebus, accipit existendi modum, quem antea non habebat. Ergo simili modo haec res est cogitanda, sicut si in ordine naturali anima crescente corpore novum spatium occupat, non relicto priore, vel sicut angelus potest maius spatium occupare, quam antea occupavit, non creando se denuo, sed adducendo substantiam suam in novum spatium et manens simul

in priore. Neque ulla ratio est dicendi posse angelum vel animam in continuum spatium tantum extendi, non vero in spatiis discontinuis simul existere; immo cum probabiliter in corpore humano nihil sit continuum nisi atomi, probabiliter quoque anima simul secundum totam substantiam in variis locis disiunctis existit. Quod igitur spiritus creatus intra certam sphaeram naturaliter potest, hoc corpus Christi per omnipotentiam divinam supernaturaliter potest. Forte quis dicat sibi haec omnia videri nimis subtilia et convenientius esse manere in simplici professione fidei, secundum quam substantia panis convertitur in corpus Christi. Qui ita loquitur, utitur iure suo. Si vero ultra procedit et dicit has explicationes esse absurdas et a recta dogmatis intellegentia alienas, affirmat, quae probare nequit, atque non multis et magnis illis theologis, qui has explicationes tradiderunt, sed sibi soli notam inurit. Sed haec sufficient, quia quaestio de ubicatione est philosophorum*.

ART. III.

DE OBJECTIVA REALITATE SPECIERUM SACRAMENTALIUM.

Prop. LXX. Speciebus eucharisticis obiectiva realitas convenit.

699. Testimonio sensuum constat in sanctissimo sacramento *etiam post consecrationem manere eadem phaenomena sensibilia, quae antea aderant*, sci. figuram, colorem, saporem etc. panis et vini. Cum haec phaenomena non iam sustententur substantia panis et vini, a priori *duplici vel triplici modo possumus ea explicare*. Aut enim dicimus manere eadem numero accidentia, quae antea inhaerebant substantiae panis et vini, aut dicimus obiective quidem illa accidentia non adesse, attamen in sensibus nostris easdem a Deo causari affectiones, quae antea accidentibus panis et vini causabantur, et quidem iterum aut Deus immediate sensus nostros ita excitat, ut subiectivas tantum affectiones habeant, aut undulationes aëris et aetheris vel generatim obiectivam resistantiam producit, qua sensationes nostrae causentur. Si hoc altero modo res explicatur, negandum est manere in eucharistia eadem numero accidentia panis et vini, quae antea fuerunt, quamvis concedendum sit manere eadem accidentia indeterminate sumpta, seu manere eadem phaenomena sensibilia.

700. *Omnis explicatio, quae non admittit eadem numero accidentia, inaudita fere erat in theologia usque ad saec. XVIII.* Censebant enim veteres philosophi et theologo qualitates sensibiles esse quasdam formas obiectivas, quae per species ad sensus pervenirent. Quodsi verum est, necessario dicendum est: ubicumque sensationes fiant, quae non

1 Cf. *T. Peach*, Instit. philos, nat. *, Friburgi Brisg. 1897, n. 472 sqq : *H. Haan*, Philos, nat.l, ib. 1898, n. 51 sqq.

Art. 8. De obiectiva realitate specierum sacramentalium. Prop. LXX. 337

sint affectiones mere subiectivae, etiam esse formas obiectivas, quarum species in sensus recipiantur. Postea vero physici coeperunt sensationes explicare per undulationes, quibus sensus nostri tangantur. Ergo secundum *modernos in omni sensatione tria habentur: ex una parte existit substantia mota; ab hac substantia aër et aether motus accipiunt, quos transferunt ad sensus; deinde sensus his motibus tacti determinatas sensationes experiuntur. Iam si substantia perit, etiam omnes hi motus naturaliter pereunt, Deus tamen eos conservare potest; nam quidquid in genere causae efficientis possunt causae secundae, hoc idem potest etiam causa prima.

701. Hunc philosophandi modum quidam theologi et philosophi catholici ad eucharistiam applicaverunt, et dixerunt per transsubstantiationem destrui totam substantiam panis cum omnibus suis accidentibus, utpote ab ea non realiter distinctis, *Deum autem sua immediata operatione in aethera vel aëra et in sensus nostros et etiam in alia corpora eosdem motus imprimere, quos antea imprimebant panis et vinum.* Inter defensores huius sententiae referuntur *Maignan, Saguens, Perrimezzi* et aliquo modo *Drouin* et *Witasse* (*Franzelin* p. 277). *Sardagna* (De euch. n. 229) vero et *Perrone* (De euch. c. 1, § 119) putarunt hanc quaestionem non esse theologicam, sed posse philosophis committi; ergo significant utramque sententiam posse cum fide conciliari.

702. Nostra aetate *Tongiorgi*, etiam secutus physicos *modernos hanc hypothesim construxit: per consecrationem perire panis substantiam cum omnibus accidentibus inhaerentibus; *Deum autem obiectivam illam resistantiam conservare*, quae antea a resistendi vi, i. e. a panis substantia, procedebat. „Fac itaque, sublata v. g. panis substantia, divinam virtutem efficere, ut in loco, ubi erat panis, intraque eosdem limites, resistantia habeatur eodem modo atque ordine, quo a panis illius atomis atque moleculis exercebatur. Ex hoc ilico habebis extensionem mobilem atque divisibilem, similem in omnibus extensioni panis; habebis eandem figuram, cohaesionem, duritiem ceterasque qualitates generales et speciales, quas panis prae se ferebat. Accedent undae luminosae, et in illa superficie eodem modo modificabuntur ac diffundentur ac prius a superficie panis. . . . Hinc tactus, visus, gustus in ea extensione reperient eadem, quae antea reperiebant. . . . Immo non solum humani sensus sed et aether et aër et corpora cetera, si sensus essent capacia, apparentes illas moleculas apparensque illud corpus a veris moleculis veroque corpore non distinguerent (Cosmol. n. 237).

703. *Palmieri* hanc hypothesim facit: „Supponimus substantiam panis et vini non esse nisi materiam ponderabilem sicut et cuiusque corporis naturalis. Scimus autem atomos corporum immersas veluti esse intra materiam imponderabilem, quae sinus omnes corporis pervadit, quaeque cohaerentes tenet partes seu atomos corporis. Fac igitur

desinere omnem substantiam panis et vini, *Deumque efficere, ut materia imponderabilis, quae illis commixta erat, sensibiliter resistat* in eodem spatio, quemadmodum prius resistebat corpus; habebis eadem phaenomena et quidem obiectiva, hoc est a causa existente a parte rei determinata, quae prius habebas (CosmoL th. 26, p. 183 sqq).

Alii docent secundum principia theologica *species sacramentales esse ^aliquid physicum reale remanens ex pane et vino*“, quamvis quaestio, ,quomodo §int sit formaliter philosophica. Ita card. *Franzelin* et communiter theologi.

704. *Itaque triplex instituenda est quaestio:*

- a) num species habeant realitatem physicam;
- b) num species sint eadem numero accidentia, quae antea fuerunt in pane et vino;
- c) quomodo aliqua saltem ratione haec ,accidentia sine §ubiecto explicari possint. — Duae tamen priores quaestiones per modum unius solventur propositis iis, quae Traditio de hac re docet.

705. SS. Patres saepe significant esse in eucharistia duas res: unam terrenam, alteram caelestem; unam sensibilem, alteram intellegibilem. Ita *S. Irenaeus* (n. 612) | *S. Cyrill. Hieros.* (n. 623), *S. Ioan. Chrys.* (Hom. 82 in Matth.), *S. August.* (n. 632 sq 637), alii. Rem autem visibilem vocant typum, figuram, signum corporis Christi. Immo, ut in praecedenti thesi vidimus, interdum dicunt manere naturam vel substantiam (sensibilem) panis et vini, et hac re tamquam principio utuntur ad refutandos monophysitas, qui abutebantur dogmate transubstantiationis ad ostendendum in Christo humanam naturam esse conversam in divinam, et qualitates sensibiles Christi esse res phantasticas.

706. Saec. IX in disputationibus de eucharistia omnes tamquam certum supponebant in eucharistia esse duas res: corpus sci. Christi et species panis et vini, cum ad naturam sacramenti omnino requireretur, ut aliquid reale adesset, quod esset signum rei sacrae (n. 642 sqq).

Eidem principio insistebant, qui *contra Berengarium* scribebant, ut *Lanfrancus*: ,Hoc est, quod dicimus, hoc modis omnibus contra te et sequaces tuos approbare contendimus, sacrificium sci. eucharistiae duobus confici, duobus constare: visibili elementorum specie et invisibili Domini Iesu Christi carne et sanguine, sacramento et re sacramenti’ (De corp, et sang. Christi c. 10; *M* 150, 421). *Algerus*: ,Cum in sacramento forma panis, soliditas, color, sapor sentiatur, vel verum hoc esse vel phantasticum dicitur. Sed absit, ut perfecta veritas phantasiae fallacia adstruatur. . . . Alioquin si ex phantasia et veritate sacramentum Christi confici creditur, iam confectio non

| Alii verba Irenaei intellegunt de humanitate et divinitate Christi (cf. *Batiffol*, *L'Eucharistie* | 176 sqq).

erit, cum ox aliqua re et nulla confectio constare non possit. Conficitur ergo sacramentum ex vero corpore Christi et sanguine, et ex veris speciebus panis et vini" (De sacram, corp, et sang. Dom. 1. 1, c. 7; *Si* 180, 759. Ib. 343 aliud simile testimonium *Gulielmi*, abbatis S. Theodorici). Idem docuerunt *Hildeburtus*, episc. cenoman., *Guitmundus* (*M* 149, 1450; cf. 1481), alii.

707. Scholasticos omnes docuisse manere in eucharistia accidentia sine subiecto nemo est qui neget. *Albertus M.* (De euch. dist. 6, tract. 1, c. 3, n. 4) ait: „Dicendum est, quod in veritate in sacramento remanent accidentia panis et vini sine omni substantia illis accidentibus subiecta» quam ipsa afficiunt accidental!; *S. Bonaventura* (In 4, dist. 11, p. 1, a. 1, q. 2); *S. Thomas* (3, q. 77, a. 1); *Ocham* (In 4, dist. 11, q. 6); *Biel* (In 4, dist. 12, q. 1). Post conc. trid. *Dom. Sotus* (In 4, dist. 11, q. 2, a. 1) scribit: „Accidentia panis et vini relinquuntur in hoc sacramento sine subiecto. . . . Praesentem conclusionem quippe, cum catholica sit, nefariae esset haeresis negare! *Toletus* docet: „In hoc sacramento remanent species panis et vini, i. e. accidentia ipsa. . . . Ista conclusio est de fide! (De euch. q. 75, a. 5). *Suarez* dicit: „Manere aliqua accidentia panis et vini consecratione peracta, quod non solum fide certum est, sed etiam sensibus est manifestum. . . . Ad hanc ergo certitudinem [sensuum] satis est, ut naturaliter sit evidens ibi non posse esse deceptionem, et alioquin nullum sit fundamentum fingendi miraculum [quo producantur accidentia apparentia tantum]; praesertim cum illud fingere contra fidem sit et contra veritatem sensibilis sacramenti (De euch. disp. 56, sect. 1, n. 1; cf. ib. Comment, in q. 77, a. 1). Hanc rem esse de fide docent etiam *Vazquez* (disp. 194, c. 1), *De Lugo* (disp. 10, sect. 1, n. 1), similiter thomistae, ut *Gonet* (disp. 6, a. 1, n. 2), scotistae (cf. *Bosco*, De euch. sect. 6, n. 2 3); immo omnes usque ad saeculum XVIII fere; et postea longe plurimi paucis exceptis.

708. Horum theologorum dicta qui inspexerit, facile colliget saepe quidem eos provocasse ad testimonium sensuum, quo constaret realitas accidentium; attamen ex altera parte eos non minus putasse *permanentiam accidentium panis et vini esse certam de fide*: PHaec accidentia, quae in hoc sacramento videntur, esse eadem numero, quae in pane et vino praefuerunt . . . est res certa in doctrina fidei (*Suarez* 1. c. n. 1). Et ratio eorum est, quia ex una parte nulla omnino substantia potest illis accidentibus subesse praeter corpus Christi et ex altera parte realia accidentia requiruntur ad veritatem sacramenti. Multi etiam sentiunt nullam posse esse veram conversionem, in qua non ambo termini aliquid commune habeant.

Omnium diligentissime in priscorum theologorum de hac re opinionem inquisivit *Thcoph. Baynaudus* S. J. in opusculo, cui titulus: „Exuviae panis et vini . . . Lucubratio . . . qua ostenditur esse veras

qualitates, tum a spectris sensuum ludificantibus tum a substantiis intra poros panis existentibus realiter distinctas (Opera, edit. Lugd. 1665, VI 407 sq). Dicit: „Omnes ad hanc diem catholici doctores ut indubitatum habuerunt species sacramentales esse accidentia sensibilia panis et vini, quae destructis per consecrationem eorum substantiis perseverant* (sect. 1, punct. 2, p. 427). In puncto 7, sect. 2 affert ultra triginta theologos, qui sententiam de intentionalibus tantum speciebus haereticam habeant (p. 455 sqq). Similiter magno theologorum numero nixus censet doctrinam de permanentia alicuius substantiae, cui accidentia inhaereant, esse haereticam (sect. 3, punct. 3 et 4, p. 459 sq). Unus *Arriaga* afferri potest, qui putat solam gravitatem specierum ita explicari posse, ut aut corpus Christi legi gravitatis subiectum esse aut Deus sacramentum deorsum movere dicatur (De euch. disp. 38, sect. 2). Card, vero *Petrus de Alliaco*, quamvis dicat eum, qui intentionales tantum species «imāgetur non esse haereticum habendum, nihilominus statim subiungit: „Quarta et communis opinio, et cui magis favet doctrina ecclesiae, est, quod in sacramento accidentia, quae fuerunt panis, remanent sine subiecto, et in illis fit fractio, et hanc teneo“ (4, dist. 12, q. 6, a. 3). Iam aetate primorum scholasticorum quidam erant, qui dicebant accidentia eucharistica esse in aere circumstante ut in subiecto. Sed tam rari fuerunt huius sententiae defensores, ut ne nomina quidem eorum exstent; et ab omnibus theologis statim haec opinio ut plane falsa reiecta est (*S. Thom.* 3, q. 77, a. 1).

Itaque non potest esse dubium, quin theologo scholastico moraliter omnes ut rem ad fidem pertinentem docuerint obiectivam permanentiam accidentium realium panis et vini.

709. Concilia varia statuerunt, quae ad hanc rem pertinent. Imprimis *constantense* damnavit hos duos articulos Wicliffii: 1. «Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in sacramento altaris 2. «Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento (Denz. n. 581 sq). Haec altera negativa sententia potest per se habere duplicem sensum. Aut enim significat: simul cum accidentibus manet etiam subiectum eorum, aut: neque subiectum manet neque accidentia. Si hoc posteriore sensu damnata est sententia, definita est haec doctrina: substantia panis destructa accidentia panis manent sine subiecto inhaesionis. Non quidem tam clare constat hanc fuisse mentem concilii const., ut, qui aliter sentiat, ideo censi possit haereticus. Nam verba concilii etiam in priore sensu rationabiliter explicantur. Sunt tamen, quae suadeant concilium voluisse vere docere permanentiam accidentium realium panis et vini. Ex una enim parte concilium iam in praecedente propositione reiecit illum alterum errorem de permanentia substantiae panis; ergo non est valde credibile secundam proposi-

tionem habere prorsus eundem sensum. Ex altera vero parte constat Wiclifium non solum locutum esse contra conversionem substantiae panis sed etiam disertis verbis contra permanentiam accidentium. Sicut igitur ipse has duas res distincte docuit, ita etiam cone, const, easdem res duabus distinctis propositionibus reiecisse videtur (cf. *Franzelin* p. 284 sqq).

Cone. trid. (sess. 13, can. 2) definit: „Si quis . . . negaverit mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini. . . . A. S.“ (*Denz.* n. 884; cf. 430). His verbis per se quidem affirmatur post consecrationem sub speciebus panis non iam esse substantiam panis. Attamen cum aetate concilii trid. nemo fuerit, qui de speciebus mere intentionalibus cogitaret, concilium dicens substantiam panis converti, manere vero species panis, sine dubio intellexit species reales, quales ab omnibus tunc admittebantur. Quare *catech. rom.* docet: „Panis et vini species in hoc sacramento sine aliqua re subiecta constare . . . perpetua et constans catholicae ecclesiae fuit doctrina“ (P. 2, c. 4, n. 44).

710. Ex dictis hae *conclusiones theologicae* nascuntur:

a) *Species sacramentales non sunt mere intentionales*, i. e. affectiones sensibus nostris impressae. Nam in hac suppositione falsa essent plurima dicta SS. Patrum, et imprimis corrueret tota eorum argumentatio contra monophysitas. Plane etiam pugnat haec theoria cum communi sensu Christianorum, qui certe summopere mirarentur, si audirent in sacramento nullam esse partem sensibilem, si nullius hominis sensus afficerentur; immo proprie hoc sacramentum nulla parte sensibili constare, cum certe affectiones sensibiles rationem sacramenti non ingrediantur. Ceterum *concilium lateranense IV* docet: Corpus et sanguis Iesu Christi sub speciebus panis et vini veraciter continentur“ (*Denz.* n. 430). Atqui non continentur sub affectionibus nostris subiectivis; ergo sub speciebus obiectivis.

711. b) *Species sacramentales non consistunt tantum in undulationibus mediorum*, quibus ante consecrationem substantia panis in sensus nostros agebat. In hac quidem hypothese obiectiva realitas specierum servatur; attamen verum non esset remanere aliquid panis et vini, ut Patres et theologi docent et concilia non obscure innuunt. Neque verum esset species sacramentales posse frangi, loco moveri etc., id quod non solum communiter a fidelibus sed etiam ab ipsa ecclesia saepissime dicitur.

712. c) *Si quis dicat manere materiam imponderabilem*, potest hoc ita explicari, ut vere dicendum sit manere aliquid panis. Nam potest quis supponere cum singulis atomis vel moleculis panis certam ma-

4 II 1
hi 1
Jh
r

M/ 4
4

*
<

teriam imponderabilem cum determinato motu ita esse conexam, ut ab iis separari nequeat, sed vero aliquo modo pertineat ad panem, et constituat pro singulis atomis vel moleculis sphaeram quandam efficientiae, sitque imprimis subiectum virtutis attractivae et repulsivae. Hanc sphaeram si Deus conservat, conservat *aliquid panis*; et aliquo etiam sensu conservat *accidens panis*, non quidem sensu philosophico sed populari, in quantum accidentia panis vocari possunt, quae in pane praeter materiam ponderabilem insunt et in sensus nostros agunt. Eatenus igitur haec hypothesis esset valde facilis et rationabilis. Sed magna videtur adesse *difficultas* quoad verba institutionis; nam si Christus simul cum corpore suo porrigebat materiam aliam intime nexam cum signo sensibili, quod ostendebat, non apparet, quomodo vera maneant verba: „Hoc est corpus meum? Nam sicut his verbis excluditur substantia panis, ita videtur necessario excludi omnis alia substantia pertinens ad accidentia sensibilia. Dein toti ecclesiae semper visum est magnum miraculum et res intellectum nostrum longe superans, quomodo in sacramento maneant accidentia sine subiecto. Ergo ecclesiae persuasum fuit nullam adesse materiam, cui accidentia sensibilia inhaereant.

713. d) Hanc difficultatem evitant, qui dicunt *Deum conservare impulsus* (*ενέργημα*), qui a virtute (*ενέργεια*) substantiae producitur. Ipsa *ενέργεια* quidem est actus immanens et a substantia inseparabilis; *ενέργημα* vero est actus transiens et absolute a substantia separabilis. 3Iste impulsus imprimis non est nihil sed aliquid reale, quod tamen ex sese postulat inesse ipsi substantiae et sustentari a substantia nec potest naturaliter in se et per se esse extra substantiam. . . . Attamen quia est res (accidens) aliquid habens entitatis distinctae a substantia, potest a Deo conservari etiam desinente substantia, ubi id, quod substantia ut causa secunda conferebat ad esse et conservationem accidentis, a Deo ut causa prima suppletur, non sane per modum sustentantis subiecti sed per modum causae efficientis⁸ (*Franzelin* p. 290). Solum notandum est illum impulsus non esse aliquid simplex sed compositum ex omnibus illis impulsibus, qui a singulis particulis panis ante consecrationem exhibant. Haec hypothesis sine dubio plurimas difficultates evitat et omnia phaenomena satis facile explicat. Solum hoc potest displicere, quod actio transiens dicitur conservari; nam haec actio est effectus productus a substantia panis. Sed omnis effectus productus et transiens in aliquo subiecto recipitur; ergo revera hoc energema, nisi subsistit in ipsa substantia panis, subsistit in aliquo medio, quod intercedit inter panem ut causam impulsus et sensationem ut effectum impulsus. Quod si admittitur, haec sententia recidit in praecedentem. Saltem valde difficile est concipere, quid ille impulsus sit, si neque est immanens ipsi causae neque inhaerens medio neque effectui. Deinde etiam

videtur sensus ecclesiae magis in id inclinare, ut dicatur non aliquid a pane productum sed aliquid panem accidentaliter constituens remanere. Ergo omnibus consideratis adhuc tutissima et simplicissima videtur sententia communis scholasticorum, quae est haec:

714. e) *Manet quantitas panis et in quantitate ut subiecto qualitates sensibiles.* Ex iis enim, quae in philosophia dicta sunt, quantitas consistit formaliter in extensione interna aptitudinali, i. e. in forma quadam accidentali ultimis particulis corporis inhaerente, qua fit, ut hae particulae inter se agant et per spatium extendantur. Interna quidem essentia huius formae nobis ignota est; at praecise ideo, quamdiu contrarium non probatur, supponere possumus eam habere realitatem a substantia corporis distinctam. Quod si ita est, Deus destructa substantia hanc realitatem conservare potest. Haec igitur sententia a praecedente eo distinguitur, quod docet conservari formam immanentem, non energema tantum transiens. Semper autem memoria tenendum est hanc quaestionem, quomodo species sunt, esse mere speculativam et philosophicam, in quo possit unusquisque abundare in suo sensu, dummodo obiectivam realitatem specierum ita statuatur, ut doctrinae traditionis satis fiat.

11

*

715. *Supposita igitur permanentia quantitatis cum virtute extensiva et repulsiva, ab hac procedunt undulationes caloris, coloris hliaque phaenomena sensibilia* prorsus eodem modo atque antea, quia neque ipsa substantia operabatur ad extra nisi mediante hac forma. Unde ea omnia permanent, quae immediate inhaerent in quantitate vel ab ea producuntur; alii vero modi vel accidentia occulta, si quae sunt, quae immediate in substantia inhaerent, simul cum substantia abeunt.

41

716. Ipsa vero *quantitas amittit modum inhaesionis actualis* et educationis e substantia, quomodocumque hic modus est aliquid distinctum a quantitate; num vero accipiat positivum modum, quo in se subsistat, disputatur inter doctores. Affirmant ut probabilius *Suarez* (disp. 56, sect. 2, η. 9), *Vazquez, De Lugo*; negant alii. Sed cum vix ideam habeamus huius quantitatis, de modis eius disputare paene erit disputatio de meris verbis.

μ

717. *Schol. 1.* De actionibus et passionibus specierum.

De hac re scholastici haec fere statuunt: Species possunt omnem effectum accidentalem producere, quem antea poterant, tum intentionalem tum realem. Posse species producere mutationes substantiales *Suarez* affirmat (disp. 57, sect. 1, n. 3), *De Lugo* negat (disp. 10, sect. 2, n. 26).

Gravior est quaestio *de corruptione specierum*. Posse corrumpi species experientia constat. Sicut enim influxus agentium externorum antea quoque proxime in quantitatem et per eam in substantiam panis

recipiebatur, ita post consecrationem agentia naturalem pergunt influxum exercere in quantitatem eamque immutare. Quae immutatio si eo usque procedit, ut non iam adsint species panis et vini, Christus sub iis esse desinit. Hoc theologi non speciatim probant sed potius notum supponunt (S. Thom. 3, q. 77, a. 4), quia fides docet corpus Christi esse sub speciebus panis et vini; ergo ubi non sunt hae species, ibi non iam est corpus Christi.

718. Iam *corruptis speciebus quaeritur, quid fiat*. Aut enim Deus accidentia mirabiliter conservat sine subiecto, aut producit sub speciebus illam substantiam, quae secundum naturae cursum adesset. Priorem sententiam ut probabiliorem proponit S. Thomas: „Melius est, ut dicatur, quod, sicut virtute consecrationis miraculose confertur speciebus panis et vini, ut subsistant sine subiecto ad modum substantiae, ita etiam iis miraculose confertur ex consequenti, quod agant et patiantur, quidquid agere aut pati posset substantia panis et vini, si adesset. Ex hac ratione species illae panis et vini possunt nutrire et inebriare, sicut si esset ibi substantia panis et vini“ (In 1 Cor. 11, lect. 4 in fine; cf. 3, q. 77, a. 5; Contra gent. 1. 4, c. 66). Contrariam opinionem communissime sequuntur alii theologi non solum extra scholam thomisticam, ut Suarez (disp. 57, sect. 3, n. 3), sed etiam thomistae, ut Gonet (disp. 6, a. 5, n. 37), et dicunt produci a Deo sub speciebus corruptis illam materiam, quam naturae cursus postulat, i. e. secundum veteres materiam primam, cum qua per agens illud, quod corrumpit species, coniungitur forma, ut e. g. anima humana in digestionem specierum (cf. Suarez disp. 57, sect. 3, n. 8 et 10). Similiter potest dici odoratus effici speciebus panis et vini, quatenus minimae istae particulae, quae a ceteris speciebus solvuntur, non iam sunt species sacramentales, sed sub se continent substantiam naturaliter correspondentem {Franzelin p. 293; cf. p. 240 sq}.

719. *Ratio huius alterius sententiae*, quae postulat restitutionem substantiae, est, quia secus non solum innumera et continua miracula requirerentur, sed etiam vera monstra fieri possunt. Nam omnis panis umquam conversus in corpus Christi reliquisset suam quantitatem; quae corruptis speciebus perduravit et sine subiecta materia cum aliis materiis unita est, et sic permulta apparens materia in mundo existit, quae non est vera materia, sed quantitas substantificata. Immo posset tandem aliquod integrum corpus, e. g. corpus humanum, ex solis collectis quantitibus constare, ita ut haberetur homo ex anima et quantitate sine ulla materia. Porro si talis quantitas iterum aliquando assumeret formam panis, non posset iterum consecrari, quia solus verus panis est materia apta consecrationis. Sanctus vero Thomas fortasse ita explicari potest, ut solum voluerit non redire substantiam panis, sed species ita nutrire etc., sicut ipsa substantia

panis nutriret, si adesset, sci. eo quod in ipso actu nutritionis ea inatoria ponitur, quae tunc praecise requiritur. Ita haec sententia ab altera non esset diversa, et hoc modo *Toletus* S. Thomam explicat (q. 77, a. 5, c. 4). Revera enim s. doctor solum argumentatur contra restitutionem eiusdem substantiae panis, non contra restitutionem cuiuslibet materiae in ipso actu generationis, quamvis fatendum sit hac explicatione aliqualem vim verbis eius inferri, ut legenti textus citatos patebit.

720. *Neque tamen, quando species destruuntur, corpus Christi convertitur in aliam materiam:* a) quia non simpliciter desinit esse, sed solum desinit esse hic; b) quia non ideo desinit esse hic, ut alia materia succedat, sed potius desinit adesse, quia destructum est signum sacramentale a Christo institutum. Postquam igitur ob hanc rationem Christus recessit, postulant species, ut materiam sibi convenientem subiectam recipiant {*Suarez* disp. 54, sect. 3). Haec res facilius intellegitur in theoria adductionis, quia Christus recedit ex speciebus corruptis similiter sicut anima humana recedit ex membro corrupto.

MI
HI

721. *Schol. 2.* De mixtione specierum cum materia non consecrata.

Haec statuuntur a theologis: a) Si vinum non consecratum consecrato admiscetur, non desinit esse Christus sub speciebus vini consecrati, quia non destruitur signum sacramentale a Christo institutum, sed solum cum alia re ita miscetur, ut ab ea non possit distingui, sicut etiam hostiae consecratae a non consecratis non distinguuntur. Ita sentiendum videtur non obstante contraria doctrina *S. Thomae* (3, q. 77, a. 8), quam *Toletus* et alii in commentariis refutant. Huc pertinent verba *Innocenti III:* „Si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem nec sanguini commiscetur, sed accidentibus prioris vini commistum, corpori, quod sub iis latet, undique circumfunditur, non madidans circumfusum" (Decr. 1. 3, tit. 41, c. 6, § 1).

722. b) Si vino affunditur alius liquor, ita ut communi hominum iudicio non iam adsit vinum, destructum est signum sacramentale, et Christus recedit {*Suarez* disp. 57, sect. 4. *Dorn. Soto* in 4, disp. 10, q. 2, a. 8).

Doctrina autem *Ioannis de Latone*, quolibet contactu specierum sacrarum cum re impura effici, ut Christus ex iis recedat, damnata est a *Gregorio XI* {*Denz.* n. 578 sqq).

Si quo casu misceantur particulae consecratae cum non consecratis, sane totum non posset amplius adhiberi ut materia communis, sed esset omnino ut res sacra tractanda, et aut consecranda in missa aut sumenda a sacerdote post communionem in missa {*Suarez* disp. 57, sect. 4, n. 6).

346 Tr. IV. De eucharistia. Sectio I. De reaii praesentia Christi in eucharistia.

, *Schol. 3.* De apparitionibus Christi iu eucharistia.

Cum Christus sacramentum eucharistiae ita instituerit, ut necessariae sint species panis et vini, quaeritur, *num maneat corpus Christi, si miraculose appareat caro vel puer*, ut interdum factum esse legimus.

Resp.: Si non omnibus sed uni alterive tantum et per breve tempus tales apparitiones fiant, signum est nullam factam esse mutationem in speciebus sacramenti sed in sensibus videntium; unde in hoc casu certe Christus manet sub speciebus. Si vero apparitio fiat omnibus et permanenter, supponenda est mutatio facta in speciebus. In talibus vero apparitionibus imprimis non videtur Christus, ut est in se, nec caro eius vel sanguis, quia quae in his apparitionibus fiunt, non conveniunt corpori Christi glorificato, ut e. g. sanguis eius extra venas fluat et postea corrumpatur. Censent igitur plerique theologi res apparentes in tali casu figuram tantum corporis vel sanguinis Christi prae se ferre, et hanc figuram inhaerere vel speciebus consecratis vel aeri circumfuso. Quidam etiam theologi (aliis contradicentibus) censent in hoc casu Christum non manere, si species ita immutentur, ut nullo modo amplius esse possint species panis et vini; si vero absolute possit sub talibus speciebus conservari substantia panis in ordine naturali, tunc manere Christum; hoc autem difficile esse diiudicare. *Suarez* censet communiter in his apparitionibus non fieri tantam immutationem specierum, quae ad corrumpendam substantiam sufficiat, ideoque corpus Christi sacramentaliter manere (disp. 55, sect. 3, n. 3). *Toletus* putat, si appareant accidentia carnis et dispareant accidentia panis, Christum non manere: „Unde talia veneramur, quia ibi Christus erat, et miraculose factum est id; non tamen quia ibi Christus sit“ (l. 4, q. 76, a. 8, dub. 2). Et hoc videtur verius, quia, num manserit pars sensibilis, quae ad sacramentum requiritur, non ex subtilibus inquisitionibus philosophicis sed ex communi sensu hominum diiudicandum est.

ff. ¶
-h !
•«Ili

DE MODO REALIS PRAESENTIAE CHRISTI IN SACRAMENTO.

Prop. LXXI. Christus totus est sub utraque specie sacramentali.

724. Hactenus vidimus substantiam panis et vini transsubstantiari in substantiam corporis et sanguinis Christi Domini, species vero panis et vini manere. Iam quaeritur, num sub specie panis sit solum corpus Christi et sub specie vini solus sanguis Christi. Respondetur negative. Nam sub specie panis non est solum corpus, sed et sanguis et anima et divinitas Christi; et similiter sub specie vini corpus et reliqua. Qua vero ratione haec omnia praesentia fiant, ex argumentis videbitur.

725. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Per verba «Hoc est corpus meum® praesens fit corpus Christi, quod est inseparabiliter coniunctum cum sanguine, anima et divinitate Christi. Atqui corpus non potest praesens fieri separatum ab iis, a quibus separari nequit. Ergo eo ipso, quod corpus Christi praesens est, necessario praesens est totus et integer Christus. Propterea Christus dicit: «Qui manducat me, et ipse vivet propter me® (Io 6, 58). Illud „me“ autem non significat solum corpus Christi, sed integrum Christum. Quare apostolus ait: «Quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini® (1 Cor 11, 27).

726. *Arg. 2.* Ex Traditione.

Secundum S. *Cyrillum Hieros.* ex sumptione eucharistiae «christiferi® efficimur (n. 623).

Secundum S. *Chrysost.* accipimus illud corpus, «quod cum divina illa natura versatum est, per quod sumus et vivimus . . . ® (n. 626).

S. *Cyrillus Alex.* ait: Est in eucharistia «corpus non alterius cuiusdam sed ipsius vitae secundum naturam, totam habens in se uniti Verbi virtutem® (n. 627); vel, nt

S. *Ioan. Damasc.* ait: «ipsum corpus divinitate donatum® (n. 628).

Secundum S. *Ambrosium* «hoc, quod conficimus, corpus ex virgine est . . . vera utique caro Christi, quae crucifixa est® (n. 630). «In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi; ergo non corporalis esca sed spiritalis est. . . . Corpus enim Dei corpus est spiritale® (De myst. 9, 58; *M* 16, 408 sq). Multa similia sunt apud alios Patres, quae omnia ostendunt non esse in eucharistia corpus Christi secundum se solum et separatum ab aliis, quae sunt in Christo, sed totum Christum.

727. In *liturgiis* dicitur: «Rex regnantium et Dominus dominantium progreditur, ut mactetur.® .Frangitur et dividitur Agnus Dei, Filius Patris, qui semper comeditur et non consumitur® (supra in liturg. SS. Basii., Chrysost. etc.: n. 658 sqq). In liturgia rom. canitur: «Caro cibus, sanguis potus; manet tamen Christus totus sub utraque specie.® In omnibus liturgiis praescribitur cultus latriae pro eucharistia; sed corpori et sanguini a divinitate separatis non potest hic cultus deferri.

728. *Conc. constantiense* definivit: «Firmissime credendum est et nullatenus dubitandum integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis quam sub specie vini veraciter contineri® (*Denz.* n. 626).

Conc. flor.: «Ipsorum verborum [consecrationis] virtute substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem convertuntur; ita tamen, quod totus Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini® (*Denz.* n. 698).

Conc. trid. (sess. 13, c. 3): „Semper haec fides in ecclesia Dei fuit statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub vini specie ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini et sanguinem sub specie panis animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam eius cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est tantundem sub alterutra specie atque sub utraque contineri“ (*Dem.* n. 876; cf. 883).

729. *Arg.* 3. Ex ratione theologica.

a) Quamvis per absolutam Dei potentiam inter se separari possint corpus, sanguis, anima, divinitas Christi, tamen Deus in hoc ordine providentiae ea nullo modo separare potest. Ratio vero, cur Deus hunc ordinem quoad hanc rem instituerit, est, quia non decet corpus Christi glorificatum alicubi esse exanime aut sine unione cum Verbo, praesertim cum in sacramento sit ad homines spiritualiter vivificandos, id quod caro per se sumpta non potest.

Praeterea est physica exigentia, ut partes unitae simul sint. Nulla autem ratio est, cur Deus, speciali miraculo effectum huius exigentiae impediatur.

730. b) Consequenter in sacramento, et quidem in singulis speciebus, omnia sunt, quae ad integrum Christum constituendum pertinent; ergo etiam corpus cum omnibus partibus suis (ossibus, nervis etc.) et accidentibus, quae ad eius naturalem constitutionem requiruntur, et quidem cum sua organizatione, etiam anima cum suis habitibus etc.; de iis vero, quae magis ut complementa externa sunt in corpore, ut aër, dubitant theologii, sed verisimilius adesse affirmandum putant (*Suarez* disp. 51, sect. 1. *De Lugo* disp. 8, sect. 1, n. ISsq).

731. c) Sed haec omnia ponuntur in eucharistia, non quia verba consecrationis per se sumpta formaliter haec omnia postulant, sed quia id, quod his verbis formaliter postulatur, ex parte rei haec omnia secum habet. Hoc est, quod concilia et theologii indicant, si dicunt quaedam in sacramento esse „vi verborum“, quaedam vero „concomitanter Vi verborum dicitur praesens fieri id, quod verba formaliter significant, seu quo absente verba essent falsa. Verba autem „Hoc est corpus meum“ verificantur, dummodo corpus Christi ponatur, sive mortuum sive vivum, sive cum sanguine sive sine sanguine. Unde „si tempore passionis, quando sanguis Christi ex corpore erat effusus, fuisset hoc sacramentum ab aliquo apostolorum perfectum, sub panis specie fuisset solum corpus Christi exsangue; sub speciebus autem vini fuisset solus sanguis Christi“ (*S. Thom.*, In 1 Cor. 11, lect. 6).

Postulant igitur verba, ut non solum materia prima sed etiam aliqua forma adsit, quia sola materia non est corpus, sed abstrahunt verba, utrum haec forma sit anima an alia, e. g. forma cadaverica. Obiective quidem semper aliqua determinata forma adest; attamen haec determinatio formae non sumitur ex verbis sed ex statu, quem in specie propria Christus tunc habet. Eodem modo loquendum est de forma sanguinis, nisi haec est ipsa anima (*Suarez* disp. 51, sect. 4, n. 6 sq. Paulo aliter *De Lugo* disp. 8, sect. 4, n. 78).

732. *Per concomitantiam est in hoc sacramento, quidquid ideo solum praesens est, quia ex parte rei habet inseparabilem nexum cum iis, quae adsunt vi verborum.* Nihilominus quae concomitanter fiunt, et ipsa per efficientiam verborum fiunt, quia verba habent virtutem efficiendi omne id, sine quo res significata fieri nequit. Verba quidem significant in abstracto; ergo vi significationis formalis multipliciter verificari possunt. Sed termini significati obiective existunt secundum modum concretum: ergo propter naturam terminorum verba hoc tantum determinato modo verificari possunt, et sic virtus verborum etiam ad hunc modum extenditur.

Ergo Verbum ipsum concomitanter tantum praesens fit in sacramento; nam „licet fingamus corpus in sacramento non habere unionem ad Verbum, vere posset Christus de illo dicere: ‚Hoc est corpus meum‘, quia illud relativum ‚meum‘ in rigore solum denotat identitatem illius corporis cum corpore, quod ratione unionis est corpus Verbi; non vero denotat hoc corpus habere talem unionem, ubicumque existit (*Suarez* disp. 51, sect. 6, n. 4).

Multo magis per meram concomitantiam in eucharistia sunt Pater et Spiritus Sanctus, sci. per circuminessionem cum Verbo. Ergo Pater et Spiritus Sanctus solum adsunt per aliquam intimam praesentiam et operationem, Verbum vero etiam ut suppositum humanitatis, ita ut Verbum adsit speciali modo quam aliae personae, et si aliae personae per impossibile non adessent propter titulum circuminessionis, tamen maneret Verbum titulo speciali. Hinc non omnia quae de Verbo dicuntur relate ad hoc sacramentum propter communicationem idiomatum cum humana natura, etiam de Patre et Spiritu Sancto dici possunt. Ita Pater et Spiritus Sanctus non offeruntur, mactantur, manducantur, in eos non convertitur panis et vinum, quae omnia de Verbo sensu aliquo vero valent (cf. *De Lugo* disp. 8, sect. 6, n. 126 sqq).

Ceterum supponimus omnia, quae efficienter fiunt ad conficiendam eucharistiam, physice a solo Deo fieri, moraliter vero per verba consecrationis. Unde tota haec res ita explicanda est, ut Deus vi verborum moveatur ad verificanda ipsa verba; aliunde vero moveatur ad alia simul facienda, quae verbis per se neque significantur neque postulantur, ita ut totus Christus adducatur non propter unum decretum divinum sed propter plura decreta. Hoc modo concepta tota haec res non adeo magnam secum fert difficultatem.

Prop. LXXII. Christus totus est in qualibet parte specierum, non solum separatione facta, sed etiam ante separationem.

733. Quoniam vidimus integrum Christum esse et sub specie panis et sub specie vini, quaeritur, utrum in singulis partibus specierum sit per partes, an totus sit in omnibus partibus; et potest iterum haec quaestio fieri supposita separatione partium, et tunc sententia affirmans, totum Christum esse in singulis partibus, est de fide; aut potest quaeri de statu Christi in eucharistia ante separationem partium, et in hac suppositione thesis nostra est theologice certa. Distinguemus proinde has duas partes.

Pars I. Christus totus est in singulis partibus separatione facta.

734. **Arg. 1.** Ex traditione.

Maxime in *liturgiis* haec fides apparet, ut in lit. S. Chrysost.: „Frangitur Agnus Dei, qui frangitur, at non comminuitur, qui semper comeditur, et non consumitur” (n. 659). In lit. S. Ambros. in praefat. dominicae 5 post epiph.: „Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est; nec per singulos minuitur, sed integrum se praebet in singulis” (cf. Deer. Grat. de consecr. dist. 2, c. 77, ubi etiam aliae auctoritates afferuntur). Idem omnes theologo docent (S. Thomas in 4, dist. 10, vel 3, q. 76, a. 3).

Conc. flor.: „Sub qualibet parte hostiae consecratae et vini consecrati separatione facta totus est Christus” (*Denz.* n. 698).

Conc. trid.: „Si quis negaverit in venerabili sacramento eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri, A. S.” (sess. 13, can. 3; *Denz.* n. 885).

735. **Arg. 2.** Ex ratione theologica.

Non est dubium, quin Christus in ultima cena se ipsum apostolis dederit in cibum et potum. Atqui ex narratione evangelica conicere possumus eos de uno pane comedisse et ex uno calice bibisse. Ergo in singulis partibus specierum totus erat Christus.

Et revera Christus instituit eucharistiam ita, ut ipse maneat sub speciebus, quamdiu sub iis substantia panis et vini conservari possit. Atqui substantia panis et vini non minus potest esse sub parte quam sub toto. Non igitur per separationem partes consecrationem amittunt neque humanitas Christi in partes discerpitur, non solum quia hoc ei repugnat, sed etiam quia nulla est ratio, cur potius haec pars Christi sit sub hac parte specierum quam alia.

Pars II. Christus est in singulis partibus ante separationem.

736- *Haec est communissima theologorum sententia* (cf. Suarez disp. 52, sect. 2, n. 2) et suadetur etiam ab ipso *conc. trid.*) quod, quamvis

u :
-t :
.
•»i>;
iiβ4.«

in can. 3 addiderit illam particulam „separatione facta", tamen in cap. 3 eiusdem sessionis, ubi hanc doctrinam explicat, simpliciter docet: „Totus et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus idem sub vini specie et sub eius partibus existit" {Denz. n. 876; cf. Pallavic., Hist. conc. trid. 1. 12, c. 7, n. 7). Similiter in citata dist. 2 de consecr. haec veritas sine illa limitatione docetur; ibi enim cap. 78 haec regula statuitur: „Ubi pars est corporis, est et totum." Atqui sub partibus specierum saltem est pars corporis Christi. Ergo ibi est totum.

737. *Idem probatur ex verbis consecrationis.*

Nam his verbis efficitur, ut Christus succedat substantiae panis sub speciebus. Atqui *substantia panis est sub qualibet speciei parte* ante consecrationem. Ergo post consecrationem sub qualibet parte est totus Christus, neque ulla ratio est, cur una pars panis potius in hanc partem Christi quam in aliam convertatur. „Verba enim aequae cadunt in totam hanc materiam et in quamlibet partem eius . . . nam quando profero ‚Hoc est corpus' etc., per illud pronomen aequae designo totam hanc quantitatem panis ut continentem corpus Christi, nec magis designo unam partem ut continentem caput quam pedes, et sic de ceteris partibus" {Suarez disp. 52, sect. 2, n. 5). Et sic quaelibet pars specierum indifferenter significat Christum. Ergo indifferenter etiam continet.

Porro si Christus ante separationem non esset in singulis partibus, *dicenda esset separatio efficere adductionem Christi* in singulas partes. Atqui hoc inauditum est, et omnino gratis asseritur.

Tandem *non convenit dignitati huius sacramenti*, ut Christus sub parva hostia quantitative existat. Nam esset eius corpus omnino deforme et deberet e. g. ad figuram circularem redigi. Ergo dicendum est totum Christum esse in tota specie et totum in singulis partibus, sicut anima humana est in corpore (cf. *S. Thom.* 3, q. 76, a. 3; 5. *Bonaventura*, In 4, dist. 10, p. 1, a. 1, q. 5).

738. Est igitur hic *modus existendi spiritualis*, ita ut Christus in eucharistia non sit circumscriptive sicut corpus, sed potius ad modum spiritus. *S. Hieronymus* ait: „Dupliciter sanguis Christi et caro intelligitur: vel spiritualis illa atque divina, de qua dixit: ‚Caro mea vere est cibus' . . . vel caro et sanguis, quae crucifixa est et qui militis effusus est lancea. Iuxta hanc divisionem et in sanctis eius diversitas sanguinis et carnis accipitur, ut alia sit caro, quae visura est salutare Dei, alia caro et sanguis, quae regnum Dei non queant possidere" (In Eph. 1, 7; *M* 26, 451). Omne enim corpus glorificatum est „corpus spiritale" (1 Cor 15, 44). Multo magis hoc valet de corpore cum divinitate coniunctum (supra n. 726), cuius virtute ipsi ut instrumento in essendo et agendo quaedam conveniunt, quae non sunt in ceteris

hi ;

« O
Mil

»

:1

beatis. Differt tamen corpus Christi eucharisticum a modo existendi angelorum eo, quod non est definitive uno loco, sed simul multis locis praesens est (cf. S. *Thomas* 3, q. 76, a. 5).

739. Hanc autem rem non posse demonstrari impossibilem constat ex philosophia, tum quia conceptus ipsi nullam includunt repugnantiam, cum non idem de eodem sub eodem respectu affirmetur et negetur, tum quia resistentia et alia, quae hic in quaestionem veniunt, nobis secundum internam et physicam suam essentiam sunt ignota. Immo hoc est certum vim resistendi, ut agere possit, requirere concursum divinum; ergo si Deus hunc concursum subtrahit, vis resistendi nullum effectum habere potest. Eo ipso autem tota res corporea velut in unum punctum colligitur, ita ut nihil eius sit, quod in illo indivisibili puncto non reperiatur. Porro autem nulla apparet metaphysica repugnantia, cur Deus illud indivisibile non possit simili modo extendere per spatium, sicut anima extenditur per totum corpus non secundum partes sed secundum totalitatem suam. „Utrumque horum reperitur in modo existendi, quo corpus Christi existit in hoc sacramento; nam totum est sub quovis puncto indivisibili . . . et totum est continue absque intercisione diffusum per totam specierum quantitatem' (*Lessius*, De perf. div. 1. 12, c. 16, n. 124).

Immo corpus Christi maiore independentia a spatio existit quam anima, quia haec ratione corporis perfectius est in toto quam in una parte; Christus vero est in unaquaque parte aequae perfecte atque in toto. Nihilominus hic existendi modus corpori Christi minus perfecte convenit quam spiritui, quia corpus Christi in se manet semper subiectum divisibile, cum spiritus, qui partes nullas habeat, sit essentialiter semper totus simul.

740. *Neque tamen Christus pluries est sub una specie*, sicut neque anima pluries est in corpore; numerus enim sequitur divisionem; ideoque quamdiu res aliqua est indivisa, tamdiu est una. Ita „neque substantia alicuius rei est pluries sub dimensionibus propriis neque corpus Christi sub dimensionibus panis, et per consequens neque infinities sed toties, in quot partes dividitur' (S. *Thomas* 3, q. 76, a. 3 ad 1).

741. *Schol. 1.* Num Christus in sacramento sit cum sua quantitate.

Quantitas interna Christi non est in hoc sacramento vi verborum, quia etiamsi sola substantia adesset sine quantitate, verba verificarentur; est tamen ibi per concomitantiam, i. e. ratione substantiae, quacum est inseparabiliter nexa, ut ait S. *Thomas*: „Ex vi sacramenti quantitas dimensiva corporis Christi non est in hoc sacramento; ex vi enim sacramenti est in hoc sacramento illud, in quod directe conversio terminatur. Conversio autem, quae fit in hoc sacramento,

directe terminatur ad substantiam corporis Christi, non autem ad dimensiones eius. . . . Ideo quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento non secundum proprium modum (ut scii, sit tota in toto et singulae partes in singulis partibus) sed per modum substantiae, cuius natura est tota in toto et tota in qualibet parte" (3, q. 76, a. 4). Nam Christus, quaecumque in statu glorioso habet ut pertinentia ad internam suam perfectionem, inseparabiliter habet; et quamvis per absolutam Dei potentiam separari possit quantitas, tamen nulla est ratio hoc supponendi, sed potius valde repugnat sensui Christiano admittere corpus Christi esse in sacramento ut indigestam molem, qualis est materia sine interna quantitate.

Imprimis igitur in sacramento sunt partes Christi entitative distinctae, ut iam dictum est. Deinde hae partes non sunt massa homogenea, sed retinent suum temperamentum et suam organizationem, secundum quam sunt determinatae, ut certo ordine inter se cohaereant. Etiam vis illa et exigentia naturalis adest, qua fit, ut, nisi Deus miraculose intercedat, corpus suam naturalem figuram per spatium extensam habeat; et solus actus secundus huius virtutis suspenditur. Adest igitur in sacramento extensio interna aptitudinalis, in qua quantitas corporibus propria consistit {*Suarez* disp. 48, sect. 1. *De Lugo* disp. 8, sect. 2). Ex veteribus theologis hanc rem diligentissime discussit *Aegidius Romanus* quinquaginta propositionibus opusculi „Theoremata de corpore Christi". Nostra aetate de hac re saepe iam in philosophia agunt (cf. *H. Haan*, *Philos*, nat. n. 24 sqq; *T. Pesch*, *Institut*, *philos*, nat. n. 347 sqq).

742. *Schol*, 2. Quae unio intercedat inter Christum et species sacramentales.

„Corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco sed per modum substantiae, eo sci. modo, quo substantia continetur a dimensionibus; succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento substantiae panis; unde sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter sed per modum substantiae, ita nec substantia corporis Christi. Non tamen substantia corporis Christi est subiectum illarum dimensionum, sicut erat substantia panis; et ideo substantia panis ratione suarum dimensionum localiter erat ibi, quia comparabatur ad locum illum mediantibus propriis dimensionibus, substantia autem corporis Christi comparatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis, ita quod o converso dimensiones propriae corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantia, quod est contra rationem corporis localis" (*S. Thom.* 3, q. 76, a. 5). Imprimis igitur *non est compositio physica formalis* inter corpus Christi et species sacramentales, ex qua resultat unum compositum physicum constans duabus partibus vere componentibus, sed ut SS. Patres saepe dicunt, manent duae res: una caelestis, altera terrena. Ratio est, quia talis

unio physica plane intellegi nequit: unicus enim modus esset, ut accidentia in Christo subsistentiam haberent: cum autem in Christo subsistentia non sit nisi divina, haberetur unio hypostatica accidentium cum Verbo, id quod non solum est inauditum, sed etiam repugnat, quia accidentia immediato in persona subsistere nequeunt. Accidentia enim non possunt esse in alio nisi ut in subiecto suo. Hoc vero iam supra (n. 707-709) exclusum est, et hoc ideo etiam est absonum, quia secus Christus per accidentia pateretur frigus vel calorem, esset rotundus etc., et immutaretur per immutationem accidentium. Ad summum igitur posset quis dicere Deum hic effecisse genus unionis physicae, quod a nobis plane intellegi nequeat. Ad quod effugium respondetur: „Si res esset de fide, et ab hominibus doctis aliud dici non posset, admittendum esset huiusmodi responsionis genus; at vero nec fides docet talem unionem neque est admodum consentanea principiis fidei. [Immo dicimus] non esse possibilem, quia dicitur esse vera unio realis: in quam nec ratio nec modus nec terminus talis unionis convenire potest {Suarez disp. 47, sect. 3, n. 9}.

743. Unde *Scotus et alii negant omnem unionem realem* inter corpus Christi et species praeter inseparabilem praesentiam ex ordinatione divina (ib. n. 3). Et quia praeterea accidentia solum ideo tali modo conservantur a Deo, quia sub iis Christus est, recte dici potest Christus unicus cum accidentibus in genere causae moralis, non solum ut intime praesens sed etiam ut ea sustentans. Et haec duo simul sumpta videntur sufficere ad explicandam omnem unionem, quae hic postulari potest.

744. Possumus tamen cogitare ulteriorem aliquam *unionem physicam non quidem formalem sed effectivam*. Ex una enim parte accidentia panis requirunt influxum alicuius agentis, quo suppleatur defectus substantiae. Hunc quidem defectum ipse Deus supplet, sed supponere licet eum producere hunc effectum suppletentem per corpus Christi tamquam instrumentum. Eo maxime haec explicatio commendatur, quod sic facile intellegimus, quomodo corpus Christi vere suppleat vicem substantiae seclusa inhaerentia. Ex altera parte corpus Christi in sacramentali statu ita alligatum est speciebus, ut non possit esse extra eas. Merito igitur supponere licet Deum indidisse corpori Christi aliquam supernaturalem virtutem, qua possit influere in species. Videtur enim conaturalius ipsas etiam species et corpus Christi habere aliquam virtutem inter se uniendi, quam si omnia dicantur immediate ab ipso Deo fieri. His suppositis intellegitur, quomodo species et corpus Christi coalescant in unum sacramentum, non per unitatem mere externam et consistentem in voluntate Dei, sed per unionem, quae licet non sit physica formalis, tamen ipsi sacramento est interna {Suarez disp. 47. sect. 3. De Lugo disp. 6, sect. 2}.

745. *Schol. 3.* De denominationibus, actionibus, passionibus Christi in eucharistia. Omissis iis, quae per se patent, haec statui possunt:

Mutationes, quae circa species ita fiunt, ut transeant ad corpus Christi, proprie de hoc praedicantur. Ita corpus Christi elevatur, circumfertur, manducatur, i. e. per os venit in stomachum, generatim localiter movetur et accipit novas distantias. Hinc adverbium localia recte de Christo dicuntur.

Quae fiunt in solis speciebus nec transeunt ad corpus Christi, de hoc improprie tantum praedicantur. Ita potest dici corpus Christi tangi, sicut dicimur hominem tangere, si vestem eius tangimus. Similiter Christus videtur visis accidentibus, quibus subest, quia generatim visus refertur ad accidentia. Magis etiam improprie Christus dicitur frangi etc.; nam proprie Christus non patitur separationem suarum partium, sed solae species; praesentia autem Christi quodammodo dividitur, quia actu fit multiplex. Similiter dicendum de mixtione corporis et sanguinis Christi, quia post mixtionem Christus ratione specierum sibi ipsi quasi contiguus est. *Alia autem ne improprie quidem dicuntur de Christo, ut calefieri vel madefieri etc.;* quia haec speciebus conveniunt, praecise ut sunt distinctae a corpore Christi; alia vero, quae modo memoravimus, speciebus convenire concipimus, in quantum cum corpore Christi aliquod unum constituunt. Secundum hanc igitur regulam omnes fere praedicationes diiudicari possunt (cf. *De Lugo* disp. 6, sect. 3).

MI
»«1.

746. *Corpus Christi in eucharistia potest localiter moveri, non per se, quia non est circumscriptive in loco; hinc non potest tactu impelli, ergo neque per se moveri, sed per accidens ratione specierum, quibuscum est coniunctum. Neque tamen dicendus est tunc produci novus modus ubicationis in Christo, quia secus iam physice Christus pateretur ab externo agente.*

Corpus Christi, ut in eucharistia existit, nihil pati potest ab externis agentibus physicis. „Ita sentit D. Thomas, Scotus, Richard., Paludanus, Capreol., Carthusian., Marsil., Aegidius et omnes moderni, qui non afferunt aliud fundamentum, nisi quia modus existendi in loco quantitativus et conaturalis corporibus est necessaria condicio ad huiusmodi actiones et passiones (Suarez disp. 53, sect. 2, n. 2). Quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur. Nullum autem agens physicum potest producere quicquam ad modum spiritus existens; ergo non magis producere quicquam potest, quod in corpus Christi eucharisticum recipi possit. Ergo corpus Christi non potest augeri, minui, interfici, corrumpi etc.

747. *Corpus Christi non potest naturaliter habere actionem transeuntem in externum corpus, ut communior theologorum sententia docet et experientia suadet. Ratio est, quia omnis actio transiens a corpore procedit per motum localem. Motus autem localis supponit necessario*

impdnetrabilitatem, quam corpus Christi non habet in eucharistia. Ergo Christus naturaliter non potest loqui. Neque videri potest oculo corporeo, quia nihil est intra latitudinem obiecti proprii visus nisi res quanta secundum extensionem localem; et ideo ne supernaturaliter quidem Christum videri posse oculo corporeo recte docet *Suarez* (disp. 53, sect. 4, n. 6), cum *S. Thomas* (3, q. 76, a. 7) > *De Lugo* (disp. 9, sect. 2, n. 20), alii contrarium dicant.

748. *Christus in statu sacramentali non potest naturaliter habere actus sensuum circa obiecta sacramento praesentia, ut videre et audire, quia hi actus supponunt passiones et actiones in subiecto dimensive extenso. Supernaturaliter vero Christum posse hos actus habere multi theologi docent, ut Suarez (disp. 53, sect. 3, n. 3), quia nulla apparet repugnantia, cur Deus non possit supplere in sensibus Christi influxum agentium externorum et elevare virtutem activam oculi vel auris.*

„Hanc supernaturalem communicationem actuum visionis et auditionis per sensus ipsos sacratissimi corporis in statu sacramentali, quamvis communior sententia theologorum non admittat, ut fatetur card. *Cienfuegos*, amplissimus eius assertor ac defensor („Vita abscondita q. 50), affirmat tamen *S. Bonaventura* (4, dist. 10, p. 1, a. 1, q. 2 in „Contra ~~est~~ *Ysambertus* (In 3, q. 76, disp. 4, a. 2) et alii non pauci saltem ut probabilem; simpliciter ut veram *Lessius* (3, q. 76, a. 7, dub. 2, n. 51), *Cornelius a Lap.* (in Cant. cant. 2, 9), *Gamachaesus, Martinonus, Tannerus*; prae ceteris vero tota ingenii contentione card. *Cienfuegos*. . . . Mihi certe haec sententia . . . propter eius connexionem cum dignitate sacratissimae humanitatis et cum scopo ac fine sacramenti, quo Christus cum suis fidelibus non solum spirituale sed etiam corporale commercium inire voluit, ut loquitur *Lessius* l. c., videtur probabilissima et pia“ (*Franzelin* p. 178 sq). Quantum autem haec sententia conferat ad augendam devotionem, non indiget explicatione.

h

l

of
§.1«ilf
5i».«

749. *Omnes actus immanentes, quos Christus habet existens in specie propria, habet etiam in sacramento propter identitatem numericam, immo idem valet quoad perceptiones sensiles. Habet quoque in eucharistia visionem beatificam et scientiam infusam; immo ea, quae pertinent ad ecclesiam, Christus ex speciali titulo in eucharistia cognoscit propter finem huius sacramenti* (*Franzelin* l. c. 180). — Quomodo vero de affectionibus rei multilocatae in diversis locis sentiendum sit, recole ex philosophia. Breviter: ipsae habitudines ad spatium necessario in diversis locis sunt diversae; quae vero non pendent a spatio, sunt ubique eodem modo in Christo, quia non est ratio, cur alicubi ei aliqua perfectio desit, quamvis fortasse per absolutam Dei potentiam res multilocata praedicata alia et alia habere possit (cf. *Suarez* disp. 48, sect. 4 5; *De Lugo* disp. 5, sect. 1 2; *Franzelin* l. c. 174 sqq).

SECTIO II.

DE SS. EUCHARISTIA, UT EST SACRAMENTUM.

ART. I.

DE EXSISTENTIA ET ESSENTIA SACRAMENTI
EUCHARISTIAE,

DE EXSISTENTIA SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

Prop. LXXIII. Sacra eucharistia est verum novi testamenti sacramentum.

750. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Christus sumptis pane et vino in manus dixit: „Accipite et comedite; hoc est corpus meum. . . . Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus“ (Mt 26, 26 sqq). „Hoc facite in meam commemorationem“ (Lc 22, 19). — Et iterum: „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo“ (Io 6, 57). S. Paulus addit: „Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat“ (1 Cor 11, 26). — Ergo eucharistia est signum visibile invisibilis gratiae a Christo perenniter institutum. Atqui haec est definitio sacramenti novae legis. Ergo sacra eucharistia est sacramentum.

751. *Arg. 2.* Ex Traditione.

Argumentum iam supra allatum est (n. 609 sqq), cum SS. Patres disertis verbis ostendant, quomodo requisita sacramenti in eucharistia habeantur. Scholastici de hac re agunt in 4, dist. 8 vel in 3, q. 73.

Definitiones conciliorum habentur in *lateran. IV* {Denz. n. 430), *florent.* (Denz. n. 698), *trident.*, sess. 7, can. 1 (Denz. n. 844), sess. 13 per totum (Denz. n. 874 sqq), sess. 21, c. 1 et 3 (Denz. n. 930 932).

Accedit omnium ecclesiarum, etiam heterodoxarum, testimonium, quippe quae in suis liturgiis formularia exhibeant pro administratione et susceptione huius sacramenti.

752. *Schol. 1.* De definitione huius sacramenti.

Definiri potest hoc sacramentum: eucharistia est sacramentum corporis et sanguinis Domini sub speciebus panis et vini ad spiritualem animarum refectionem institutum. — In qua definitione includitur tum physica descriptio: sacramentum corporis et sanguinis Domini sub speciebus panis et vini, tum metaphysica definitio: est sacramentum

spiritualis refectionis, ubi relectio intellegitur, quae fit per cibum et potum. His igitur hoc sacramentum ab omnibus aliis sufficienter distinguitur.

753. *Schol. 2.* Utrum eucharistia sit unum sacramentum an plura.

De hac re disputatur inter theologos. Imprimis potest quaeri de formali et specifica ratione sacramenti. Sacramentum enim licet ex variis partibus physicis constet, specificè unum est, si est unum signum gratiae, sicut infusio aquae et verba baptismi unum signum ablutionis spiritualis sunt. In eucharistia est specialis difficultas, quia et panis et vinum separatin! sumpta sunt signa sacra. *Dicendum tamen esse unum sacramentum*, ut ait *catech. rom.*: „Non plura sacramenta sed unum tantum esse ecclesiae auctoritate docti confitemur! (P. 2, c. 4, n. 10). *Datio* est, quia secus essent plura quam septem sacramenta. Explicatur autem haec unitas eo, quod omnes partes huius sacramenti constituunt unum signum. Nam panis et vinum simul significant passionem Christi, in qua caro et sanguis Christi separata sunt; significant ipsum Christum praesentem, qui non constat sola carne sed etiam sanguine; significant gratiam sanctificantem per modum convivii conferendam ad analogiam refectionis corporalis; significant gratiam sacramentalem, quae est unio caritatis, quia omnes de uno convivio participant (cf. 1 Cor 10, 17); significant tandem futuram plenitudinem convivii caelestis. Propterea concilia, Patres, theologo de eucharistia semper fere loquuntur ut de uno sacramento (*Suarez* disp. 39, sect. 3).

Si vero de unitate numerica quaeritur, utrum sci. plures species consecratae dicendae sint unum sacramentum an plura, nihil est nisi quaestio de modo loquendi. Quia vero denominatio fit a potiori, melius omnes species consecratae dicuntur unum sacramentum, quia in omnibus est unus Christus (*Suarez* 1. c. sect. 4).

§ 2.

DE ESSENTIA SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

Prop. LXXIV. Materia remota, ex qua eucharistia conficitur, est panis triticeus et vinum de vite.

754. *Materia est panis et vinum de vite.* Nam *Christus eam materiam instituit, quam consecravit.* Atqui panem et vinum consecravit, ut constat ex evangeliiis et S. Paulo. In calice fuisse vinum constat tum ex rituali paschatis iudaici (cf. *Zeitschrift für kathol. Théologie*, Innsbruck 1880, 90 sqq) tum vero ex verbis Christi: „Non bibam amodo de hoc genimine vitis (Mt 26, 29. Lc 22, 18). Quamquam incertum est, ad quem calicem haec verba referantur, tamen tota narratio evangelica innuit in calice consecrato non fuisse alium

liquorem. — Idem etiam eo innuitur, quod *Melchisedech ut typus Christi panem et vinum obtulit* (Gn 14, 18. Hebr 5, 6; 6, 20 sqq).

755. SS. *Patres* saepe diserte dicunt eucharistiam confici ex pane et vino. Ita *Iustinus* (n. 611; cf. 880), *Irenaeus* (n. 612), *Tertullianus* (n. 614), *Cyrillus Hierosolymitanus*, (n. 623), alii. Soli encratitae pro vino substituerant aquam, quare hydroparastatae vel aquarii vocabantur.

Eadem res definita est a *conc. carthag.* (anno 397), quod praecepit, ne quid aliud in missa offerretur, nisi quod Dominus instituisset, i. e. panis et vinum (cf. Decr. Grat. de consecr. dist. 2, c. 5); *conc. lateran. IV* (Denz. n. 430); *conc. florent.*: „Materia est panis triticeus et vinum de vite“ (Denz. n. 698); *conc. trid.* sess. 13, c. 4 (Denz. n. 877; cf. 884).

Idem docet *Innocent. III* in cap. „Cum Marthae“ de celebr. missae (3 decr., tit. 41, c. 6; Denz. n. 415).

Idem docent *scholastici* sine ulla differentia opinionum. Cf. *S. Thom.* 3, q. 74, a. 1, ubi refert errores veterum haereticorum. Nostra aetate haeretici omnes quoad hanc rem videntur cum ecclesia catholica consentire (cf. *Kenaudot*, Liturg. orient. I 172 sqq).

Patio, cur Christus elegerit panem et vinum, sub quibus ut signis sensibilibus sacramentalem suam praesentiam occultaret, est, quia haereses facillimae sunt ad communem usum, et quia aptissimae sunt ad significandum convivium spirituale et unitatem ecclesiae, quae ex multis fidelibus colligitur ut panis et vinum ex multis granis (alia apud *Suarez* disp. 43, sect. 1, n. 3).

Ante aliquot annos *Harnack* librum edidit: „Brot und Wasser, die eucharistischen Elemente bei Justin“ quo voluit probare veteres Christianos indifferenter adhibuisse aut vinum aut aquam ad eucharistiam celebrandam, cum non ad elementa respexerint sed solum ad ideam cenae religiosae. Superfluum quidem est ad hanc opinionem animum advertere, quae communiter reiecta est a catholicis et protestantibus, sed iuverit annotare contra eam scriptum esse utile opusculum ab *Aloysio Scheiwiler*, „Die Elemente der Eucharistie in den drei ersten Jahrhunderten“ Mainz 1903, quo doctrina catholica solide probatur, non solum quod attinet quaestionem de usu vini, sed ipsum quoque dogma realis praesentiae. De encratitis sermo ib. p. 144 sq; num etiam quidam catholici aquarii fuerint p. 165 sqq.

756. *Utraque materia necessaria est ad conficiendum sacramentum*, non quidem ita, ut una non possit consecrari sine altera, cum constet non simul eodem temporis puncto consecrari, sed ex praecepto, quia, ut est in cap. „Comperimus“ de consecr. (dist. 2, c. 12): „Divisio unius eiusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.

Et praeceptum quidem est divinum, quia ex institutione Christi consecratio fieri non debet extra sacrificium missae, ut constat ex

communi usu et persuasione totius ecclesiae, sacrificium vero offerri nequit nisi sub duabus speciebus, ut postea videbimus (cf. *conc. trid.* sess. 22, c. 1; *Denz.* n. 938).

Immo quia inauditum est in ecclesia rem aliter fieri, etiam propter gravissimas rationes, omnino dicendum videtur nullam posse in hac re, ne ab ipso quidem summo pontifice, fieri dispensationem (cf. *Suarez* disp. 43, sect. 4).

757. *Quaeri potest, num panis debeat esse triticeus*, quia res variae vocantur panis, quae omnes hoc commune habent, quod sunt confectae ex fructibus terrae et aqua (naturali; aqua rosacea vel alius distillationis redderet materiam dubiam: *Missale rom.* De defect. II) et ita igne coctae, ut fiat massa solida (nam solam farinam vel pulvem nemo vocat panem).

Hoc igitur supposito quaeritur, ex quo fructu terrae debeat materia eucharistiae sumi. Respondent omnes theologi: Non ex fructibus arborum neque ex leguminibus neque ex radicibus cuiuscumque generis, sed ex granis frumenti, quod nomen generatim significat semina ex plantis, quae habent culmen et aristas vel spicas. Ratio est, quia constat Christum pane ex frumento usum esse, et quia hic solus simpliciter panis vocatur, et quia in nulla liturgia umquam alia materia adhibita est.

758. *Quidam theologi putarunt omnem panem frumentaceum esse materiam sufficientem.* Ita *Biel* et *Caietanus*, quorum ratio est, quia omnis haec materia vocatur panis, et quia contrarium numquam est definitum. Sed *haec sententia, ut semper fuit singularis, ita nunc plane derelicta est* et ^dicendum est solum panem triticeum esse sufficientem materiam, ita ut in alio non perficiatur consecratio. Haec conclusio est iam hoc tempore tam certa, ut sine temeritate et erroris periculo negari non possit' (*Suarez* disp. 44, sect. 1, n. 4). Ita docet *conc. florent.*, ut modo vidimus; ita *catech. rom.*: „Nullus panis nisi triticeus apta ad sacramentum materia putandus est; hoc enim apostolica traditio nos docuit et ecclesiae catholicae auctoritas firmavit (P. 2, c. 4, n. 13). Apostolica traditio constat ex consensu SS. Patrum et liturgiarum. Multi ex eo argumentantur, quod panis azymus iudaeorum fuerit triticeus, sed hoc non videtur certum (cf. *Scholz*, *Die heiligen Altertümer des Volkes Israel* II 58).

759. Ergo secale, hordeum, milium, panicum, oryza, maizium et similia, quae certe non sunt triticum, non sunt materia sufficiens, ut ait *missale rom.*: „Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur sacramentum (De defect. III). Contra vero, quod est certe triticum, licet fortasse vocetur .spelta, „šiligo vel alio nomine, est materia sufficiens. Si

homines generatim dubitant, sitne aliquod frumentum triticum, est materia dubia, nec ea uti licet. Amylum ex tritico confectum est materia dubia (*De Lugo* disp. 4, sect. 1, n. 6).

760. *Quid intellegatur vinum de vite.*

Respondeo: Intellegitur liquor ex uvis vitis maturis expressus. Imprimis igitur necesse est esse ex uvis vitis, non ex aliis baccis vel ex pomis. Debet porro liquor esse expressus ex uvis, neque intra uvas consecrari potest.

Ratio est, quia debet adesse haec species in statu potus, in quo non sunt uvae nondum expressae. Ita *Suarez* (disp. 45, sect. 1, n. 5), quamvis hanc rationem card. *De Lugo* non adeo probet, et ideo praeferat illam, quod tunc verba „Hic est sanguis meus" non designarent sufficienter liquorem sed totam massam uvae (disp. 4, sect. 1, n. 11).

Praeterea uvae debent esse maturae, quia secus liquor expressus non est vinum. Si uvae sunt maturae, liquor expressus statim est materia in rigore sufficiens, licet non conveniens.

761. *Tandem vinum non debet esse corruptum.* Ita *missale* habet de hac re: „Si vinum sit factum penitus acetum vel de uvis acerbis seu non maturis expressum vel ei admixtum tantum aquae, ut vinum sit corruptum, non conficitur sacramentum. Si vinum coeperit acescere vel corrumpi vel fuerit aliquantum acre vel mustum de uvis tunc expressum . . . vel fuerit admixta aqua rosacea seu alterius distillationis, conficitur sacramentum, sed conficiens· graviter peccat" (*De defect. IV*).

Vinum ex acinis uvae passae post infusam aquam expressum esse materiam validam multi theologi negarunt. Sed recte iam dixit *Suarez* hoc pendere a modo, quo fiat tale vel simile vinum (disp. 45, sect. 2, n. 8). Revera enim haec materia in quibusdam ecclesiis adhibetur, et hic usus approbatus est a summo pontifice.

Num vinum congelatum sit materia sufficiens, disputatur et merito dubitatur. Nam sicut plerique concedunt vinum absorptum massa aliqua solida non posse consecrari, quod non sit in statu potus, ita a pari dicendum videtur vinum congelatum non esse consecrabile ob eandem rationem. Quod enim vinum consecratum, si congeletur, retineat suam consecrationem, nil probat; nam sic etiam absorptum massa solida retinet consecrationem. Omnes vero concedunt non licere vinum congelatum consecrare, sed debere prius liquefieri (cf. *S. Alphons. l. 6, n. 206 sqq*).

762. *Schol. 1.* In ecclesia latina panis debet esse azymos, in ecclesia vero graeca fermentatos.

Hoc non pertinet ad validitatem sed ad liceitatem. De qua re olim existebant varii errores, quos vide apud *Suarez* (disp. 44, sect. 31).

Leo IX damnavit sententiam eorum ex graecis, qui dicerent panem fermentatum esse de necessitate sacramenti (*Denz.* n. 350). *Cone, flor*, in decreto unionis docet: „In azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque sci. iuxta suae ecclesiae sive occidentalis sive orientalis consuetudinem (Denz. n. 692).

Differentia inde orta est, quod *graeci putabant Christum Dominum consecrasse panem fermentatum*, cum ante dies azymorum cenam celebrasset, latini vero eum consecrasse panem azymum. Haec altera sententia clare indicatur in S. Scriptura (Mt 26, 17. Mc 14, 12. Lc 22, 7). Iam saeculo septimo legati romani pontificis in synodo sexta testati sunt hunc morem semper fuisse servatum in ecclesia latina (*Aligne*, P. L. 143, 991, n. 19). Apostolicam originem huius ritus communior sententia defendit, quamvis quidam contradicant (cf. *Wirceburg.* n. 294 sqq et *De Augustinis* th. 8).

763. *Schol.* 2. Vino „ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet:

Sic *Eugenius IV* (*Dem.* n. 698). Modicissima est iam una gutta; multa vero aqua ideo admisceri non debet, ne vinum corrumpatur, quod quam facile fiat, multum a generositate vini pendet. Hoc praeceptum admiscendae aquae iam traditur a *conc. carthag.* (anno 397) can. 24 et iterum ab *aurelianensi IV* (anno 541) can. 4 et ab *antisiodorensi* (anno 585, al. 578) can. 8. *Conc. trident*, sess. 22, can. 9 definivit: „S. q. d. . . . aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, A. *SI* (*Denz.* n. 956). SS. Patres saepe de hac re loquuntur, ut *Cyprianus* in ep. 63, n. 13 14 (*II* 710), scriptor libr. De sacram. l. 4, c. 4 et 5 (*AI* 16, 442 sq), *Ioan. Damasc.*, De fide l. 4, c. 13 (*AI* 94, 1139).

Hanc aquae admixtionem non esse de necessitate sacramenti omnes concedunt et constat ex *missali*: „Si celebrans ante consecrationem calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam et proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate sacramenti (De defect. IV, n. 7). *Neque dicendum est esse praeceptum divinum*, tum quia probari nequit, tum quia *conc. trid.* dicit sess. 22, c. 7: .Monet sancta synodus praeceptum esse ab ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent (Denz. n. 945).

Institutus est hic ritus, quia Christus ita fecisse creditur, quia aqua et sanguis exivit de latere Christi, quia per aquam significatur humanum genus, quod intime cum Christo iungitur. Has rationes affert ipsum *cone. trid.* l. c. Potest addi, quia per vinum et aquam duplex natura Christi significatur (cf. *Suarez* disp. 45, sect. 2). Propter finem huius ritus censent theologi praeceptum obligare sub gravi (*S. Alphons.* l. 5, n. 208).

764. De hac aqua olim fuit disputatio, *utrum converteretur in sanguinem Christi an in aliam materiam, an maneret in sua natura*. Quam quaestionem tractat *Innocent. III* in 3 deer., tit. 41, c. 6 et examinatis rationibus dicit: .Inter opiniones praedictas illa probabilior iudicatur, quae asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari® (*Denz.* n. 416). Hanc sententiam iam SS. Patres indicant et omnes scholastici defendunt (*Suarez* disp. 45, sect. 4, n. 3). Ratio est, quia per verba „Hic est calix sanguinis mei“ designatur totum contentum in calice. Propterea sacerdos sumpto hoc toto censetur ieiunus; sumpta autem ablutione non iam est ieiunus.

765. *Schol.* 3. Materia consecranda debet esse praesens sacerdoti consecranti, ita ut possit designari per pronomen „hoc“; nam istud pronomen significat praesentiam rei et quidem plane indeterminate, quia determinatio ei ipsa re praesente accedit. Propterea talis locutio sensibilem praesentiam rei supponit, ne inepta sit. Ergo imprimis materia debet esse coram homine ita, ut digito demonstrari possit, quare hostia post tergum posita non consecratur. Dein non debet esse valde distans, quia res valde distans non est praesens in ordine ad operationem, quamvis certus limes indicari non possit. Si quid est inter sacerdotem et materiam, ab aestimatione hominum pendet, utrum res censeatur moraliter praesens necne. Ita particulae in ciborio cooperto consecrari possunt, particulae vero, quae post parietem sunt, consecrari nequeunt. Generatim proximum continens non obest praesentiae rei contentae.

Secundum praeceptum ecclesiae graviter obligans *materia tempore consecrationis debet esse in altari*, in corporali, super lapidem consecratum; et sub levi debet ciborium esse discoopertum (*missale*, rubr. general. XX; ritus servand. VIII, n. 5).

Tandem debet materia determinari per intentionem sacerdotis (*Suarez* disp. 43, sect. 6). Unde id, quod nullo modo nec explicite nec implicite est obiectum determinatum intentionis, non consecratur; quod vero est obiectum determinatum saltem implicitae intentionis, consecratur, ut si sacerdos intendit consecrare, quidquid est in corporali. Merum iudicium erroneum intellectus determinatam intentionem non destruit, ut si sacerdos vult consecrare, quod habet in manu, putans esse unam hostiam, cum revera sint duae (cf. *missale* de defect. VII, n. 2).

Prop. LXXV. Materia proxima huius sacramenti est corpus et sanguis Christi simul cum speciebus eucharisticis.

766. *Aliter hic materia proxima intellegitur atque in reliquis sacramentis*. Quia enim alia sacramenta extra usum nullam gratiam actualiter continent, ideo proprie non sunt signa efficacia gratiae nisi in ipso usu. Eucharistia vero continet ipsum auctorem gratiae, et ideo

■j,

I
:!

iiH

etiam extra usum est sacramentum (*Conc. trid.* sess. 13, c. 3; *Denz.* n. 876). Sumptio vero nihil est nisi applicatio sacramenti. De hac igitur re cum non possit esse disputatio inter theologos, solum quaerunt, utrum materia proxima sint solae species conotantes corpus Christi (*Doni. Soto* in 4, dist. 8, q. 1, c. 1, § „His tamen nihil obstantibus⁴, *Gonet*, alii); an solum corpus Christi conotans species, quam sententiam tribuunt *Thomae Waldensi* (II, c. 21, n. 1), quem tamen *Vazquez* aliter interpretatur (disp. 167, c. 2, n. 10); card. *De Lugo* (disp. 1, sect. 3, n. 36-39) eam certe docuit eamque tribuit *Estio* et *Sylvio*; an denique ex utrisque simul aequè constituatur sacramentum, ita ut utraque pars in recto pertineat ad constitutionem sacramenti (*Suarez* disp. 42, sect. 3, n. 2, qui hanc sententiam dicit communem).

Per se patet totam quaestionem esse magis de modo loquendi. Quia tamen rem illustrat, pauca dicenda sunt; et tertia quidem sententia videtur praeferenda.

767. *Argumentum* unicum est, quia id pertinet in recto ad hoc sacramentum, per quod constituitur signum sensibile gratiae efficax. Atqui corpus Christi per se solum non est signum sensibile, et species per se solae non sunt signum efficax gratiae. Ergo et corpus Christi et species in recto pertinent ad hoc sacramentum, sicut anima et corpus in recto pertinent ad hominem. Et sicut homo in genere animalis magis constituitur per corpus quam per animam, in genere vero rationalis potius per animam quam per corpus, ita eucharistia in genere signi sensibilis principalius constituitur per species, in genere vero rei sacrae efficacis principalius constituitur per corpus Christi. Possunt igitur species considerari ut id, per quod corpus Christi est visibile, et corpus Christi considerari potest ut virtus, qua species sensibiles sunt efficaces gratiae, quamvis probabiliter admitti possit etiam species ipsas habere aliquam virtutem sanctificandi (*Suarez* disp. 42, sect. 3, n. 9. *De Lugo* disp. 1, sect. 2, n. 22).

Itaque in eucharistia species sunt sacramentum tantum, corpus Christi est res sacramenti et sacramentum, gratia vero collata est res sacramenti tantum (*Innocent. III*, Decret. 1. 3, tit. 41, c. 6).

Ergo illud, quod dicitur res et sacramentum, in eucharistia alio modo intellegitur atque in reliquis sacramentis, quia in his res et sacramentum (e. g. character sacramentalis) non est res externo usu applicabilis, sicut est corpus Christi in eucharistia mediantibus speciebus.

768. *Obiciunt* quidam, quod *conc. trid.* dicit corpus Christi in eucharistiae sacramento contineri (sess. 13, cap. 1 et can. 1). Ergo, inquiunt, solae species sunt sacramentum. *Resp.*: Nulla est consequentia, quia etiam anima in homine continetur, neque tamen quisquam dixerit solum corpus esse hominem; dicitur enim etiam pars

in toto contineri. Neque obstat, quod ait *catech. rom.*: solas species panis et vini absolutam rationem sacramenti habere (P. 2, c. 4, n. 8); ibi enim absoluta ratio sacramenti intellegitur id, quod solum significat et non significatur; sed hoc valet de solis speciebus. Ceterum si solae species essent sacramentum, *conc. trid.* sess. 13, c. 5 non recte doceret huic sacramento esse latriae cultum exhibendum (*Denz.* n. 878).

Prop. LXXVL Forma consecrandae eucharistiae sunt verba Christi: „Hoc est corpus meum“, „Hic est sanguis meus“.

769. *Nota.* Eo ipso quod eucharistia est sacramentum permanens, necessario *forma quoque non plane eo modo accipi potest quo in aliis sacramentis.* Nam in his forma simul cum materia subiecto sanctificando applicari debet, in eucharistia vero forma proxime conficitur sacramentum, neque immediate valet ad significandam aut efficiendam sanctificationem hominis. Hic igitur quaeritur, quae sint illa verba, quibus panis et vinum transsubstantiantur in carnem et sanguinem Christi Domini.

770. De qua re *variae existunt sententiae*, quarum *prima* est nulla specialia verba requiri, ut quidam veteres haeretici opinabantur; aut aliis omnino verbis confici eucharistiam, quam quae in thesi indicata sunt, ut quidam haeretici saec. VI dixerunt (cf. *Suarez* disp. 58, sect. 3, η. 1). Sed hae sententiae non iam videntur ab ullo homine defendi.

771. *Altera sententia* est sola verba in thesi indicata non sufficere, sed addendam esse illam orationem, quam epiclesim vocant, qua sci. Deus invocatur, ut velit transsubstantiationem efficere. Quae oratio in liturgia latina praecedit illa verba „Hoc est corpus meum“ et incipit: „Quam oblationem tu Deus“; in liturgiis autem orientalibus sequitur et est illa oratio, quam supra citavimus (n. 656 sqq)¹.

Itaque huic invocationi graeci schismatici vel omnem vel praecipuam vim transsubstantiandi tribuunt. Hanc sententiam imprimis defendit *Nicolaus Cabasilas*, saec. XIV metropolita thessalonicensis, in libro *Ἐρμηνεία τῆ ὑεία λειτουργία* c. 29. Postea vero saec. XV *Marcus Eugenicus* Ephesinus, et saec. XVII *synodus Hierosolymitana* et *Petrus Mogilas* in «Confessione orthodoxae fidei». Nostra aetate in ecclesia russiaca episcopi consecrandi in professione fidei etiam hanc

¹ In liturgia [^]Testamenti Domini* epiclesis est oratio, qua Pater caelestis rogatur, ut fideles participes reddat effectuum salutarium eucharistiae, non vero ut efficiat consecrationem (p. 43 189). Ergo haec altera pars orationis postea tantum addita esse videtur.

doctrinam profiteri debent (*Hoppe*, Die Epiklesis, Schaffhausen 1864, 1 sqq). Ex catholicis cum quadam temperatione hanc doctrinam defenderunt *Toultèe*, monachus benedictinus, in prolegomenis ad edit, oper. Cyrill. Hierosolym. (J/ 33, 278 sqq); *Renaudot* edit. Francof. I 180 sqq 230 sqq: *Le Brun*, oratorianus, in Explicatione missae, Parisiis 1726, part. 4, art. 6, § 1, alii.

772. *Tertia est sententia* non sola verba in thesi enuntiata sed alia quoque verba canonis, ut „qui pridie quam pateretur . . .“ vel „quod pro nobis tradetur . . .“ esse necessaria ad consecrationem (cf. *Suarez* disp. 59, sect. 1; disp. 60, sect. 1).

Quarta sententia longe communissima est ea. quam in thesi statuimus. Quid de singulis censendum sit, patebit ex argumentis.

773. *Arg. I.* Ex S. Scriptura.

Modus, quo sacri scriptores referunt institutionem eucharistiae, omnino suadet eos voluisse non solum narrare institutionem, sed etiam voluisse tradere ea omnia, quae ad conficiendam eucharistiam requirerentur. cum dicant Christum iussisse apostolos et eorum successores facere ea, quae ipse fecerit. Ergo quidquid a sacris scriptoribus non narratur, non debet censi de necessitate sacramenti eucharistiae. Iam licet Christus non solum verba „Hoc est corpus meum . . .“ protulerit, sed etiam benedixerit et gratias egerit, tamen, etiam inspecta sola Scriptura, non est verisimile benedictione vel gratiarum actione vel utraque simul factam esse consecrationem, primo quia haec benedictio non ab omnibus narratur; Lucas enim et Paulus eam omittunt; dein quia secus modo valde indeterminato tantum indicatum esset, quid faciendum esset secundum illud: „Hoc facite in meam commemorationem.“

Cum praeterea etiam Traditio nihil nos doceat de verbis illius benedictionis et gratiarum actionis, divinando deberemus modum consecrationis excogitare. Ex altera vero parte verba „Hoc est corpus meum“, „Hic est sanguis meus“ omnino sufficientia sunt ad consecrandum; nam significando efficiunt, significatio autem est omnino plena et perfecta sine aliis verbis additis, Immo cum haec verba, utpote practica, recte vocari possint benedictio, recte dicitur Christus benedixisse, etsi nullam aliam benedictionem adiunxit.

774. Quod autem *Scotus obicit*: haec verba per se in ore ministri non significare corpus Christi sed corpus ipsius ministri, ergo debere alia addi, quibus significetur verba proferri nomine Christi, *haec obiectio nil valet*; nam in omni sacramento ab intentione ministri pendet, cuius nomine verba proferantur, λ erba vero, quae in canone praecedunt, sunt mera historica narratio, cum ipsa verba consecrationis non debeant historice tantum proferri.

775. In *consecratione calicis* ecclesia latina habet haec verba: „Hic est enim calix sanguinis mei novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum." Quae verba omnia multi thomistae cum *S. Thoma* (3, q. 78, a. 3) dicunt esse essentialia. Quae sententia non est valde probabilis, tum quia in variis liturgiis modo haec modo illa ex istis verbis desunt, tum quia, si similis forma non requiritur in conversione panis, ut patet ex liturgia romana, non magis requiritur in conversione calicis, et hoc inde etiam efficitur, quod haec verba nihil addunt in genere practicae significationis. Tandem SS. Patres haec sola verba „Hic est sanguis meus" vel aequivalentia dicunt esse formam consecrationis (*Suarez* disp. 60, sect. 1. *De Lugo* disp. 11, sect. 4). Multi etiam ex thomistis idem docent, ut *Soto* (In 4, dist. 11, q. 1, a. 3), qui interpretantur verba *S. Thomae* non de essentia sed de substantia, i. e. de integritate sacramenti (cf. *De Augustinis*, De euchar. 204 sqq; *Lehmkuhl* II n. 171).

Verba „accipite", „comedite", „bibite" et „Hoc facite in meam commemorationem" solum usum sacramenti spectant, ideoque ad consecrationem non sunt essentialia. Eo ipso verbum quoque „enim" non est essentialiale, quia ad illa „accipite", „comedite" refertur. Attamen ex praecepto omnia illa verba dicenda sunt.

776. *Arg. 2.* Ex SS. Patribus.

SS. Patres docent et Christum consecrasse verbis „Hoc est corpus meum", „Hic est sanguis meus", et sacerdotes iisdem verbis consecrare debere. Ita *Justinus* (n. 611), *Tertullianus* (n. 614), *Gregor. Nyss.* (n. 621), *Chrysostomus* (n. 626), *Ambrosius* (n. 630), alii. Valde disertis verbis hoc docet scriptor librorum „De sacramentis": „Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam et reliqua omnia, quae dicuntur in superioribus, a sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris. Ubi venit, ut conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum" (l. 4, c. 4; *M* 16, 440). Quod vero SS. Patres dicunt panem et vinum converti benedictione in corpus et sanguinem Christi, hoc nihil aliud est nisi consecratione. Consecrationem autem fieri verbis „Hoc est corpus meum" ipsi diserte dicunt (cf. *Franzelin* p. 75 sqq).

777. *Arg. 3.* Ex declarationibus ecclesiae.

Cum in *conc. flor.*, de forma eucharistiae quaestio orta esset, voverunt latini, ut in definitionem concilii reciperetur: solis verbis dominicis fieri consecrationem. Sed „dixerunt [graeci], quod hoc non erat necessarium; immo si poneretur, ecclesia ipsorum reciperet igno-

miniam, ac si hactenus tenuisset aliud. Unde cum semper fuerimus concordēs, in hoc definitio non debet fieri (*Hardouin IX 981*). Dein vero *Bessarion* suo et aliorum nomine professus est coram summo pontifice: „Quoniam ab omnibus sanctis doctoribus, maxime ab illo beato Ioanne Chrysostomo nos audivimus verba dominica esse, quae mutant et transsubstantiant panem illum in corpus Christi et vinum in sanguinem, et quod divina verba illa salvatoris omnem virtutem transsubstantiationis habent, de necessitate ipsum doctorem et eandem suam sententiam sequimur⁴ (l. c. coi. 983. *Mansi XXXI 1046. M 161, 491*). Haec erat unica ratio, cur res non definiretur a concilio florentine.

Eugenius IV in deer, pro arm. ait: „Forma huius sacramenti sunt verba salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum; sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem convertuntur⁴ (*Denz. n. 698*).

Benedictus XII obiecerat armenis: „Omnes armeni communiter dicunt et tenent, quod per verba posita in canone missae, quando dicuntur per sacerdotem: „Accipit panem [et cetera, ut in evangeliiis narrantur], non conficitur nec ipsi conficere intendunt corpus et sanguinem Christi, sed solum dicunt verba recitative, recitando scilicet quod Dominus fecit, quando sacramentum instituit. Et post dicta verba dicit sacerdos multas orationes, positas in eorum canone, et post dictas orationes venit ad locum, ubi sic in eorum canone dicitur [citantur verba epiclesis] . . ., et per haec verba credunt, quod conficitur corpus Christi et sanguis.⁴

Respondit *concilium armenorum* a. 1342: „Omnes armeni universaliter credunt et dicunt, quod panis et vinum per verba Christi posita in canone missae eorum . . . conficitur veraciter corpus et sanguis Christi secundum fidem ecclesiae armenorum. . . . [De epiclesi vero] quamvis illud, quod dicitur superius, invenitur in missali S. Athanasii, quod nos habemus . . . [similiter in liturgia Basilii et Chrysostomi], ideo et nos sic diximus, ut dixerunt et ordinaverunt illi, tamen non credimus confici corpus et sanguinem Christi, ut dicunt, quod ante est confectum" (*Mansi, Collect, concil. XXV 1242 sq*).

„*Pius PP. VII* litteris apostolicis in forma Brevis die 8 Maii 1822 ad patriarcham antiochenum graecorum melchitarum datis in virtute oboedientiae omnibus et singulis praecepit, ut non auderent sive in publico sive privatim defendere ac tueri opinionem a schismaticis hominibus propugnata, qua docetur formam, qua vivificum sacramentum perficitur, non in solis Iesu Christi verbis consistere⁴ (cf. *Lümmel, In decreta concilii Ruthenorum Zamosciensis, Friburgi 1865, 56*).

Declaratio *Pii X* supra n. 223.

Missale has rubricas habet: „Verba consecrationis, quae sunt forma huius sacramenti, sunt haec: „Hoc est enim corpus ñeum et „Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni . . . (ut supra).

Si quis autem aliquid diminueret vel immutaret de forma consecrationis corporis et sanguinis et in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, non conficeret sacramentum. Si vero aliquid adderet, quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret" (De defect. V, n. 1). „Si semiprolata forma corporis obiit sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse, ut missa per alium suppleatur. Si vero obierit semiprolata forma sanguinis, tunc alter prosequatur missam et super eundem calicem repetat integram formam ab eo loco: „Simili modo postquam cenatum est, vel posset super alium calicem praeparatum integram formam proferre et hostiam primi sacerdotis et sanguinem a se consecratum sumere, ac deinde calicem relictum semiconsecratum" (l. c. X, n. 3).

778. *Coroll.* Christum iisdem verbis consecrasse, quibus nunc fit consecratio.

Ex iis, quae modo dicta sunt, efficitur *Christum iisdem verbis consecrasse, quibus nunc fit consecratio*. Hoc suadet narratio evangelica; hoc indicant SS. Patres locis citatis; hoc videtur innuere *conc. trid.* sess. 13, c. 1 (*Denz.* n. 874); haec est communissima sententia theologorum: „Dicendum est Christum consecrasse praedictis verbis semel prolatis, prout ab evangelistis referuntur. Haec ita certa est meo iudicio, ut contraria non possit absque temeritate defendi; est communis theologorum cum D. Thoma et Magistro. Eandem docent omnes expositores evangeliorum, quique hoc tempore contra lutheranos scribunt" (*Suarez* disp. 58, sect. 1, n. 4).

Sunt quidem theologi catholici, qui contrarium docuerunt. Ita *Innocentius III* (tunc nondum pontifex) in l. 4 De mysterio missae c. 6 scribit: „Sane dici potest, quod Christus divina virtute confecit et postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. Ipse namque per se propria virtute benedixit; nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis." *Ambrosius Catharinus* („Quibus verbis Christus eucharistiae sacramentum confecerit") docet Christum verba „Hoc est corpus meum" dixisse „historice dumtaxat et narrative, non significative et effective", et sic etiam a sacerdotibus dici et ideo alias preces necessarias esse (liber Catharini positus est in Indice, sicut etiam liber Christophori a Capite fontium, qui eandem sententiam defendit). Similiter alii docuerunt, inter quos immerito recensetur P. *Salmeron*, qui in *Comment*, in hist, evang. torn. 9, tract. 13 multa quidem argumenta pro hac sententia affert, sed ita concludit: „Haec idcirco tam late a me allata sunt ad hanc firmandam sententiam, non quod post concilii flor, decretum, tam unanimiter in scholis receptum et dure ab adversariis explicatum, tutam eam existimem, sed ut videas, quibus se tueantur rationibus, et iis per te ipsum facile dissolutis in ea sententia permanes, quae eadem forma nos dicit consecrare, qua Christus ipse consecravit." Nostris temporibus *L. A. Hoppe* docet verba Christi

„Hoc est corpus meum“ non fuisse consecrativa sed declarativa tantum¹. Ex altera parte concedit nunc consecrationem fieri verbis „Hoc est corpus meum“ (p. 303). Hanc differentiam sine fundamento sufficienti statui et cum Scriptura et Traditione pugnare contra Hoppe diligenter probavit 7. *Th. Franz* in libello „Der eucharistische Konsekrationsmoment“, Wirceburgi 1880. Hactenus nihil allatum est, quo ostendatur Christum alio modo consecrasse atque sacerdotes, neque quicquam solidi afferri potest, quia doctrina Traditionis obstat.

779. *Schol. I.* De sensu epiclesis*

Remanet exponendum, quis sit sensus epiclesis in hturgiis orientalibus. Nam si verbis „Hoc est corpus meum ...“ iam perfecta est transsubstantiatio, mirum videri potest, cur Deus postea rogetur, ut eam perficere velit. In quam rem inquisiverunt tum graeci tum latini, et hanc communiter explicationem dant, sci. duo fieri hac oratione: a) per eam distinctius declarari id, quod iam factum sit; b) rogari, ut, quod factum est, sit in salutem fidelium.

a) Quia sacrificium missae non solum ad hoc institutum est, ut obiective perficiatur, sed etiam ad hoc, ut eius ratio a fidelibus intelligatur, propterea ecclesia sicut in omnibus sacramentis, ita etiam in celebratione missae varia constituit, quibus essentia rei quodammodo fidelibus ob oculos poneretur ad eorum devotionem excitandam. Itaque quia consecratio unico instante perficitur, ecclesia varias preces adiunxit, quibus haec res successive explicaretur. Unde sive hae preces praecedunt sive sequuntur consecrationem, ut recte monet *Bessarion*, semper referendae sunt non ad tempus, quo dicuntur, sed ad tempus, pro quo dicuntur. Quodsi rerum natura tale aliquod verbum pati posset, quod mox et sine alicuius temporis intervallo rem omnem exprimeret, profecto nos simul et eodem tempore cum verbis Domini cetera omnia pronuntiaremus. . . . Ceterum quoniam natura rerum id vetat necesseque est per intervalla temporis unum

u
«115
!^>e

¹ .Es kommt diesen Worten [Hoc est corpus meum] in der Abendmahlshandlung Christi keine konsekrative, sondern nur eine den bereits geschehenen Akt der Konsekration deklarierende Bedeutung zn* (Die Epiclesis 298).

* Non est putandum, quotiescumque apud SS. Patres occurrat nomen epiclesis (i. e. invocatio), sermonem esse de illa speciali oratione, quae nunc epiclesis vocari solet. Epiclesis enim vocatur forma baptismi et aliorum sacramentorum. Cf. e. g. *Irenaeus*, Fragm. 35; *AI I*, 1248; *Origenes*, In Io. tract 6, n. 17; *AI 14*, 257; *Basilus*, De Spiritu S. c. 12; *M 32*, 118; *Gregor. Nyss.*, Orat. in bapt.; *M 46*, 558; *Cyrrill. Hierosol.*, Catech. 3, n. 12; 20, n. 3; *AI 33*, 441 1079, alii. Praeterea nomine epiclesis significantur omnes illae orationes, quae canonem missae constituunt. Ita *Irenaeus* l. 4. c. 18, n. 5; *AI 7*, 1028; *Basilus* l. c. c. 27; *Theodoretus*, Dialog. 2; *W 83*, 167, alii. — De epiclesi his ultimis annis multa scripta sunt, de quibus cf. *Lingem* in Zeitschrift für kathol. Théologie, Innsbruck 1897, 51 sqq, ubi alii libri et dissertationes allegantur, item ib. p. 372 sqq et 1896, 347 sqq 748 sqq. Huc pertinent quae scripsit *E. Bishop* in Texts and Studies VIII (Cambridge 1909) 126 sqq.

post aliud verbum pronuntiare . . . oportet haec aliaque huiusmodi non tamquam in tempore, in quo dicuntur, sed tamquam in tempore, pro quo dicuntur, ita intellegere, ac si tempus illud maneret minimeque deflueret" (De sacramento euchar.; *M* 161, 516 sq). Quomodo similia fiant in ritibus aliorum sacramentorum, cf. *Franzelin*, De euchar. 80.

b) Quamvis sacrificium eucharisticum in se Deo non possit non esse gratissimum, potest tamen fieri, ut Deus ob peccata nostra illud nobis fructuosum esse nolit. Itaque merito ecclesia precatur, ut eucharistia fiat *nobis* corpus et sanguis Christi, i. e. in salutem nostram proficiat, quo sensu hanc orationem a se quoque intellegi graeci testati sunt in *concilio florentino* (*Mansi* XXXI, 1006. *Franzelin* p. 82). Cf. *Der Katholik* 1866, II 528 sq 532 sq 537 543 sq 687 sq; *Zeitschrift für kath. Theol.*, Innsbr. 1880, 90 sq; *Salaville* in *Dictionnaire de théologie catholique* s. v. Epiclèse eucharistique; *I. Holler*, Die Epiklesis der griech.-orient. Liturgien, Wien 1912.

Ceterum sicut in ecclesia romana, ita fortasse in vetere ecclesia alexandrina epiclesis ponebatur ante consecrationem. Id suadetur papyro invento a. 1907 in ruinis monasterii *Dêr-Balyzeh*, in superiore Aegypto, medio saeculo VIII destructi. Fragmenta haec, quae publici iuris fecit *P. de Puniet* in Actis Congressus eucharistici anni 1908, 367 sqq et iterum in *Revue Bénédictine* XXVI (1909) 34 sqq, inter alia exhibent epiclesim post „Sanctus" hoc modo: „Reple et nos gloria tua, quae apud te est, et mittere dignare Spiritum Sanctum tuum in has creaturas, et fac panem quidem corpus Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi, calicem autem sanguinem Novi (Testamenti. Quia ipse Dominus noster Iesus Christus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, eumque benedicens fregit deditque) discipulis (suis et apostolis) dicens: (Accipite, manducate omnes) ex eo; hoc est corpus meum, quod pro vobis datur in remissionem peccatorum. Similiter postquam cenavit, accipiens calicem benedixit, et bibit, et dedit iis dicens: Accipite, bibite ex eo omnes; hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum [Hoc facite in meam commemorationem]. Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem illum bibetis, mortem meam annuntiate et resurrectionem meam confitemini. Mortem tuam annuntiamus, et resurrectionem tuam confitemur, et deprecamur. . .“ (l. c. 383; p. 382 sq textus graecus re-constructus; p. 398 textus fragmenti; p. 399 collatio cum liturgiis Serapionis et S. Marci). Cf. *Batiffol*, L'Eucharistie, 5. éd., 327 sqq; *Th. Schermann*, Der liturgische Papyrus von Dêr-Balyzeh, Leipzig 1910, 15 sqq.

780. *Schol.* 2. De duplici sensu verborum consecrationis.

Verba consecrationis in canone nostro *recitative* quidem seu nar-rando a sacerdote dicuntur, id quod patet ex contextu; simul vero

etiam *significative* seu per modum practicae propositionis, seu, ut scholastici dicunt, formaliter, quia hoc est de necessitate sacramenti, quod sit signum practicum. Ergo etiamsi sacerdos haec verba non recitative et materialiter proferret sed solum *significative* et formaliter, tamen effectus sequeretur; si vero recitative tantum diceret, nihil fieret. Ergo dicendus est Deus producere effectum, non *quia* verba sunt vera, sed *ut* sint vera (cf. *S. Thom.* 3, q. 78, a. 5; *Suarez* disp. 58, sect. 4 6).

Prop. LXXVII Eucharistia est sacramentum permanens.

781. Quia eucharistia eatenus est sacramentum, quatenus Christus in ea praesens est ad sanctificandos homines, sensus thesis idem est ac: Christus in eucharistia non solum in usu sed permanenter praesens est. Quae thesis est contra lutheranos, qui negant Christum extra usum esse in eucharistia, et eucharistiam conservari et adorari debere.

782. *Arg. 1.* Ex ratione theologica.

Eucharistia est sacramentum, quamdiu in ea praesens est Christus. Atqui in ea praesens est Christus post verba consecrationis et praesens manet, quamdiu species non corrumpuntur. Ergo eucharistia est sacramentum permanens. Christus sine ulla restrictione dixit: "Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus." Ergo nemo habet ius dicendi hoc valere pro brevi tantum temporis spatio, quo eucharistia actualiter sumitur, cum, iam antequam apostoli eam sumerent, Christus verba illa absolute pronuntiasset. In hac igitur re apparet magna inconsequentia lutheranorum, qui quidem ex proprio sensu verborum coniciunt realem Christi praesentiam et nihilominus verba contra sensum proprium pervertunt.

Porro Christus dedit eucharistiam in cibum et potum (Io 6). Atqui cibus et potus sunt res permanentes.

783. *Arg. 2.* Ex SS. Patribus.

SS. Patres docent Christum fieri in eucharistia praesentem non per usum sed per verba consecrationis. Quare dicunt eucharistiam debere adorari, posse conservari, deferri in domos et similia (cf. supra n. 626 630 633 etc.). Audiatur unum praeterea testimonium *S. Cyrilli Alex.*, qui ad Calosyrium scribit: "Audio alios esse, qui mysticam eulogiam nihil ad sanctificationem iuvare dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem; insaniunt vero, qui haec asserunt; neque enim alteratur Christus neque sanctum eius corpus immutatur, sed benedictionis vis ac facultas et vivificans gratia perpetuo in illa existit" (Ai 76, 1075).

Praeterea in liturgiis tam orientalibus quam occidentalibus praescribitur adoratio eucharistiae post consecrationem (cf. *Goar*, Euchol. 77 et 81). Idem testati sunt graeci schismatici contra lutheranos (*Schelstrate* 665). Cf. infra 818.

784. *Arg. 3.* Ex definitione ecclesiae.

Conc. trid. sess. 13 definivit: *Can. 4:* „S. q. d. peracta consecratione in admirabili eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, A. S.“ — *Can. 6:* „S. q. d. in sanctae eucharistiae sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum ... A. S.“ — *Can. 7:* „S. q. d. non licere sacram eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur, A. S.“ (*Denz.* n. 886 888 889; cf. 878 578 sq). Primis quidem saeculis licebat eucharistiam etiam in privatis domibus conservare (supra n. 622), nunc vero in ecclesiis tantum cathedralibus, parochialibus, regularibus, in sacellis monialium sub clausura viventium; in aliis vero sacellis tantum ex speciali induito apostolico vel ex antiqua consuetudine. De pyxide vel tabernaculo, in quibus sacramentum servatur, et de lampade coram eo accendenda, sicut etiam de renovatione particularum eucharisticarum et de expositione Sanctissimi leges ecclesiasticae existunt tum in rituali romano tum in caerimoniali episcoporum, quae fidem ecclesiae ostendunt.

::
f« |

785. *Schol. 1.* Num verba sint forma constitutiva huius sacramenti.

Scotus et scotistae negant (*Bosco*, De euchar. sect. 1, conci. 4, n. 67), quia ex una parte non requiritur, ut sacramenta intrinsecus constent ex materia et forma, et ex altera parte eucharistia est sacramentum permanens, forma autem est actio transiens; ergo haec non potest illud constituere. Itaque verba solum effective, non vero ut forma hoc sacramentum perficiunt.

Alii dicunt verba intrinsecus constituere hoc sacramentum, id quod necessario debent omnes ii dicere, qui alibi absolute docent sacramenta omnia intrinsecus constare ex materia et forma; nam nisi hic quoque vera est, haec doctrina non debet tam absolute statui, et facile omnia eius fundamenta evertuntur.

Tertia sententia vel potius explicatio praecedentis est verba non quidem physice sed moraliter permanere in suo effectum ad constituendum sacramentum.

De his duabus sententiis *Suarez* hoc fert iudicium: „Primam sententiam recte explicare, quidquid in re ipsa efficitur per hanc formam, et modus loquendi illius certe est expeditus et facilis et potest optime sustineri. Secunda vero sententia non negat, quod in re affirmat prima, sed addit aliquid spectans ad modum loquendi, quod non displicet" (disp. 42, sect. 2, n. 7). Sci. species eucharistiae per se non significant id, quod continent, i. e. Christum, nisi in quantum ad hanc

significationem determinatae sunt per verba. Neque enim intellegimus has species esse consecratas et significare Christum, nisi quatenus scimus circa eas prolata esse verba. Unde relatio signi est in speciebus, ut sunt determinatae verbis, et hoc sufficit, ut verba dicantur in genere signi constituere hoc sacramentum (cf. *De Lugo* disp. 1, sect. 4 5).

786. *Schol. 2.* Num pluribus formis a pluribus ministris prolatis eadem materia consecrari possit.

Haec quaestio eo modo solvenda est, qui supra est indicatus n. 472. Hic ritus observatur in ordinatione sacerdotum in ecclesia latina, aliis temporibus saepius erat in usu, sicut adhuc est in ecclesiis orientalibus (cf. *Suarez* disp. 61, sect. 4).

ART. II.

DE EFFECTU SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

Prop. LXXVUI. Effectus sumptionis eucharistiae est augmentum gratiae sanctificantis et specialis animae et corporis cum Christo unio.

Pars I. Effectus eucharistiae est augmentum gratiae sanctificantis.

787. Haec assertio est *contra doctrinam Lutheri*, qui in libro „De captivitate babil/ in fine tractatus de eucharistia ait: „Verbum divinae promissionis huius sacramenti cum exhibeat peccatorum remissionem, secure accedit, quicumque peccatorum suorum vexatur sive morsu sive titillatione. Est enim testamentum hoc Christi medicina unica praeteritorum, praesentium et futurorum peccatorum, modo indubitata fide ei adhaeris et credideris tibi gratuito dari id, quod verba testamenti sonant/ Eandem doctrinam necessario amplectuntur omnes, qui docent eucharistiam solum eo valere, ut fidem nostram excitet et mediante fide nos iustificet (cf. *Bellarmin.*, De euchar. l. 4, c. 17). Nos vero dicimus eucharistiam non esse sacramentum mortuorum, sed vivorum.

788. *Eucharistia instituta est ut spiritualis cibus et potus* (Io 6). Atqui cibus et potus non dantur mortuis sed vivis. Ergo, qui accipit eucharistiam, iam debet spiritualiter vivere.

Quare S. *Paulus* monet: „Quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo; et sic de pane illo edat et de calice bibat“ (1 Cor 11, 27 sq). Dixerat autem antea apostolus corinthios indignos fuisse propter gravem laesionem fraternae caritatis; ergo generatim indignus est, quicumque post diligentem sui proba-

tioneni non potest sibi dicere conscientiam suam nulla macula peccati inquinari; et consequenter ad susceptionem eucharistiae praerequiritur status gratiae. Ita haec verba apostoli explicantur non solum a catholicis, ut S. *Chrysostomo*, *Theodoreto*, aliis, sed etiam a nonnullis protestantibus.

789. *Doctrina Patrum* hac de re est manifesta. Praeter ea, quae iam allata sunt ex *Tertulliano* (n. 614), *Cypriano* (n. 615), *Chrysostomo* (n. 626), *Augustino* (n. 635), pauca alia sufficiant. Ita S. *Cyprianus* (Ep. 16, n. 2) reprehendit eos, qui lapsos celerius ad communionem admittebant: „Nondum paenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu iis ab episcopo et clero imposita, eucharistia illis datur, cum scriptum sit: Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini6 {II 519). S. *Ambrosius*: „Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus. Et illi, qui vocantur ad cenam, prius vocando sanantur . . ., ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensae caelestis exuberet6 (In Luc. 1. 6, n. 70; M 15, 1686). Maxime hanc doctrinam inculcat S. *Chrysostomus* in homiliis, quae habentur in breviario in officio corporis Christi.

790. *Idem patet ex disciplina paenitentiali* antiqua, secundum quam peccatores nisi debita satisfactione praestita ad communionem non admittebantur.

Unde merito definivit *conc. trid.* sess. 13, can. 11: BS. q. d. solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum sanctissimae eucharistiae sacramentum, A. S. Et ne tantum sacramentum indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat {Denz. n. 893).

791. *Quoad explicationem huius legis* pauca notanda sunt:

a) Obligatur ad confessionem communioni praemittendam is tantum, quem „conscientia peccati mortalis gravat6, non igitur per se is, qui solum dubitat, utrum sit necne in statu peccati; at si vere rationes habet putandi se graviter peccasse, debet saltem conari actum contritionis elicere, ut periculum frustrationis effectus sacramenti, quantum potest, avertat.

b) Praeceptum confitendi obligat tantum, si habetur copia confessoris. Sin autem non habetur, non licet quidem semper accedere ad communionem sola contritione praemissa, sed solum tunc, quando

urget aliqua gravis necessitas, ut ipsum concilium declarat sess. 13, c. 7: „Quodsi necessitate urgente sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur“ {Denz. n. 880). Deest autem copia confessoris, quando consideratis circumstantiis vere magna difficultas, confessioni ipsi ut tali extranea, adest adeundi confessarium legitimum. Necessitas autem celebrandi vel communicandi adest, si quis sine magno damno vel suo vel proximorum a communione abstinere nequit; quae necessitas facilius adest pro sacerdote quam pro laico. Praeceptum confitendi quam primum (intra triduum : <8. *Alphons.* l. 6, n. 266) post communionem in tali casu necessitatis acceptam obligat solos sacerdotes, ut ex verbis elucet.

792. Ceterum hoc praeceptum confitendi ante communionem non est primo latum a conc. trid., quia concilium ipsum dicit hanc esse consuetudinem ecclesiasticam {Denz. n. 880). Quamvis autem theologi disputent, utrum hoc praeceptum sit ecclesiae an divinum, tamen *probabilius dicendum est ipsum Christum Dominum hoc ita ordinasse*, quia ex una parte fuit semper observatum in ecclesia et ex altera parte nullum apparet indicium, a quo vel quando hoc praeceptum sit impositum {Suarez disp. 66, sect. 3, n. 9).

Haec igitur omnia clarissime ostendunt *eucharistiam non esse sacramentum mortuorum sed vivorum* (cf. *Thomas* 3, q. 79, a. 3). Unde si SS. Patres dicunt hoc sacramento remitti peccata, hoc intellegendum est tum de peccatis venialibus tum de praeservatione a peccatis per imminutionem concupiscentiae. Haec patebunt, si consideraverimus, quae sit specialis gratia sacramentalis eucharistiae.

Pars II. Effectus eucharistiae est specialis animae cum Christo unio.

793. *Hoc ipse Christus testatur:* „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Qui manducat me, et ipse vivet propter me“ (Io 6, 57 sq). Itaque hoc est speciale huic sacramento, quod auctor vitae nobiscum ut cibus ad vitam nutriens et reficiens iungitur. Physica coniunctio fit per ipsam applicationem sacramenti; effectus autem est intima unio cum Christo per caritatem, complenda aliquando per unionem beatificam, ita ut hoc sacramentum sit initium et arrha vitae aeternae. Et per hoc distinguitur gratia sacramentalis huius sacramenti a gratiis aliorum sacramentorum, quod in hoc sacramento unio cum Christo per se et ratione sui intenditur. „Reliqua sacramenta vivorum non ordinantur per se primo et directe ad nutriendam caritatem propter solam maiorem perfectionem eius maioremque unionem cum Christo, sed ordinantur ad speciales effectus, propter quos conferunt specialia auxilia et aliquod augmentum gratiae, at vero hoc sacramentum per se primo ordinatur ad perficiendam unionem cum Christo et cum corpore eius“ {Suarez disp. 63, sect. 1, n. 3; cf. *S. Thomas* 3, q. 79, a. 1 ad 2). Unde

evidens est excellentia huius sacramenti prae ceteris non solum ratione rei contentae, quae est Christus, sed etiam ratione finis, qui est perfectio caritate consummata.

794. Quia autem *eucharistia hanc uisionem efficit per modum cibi et potus*, ideo „omnem effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem" (*Decr. pro armen.*; *Denz.* n. 698). Ergo sicut nutrimentum corporale restaurat vires corporis debilitatas, ita eucharistia *remittit peccata venialia*, quibus diminuitur fervor vitae supernaturalis; et sic est „antidotum, quo liberemur a culpis cotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur" (*Conc. trid.* sess. 13, c. 2; *Denz.* n. 875). Hic autem effectus obtinetur eo ipso, quod caritatis fervor augetur (*S. Thom.* 3, q. 79, a. 4 et q. 87, a. 1).

795. *Poenas temporales, quae perfectioni caritatis non obstant, eucharistia non delet ex opere operato*, quia non est instituta ad satisfaciendum sed ad uniendum cum Christo. „Sed quia haec unitas fit per caritatem, ex cuius fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpae sed etiam poenae, inde est quod ex consequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem poenae, non quidem totius, sed secundum modum suae devotionis et fervoris" (*S. Thomas* 3, q. 79, a. 5).

796. *Eucharistia roborat contra tentationes* tum per internam confortationem caritatis tum per auxilia actualia, tum quatenus daemones repellit per praesentiam eius, qui eos tam gloriose devicit. „Recedamus", inquit *S. Chrysost.*, „ab hac mensa tamquam leones ignem spirantes, diabolo terribiles" (*In Io. hom.* 46, n. 3; *M* 59, 260).

Porro *eucharistia, quia est convivium, spirituale quoddam gaudium et delectationem affert*, qua anima veluti inebriatur et gustu rerum terrenarum amisso ad sola caelestia anhelat, quamvis hic effectus non in omnibus aequè appareat tum propter defectum dispositionis tum ob alias causas (cf. *Suarez* disp. 63, sect. 9; *De Lugo* disp. 12, sect. 4, n. 90 sq).

Pars III. Effectos eucharistiae est specialis unio Christi cum corpore nostro.

797. Haec unio non solum in eo consistit, quod dona gratiae animae collata aliquatenus in corpus descendunt refrenando concupiscentiam et communicando initium quoddam status gloriae et restitutionis originalis iustitiae; sed praeterea etiam carne Christi, quamvis non ut alius cibus cum carne nostra misceatur, tamen corpus nostrum mystico quodam modo sanctificatur, quatenus Christus carnem nostram, contactu sacratissimae suae carnis consecratam, speciali modo ut suam et affinitate quadam sibi coniunctam considerat. Dicunt enim SS. Patres

nos fieri per sacram communionem concorporeos et consanguineos Christi, nos unione cum corpore Christi fieri immortales et incorruptibiles, eucharistiam esse pharmacum immortalitatis. Haec et similia multa SS. Patrum dicta ostendunt iis dubium non fuisse, quin corpora nostra per influxum corporis Christi speciali modo sanctificarentur.

798. *Potest imprimis haec sanctificatio morali modo explicari, quatenus Christus carnem nostram amat; nam „nemo umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam“ (Eph 5, 29); quae quidem dilectio operosa est et eo spectat, ut caro nostra, vitiis non infecta, secundum similitudinem carnis Christi perveniat ad gloriam incorruptibilitatis. Itaque per sacram communionem caro nostra habet specialem titulum iuris ad gloriosam resurrectionem. At nihil repugnat, ne admittamus *physicum Christi influxum in corpora nostra*, quo per debitam humorum temperationem concupiscentia mitigetur et maior inter corpus et animam harmonia efficiatur.*

Ita 5. *Cyrillus Alex.* e. g. in illud Io 6, 55: „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die“ haec ait: „Ego, inquit, in eo existens, per meam carnem videlicet, resuscitabo eum, qui manducat, nimirum in novissimo die. Fieri enim prorsus nequit, ut qui secundum naturam vita est, corruptionem non superet ac vincat mortem. Proinde licet mors, quae per praevaricationem nos invasit, humanum corpus corruptionis necessitati subiciat, tamen quia Christus per suam carnem in nobis est, omnino resurgemus. Incredibile enim est, immo vero impossibile, ut vita eos, in quibus fuerit, non vivificet. Quemadmodum enim scintillam multis paleis inserimus, ut semen ignis servemus, sic etiam Dominus noster Iesus Christus per carnem suam in nobis vitam integit ac veluti quoddam semen immortalitatis inserit, quod totam, quae in nobis est, corruptionem abolet“ (*M* 73, 582).

Neque tamen putandum est cum quibusdam, ut *Contenson*, per sacram communionem corporibus nostris physicam quandam qualitatem indi, quae ut semen quoddam futurae resurrectionis permaneat. Haec enim qualitas neque ob ullam probabilem rationem poscitur, neque, qualis sit et quomodo corrupto corpore permaneat, concipi potest. Praeterea generatim notandum est omnem effectum, quem eucharistia in corporibus nostris producat, subordinari principali effectui, qui est salus animae, et secundum condiciones tantum praesentis vitae, quae est pugna spiritualis, donari (cf. *Vazquez* disp. 204; *De Lugo* disp. 12, sect. 5; *Franzelin* thes. 19).

799. *Schol. 1*, Quando eucharistia effectum producat.

Eucharistia quamvis sit sacramentum permanens, *tamen augmentum gratiae producit sumptione*. Unde quamprimum facta est manducatio, gratia sanctificans producit. Disputant autem, *num, quamdiu post*

manducationem species maneant incorruptae, continuo novi gradus gratiae producantur. Alii affirmant, alii negant. Potest cum *Suarez* et aliis dici: Mere materialis praesentia corporis Christi in homine non auget continuo gratiam; nam omne sacramentum dat gratiam, quando applicatur; applicatio autem hic est sumptio. Rationabiliter tamen admittitur augeri gratiam ex opere operato, quamdiu Christus manet in corpore sumentis, si hic per novos actus se disponit ad maiores gratias recipiendas, quo sensu videntur sancti adeo commendare pretiosum illud tempus post susceptam communionem. Ceterum fortasse multi huius sacramenti effectus magis quam aliorum sacramentorum pendent a cooperatione hominum; nam cum totum tendat ad caritatem producendam, nisi homo studet affectus convenientes excitare, mirum non est, quod fructus mediocris producitur (cf. *Suarez* disp. 63, sect. 7; *De Lugo* disp. 10, sect. 2, n. 46 sq).

800. *Schol. 2.* Num eucharistia possit umquam primam gratiam conferre.

Multi absolute negant, ut *Vazquez* (disp. 205, c. 4), *De Lugo* (disp. 12, sect. 1). Alii dicunt iustificari per hoc sacramentum eum, qui bona fide accedat, nullam habens conscientiam peccati mortalis, etiamsi nullam aliam dispositionem habeat. Ita *Durandus* (In 4, dist. 9, q. 4) et alii. Haec sententia, si excludit omnem paenitentiam de peccato commisso, est falsa, quia sine ulla paenitentia in hoc ordine providentiae nullum remittitur peccatum. Tertia igitur sententia est posse eucharistiam iustificare eum, qui accedat cum bona fide et attritione supernaturali (implicita) de peccato commisso. Haec est sententia longe communissima, et docent eam S. *Thomas* (In 3, q. 79, a. 3), *BeUarminus* (l. 4, c. 19 in fine), *Suarez* (disp. 63, sect. 1, n. 10), *S. Alphonsus* (l. 6, n. 269) et alii tam communiter, ut opposita paucissimos tantum defensores habeat.

Datio est eadem, quam supra (n. 531) pro confirmatione attulimus. Dicunt autem adversarii hic esse specialem rationem, cur idem non possit dici de eucharistia; cibus enim numquam prodest mortuis sed vivis tantum. At haec ratio ostendit quidem sacramentum ex specifica sua natura et per se non dare gratiam primam, sed minime probat in hoc sacramento non esse eam virtutem, ut per accidens iustificare possit. Quomodocumque enim singula sacramenta inter se differunt, in hoc tamen conveniunt, quod in iis merita Christi Deo offeruntur ad petendam gratiam. Unde si homo non ponit obicem gratiae, nihil probabile afferri potest, cur Deus hanc petitionem non exaudiat. In tali casu collatio gratiae est effectus, qui non eatenus est contra vel praeter intentionem Christi, quatenus Christus eum excludit, sed quatenus relative raro tantum, supposita debita diligentia hominum, accidere potest, ut quis hoc modo iustificetur. Quae autem raro tantum et exceptionaliter fiunt, per accidens dicuntur fieri.

801. *Schol. 3.* Num eucharistiae sacramentuni possit reviviscere.

Qui in statu peccati mortalis, nullam habens conscientiam huius status, recipit eucharistiam sine attritione de peccato, non quidem peccat, sed fructum sacramenti hic et nunc recipere nequit. Quaeritur, num postea eum recipiat, si status peccati removeatur. Item si quis cum conscientia peccati mortalis eucharistiam recipit, non solum fructum nullum habet, sed etiam novum peccatum grave committit. At si postea confessione vel contritione remittuntur peccata eius, potest iterum quaeri, num tunc effectus aliquis ex antecedente comunione habeatur.

Utrumque merito negatur; nam ratio, cur reviviscentia in aliis sacramentis statuatur, est, quia ex una parte dantur ad obtinendum aliquem finem homini necessarium, ex altera vero parto repeti nequeunt; ideo ad obtinendum illum finem nulla alia via est nisi reviviscentia sacramentorum. Sed hoc non valet de eucharistia, quae totiens sumi potest, quotiens opus est. Ergo nulla eius reviviscentia est necessaria. Secus etiam sequerentur multa absurda. Ita sacrilege per totam vitam saepissime communicans, in fine vero rite confessus reciperet augmentum gratiae respondens omnibus illis comunionibus, et per sua sacrilegia acciperet magnum gradum sanctitatis (*De Lugo, De sacramentis in gen. disp. 9, sect. 6, n. 108*). Haec tamen ratio valet solum de peccaminosa sumptione (cf. *Suarez disp. 63, sect. 8*).

Si vero homo, quamdiu Christus sacramentaliter in eo manet, actum contritionis elicit, probabiliter dici potest accipere effectum sacramenti, quia probabile est hunc effectum tamdiu durare, quamdiu Christus adest, ut dictum est in *Schol. 1*.

802. *Schol. 4.* Num peccatum veniale et distractio impediatur fructum sacramenti.

Nulla peccato veniali, etiamsi in ipsa sumptione eucharistiae committitur, *impeditur augmentum gratiae.* Nam sacramenta operantur ex opere operato, quotiens ex una parte non ponitur obex gratiae, ex altera vero parte adest, praeter ea, quae requiruntur ad constitutionem ipsius sacramenti, debita intentio subiecti. Sed peccatum veniale nulli augmento gratiae obest. Ergo qui eucharistiam cum debita intentione recipit, licet cum peccato veniali, habebit augmentum gratiae, sed minus, quam si melius se disponeret.

Neque requiritur actualis devotio, ut eucharistia conferat augmentum gratiae, quia opus operatum non operatur per actus hominum; neque praeter intentionem et ea, quae necessaria sunt ad habendum statum gratiae, ullus alius actus tamquam dispositio praerequiritur. Per se tamen patet, ut iam dictum est, ex defectu devotionis multum minui fructum sacramenti, et maxime gratiam sacramentalem impediri (cf. *Suarez disp. 63, sect. 3*).

ART. III.

DE NECESSITATE SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

Prop. LXXIX. Eucharistia non est ad salutem necessaria necessitate modii.

803. *Arg. 1.* *Ad vitam aeternam nihil requiritur, nisi ut quis in statu gratiae decedat* (*Trid.* sess. 6, c. 16; *Denz.* n. 809; cf. 792). Atqui ad hoc eucharistia non est necessaria necessitate medii.

Prob, min.: Nam esset necessaria aut ad gratiam consequendam aut ad gratiam conservandam. Non ad consequendam, quia sumptio eucharistiae gratiam iam supponit. Non ad conservandam; nam perseverantia in gratia nulli sacramento tamquam effectus proprius convenit, quia sacramenta effectum suum proprium infallibiliter operantur; at perseverantia in gratia non est infallibiliter alligata susceptioni eucharistiae vel alius sacramenti. Si vero agitur de gratiis actualibus ad perseverantiam necessariis, nulla gratia actualis assignari potest, quae ita per eucharistiam detur, ut per aliud medium obtineri nequeat. Tandem potest aliquis brevi post susceptam iustificationem niori, antequam gratiis per eucharistiam concedendis indiget.

Aliis verbis: Omnis is salvatur, qui post baptismum aut nullum peccatum mortale commisit aut commissum confessione vel contritione delevit. Ergo eucharistia non est absolute necessaria necessitate rfiedii.

804. *Arg. 2.* Ecclesia catholica semper docuit *parvulos, qui post baptismum moriantur, antequam eucharistiam receperint, salvos fieri.* Immo idem docuit de adultis, qui necessitate impediti eucharistiam recipere non possunt. *Conc. trid.* (sess. 21, can. 4) definivit: „S. q. d. parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiae communionem, A. S.“ (*Denz.* n. 937). Secundum veteres autem canones paenitentiales quibusdam peccatoribus etiam in hora mortis denegabatur sacra communio, id quod fieri non potuisset, si haec esset medium ad salutem necessarium (cf. *De paenit.* VII, n. 48).

Praeterea concilia docent sacramenta baptismi et respective etiam paenitentiae esse necessaria necessitate medii (cf. *conc. trid.* sess. 7, can. 5 de bapt.; sess. 14, can. 6; *Denz.* n. 861 916). Itaque quia nihil tale dicunt de aliis sacramentis, haec non possunt censi media ad salutem necessaria.

Ergo si quando SS. Patres videntur contra pelagianos asserere necessitatem eucharistiae etiam pro parvulis, hoc ita volunt intellegi, ut infantibus necessaria sit unio cum Christo per gratiam, quam unionem ipse Dominus maxime repraesentat ut effectum eucharistiae, ut iam supra explicatum audivimus a *S. Fulgentia* (n. 635). Absolute igitur necessaria est res sacramenti, non sacramentum ipsum. Nisi hoc sensu Patres intellegendi essent, ipsi aperte secum pugnarent,

quia alibi clare docent solum baptismum sufficere infantibus ad salutem (cf. *S. August.*, De peccat, merit, et remiss. l. 1, c. 20, n. 26 sq; c. 26, n. 39; l. 3, c. 4, n. 7 8; *M* 44, 123 sqq). Cf. Zeitschrift für kath. Théologie 1911, 529 sqq.

805. *Schol. 1.* Necessitas aliqua eucharistiae latiore sensu admitti potest.

De qua dicit *Suarez*: „posse hoc sacramentum quodammodo seu moraliter dici necessarium ad perseverandum in gratia, i. e. valde utile et efficax; adeo ut dicere possimus eum, qui voluntarie diu abstinet ab huius sacramenti perceptione, vix posse moraliter dici perseverare in gratia sine novo peccato mortali" (disp. 40, sect. 2, n. 16). Ratio est, quia ille homo est in mala dispositione ad perseverandum, qui hoc medium tam efficax et ad communem usum institutum negligit.

806. *Schol. 2.* Neque votum eucharistiae necessarium est.

Sicut eucharistia in re suscepta non est absolute necessaria ad salutem, *non magis votum eucharistiae proprie dictum necessarium est*, quia nemo debet ut necessarium optare, quod non est necessarium. Ceterum votum improprie dictum eucharistiae omnes baptizati habent, quia a) per baptismum volunt (implicite) ius acquirere ad eucharistiam suscipiendam; b) per baptismum sese obligant ad suscipiendam eucharistiam, in quantum hoc praeceptum est. In hunc modum explicandus est *S. Thomas* 3, q. 73, a. 3 (cf. *Suarez* disp. 40, sect. 2, n. 22). Praeterea etiam dici potest eucharistia necessaria ad totam perfectionem vitae christianae adipiscendam. Ergo quicumque votum huius perfectionis habet, etiam habet votum eucharistiae. Sed hae variae necessitates non sunt id, quod intellegitur, si res aliqua dicitur necessaria necessitate medii aut in re aut in voto (cf. *De Lugo* disp. 3, sect. 2, n. 52).

Prop. LXXX. Eucharistia necessaria est necessitate praecepti divini et ecclesiastici.

Pars I. Eucharistia necessaria est necessitate praecepti divini.

807. Christus verbis „Hoc facite in meam commemorationem" (Lc 22, 19) non solum praecepit, ut sacerdotes eucharistiam consecrarent, sed etiam ut omnes fideles eam sumerent. Nam *S. Paulus* immediate haec verba ad omnes fideles applicat (1 Cor 11, 26). Similiter Christus dixit: „Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis" (Io 6, 54). Haec verba non possunt intellegi de necessitate medii; ergo intellegenda sunt de necessitate praecepti.

808. *Conc. trid.* sess: 13, c. 2 docet: „Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem hoc sacramentum instituit, in quo divitias

divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum; et in illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit suamque annuntiare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me' (*Denz.* n. 875). His verbis concilii profecto indicatur praeceptum divinum (cf. *S. Thomas* 3, q. 80, a. 11; *Suarez* disp. 69, sect. 1; *De Lugo* disp. 16, sect. 1). Unde licet sint theologi, qui non admittant praeceptum divinum sumendi eucharistiam, eorum sententia valde probabilis censi nequit. Cf. *Zeitschrift für kath. Théologie* 1913, 504 sqq.

809. Hoc praecepto neque infantes neque amentes *sed eos solos obligari, qui praecepti sunt capaces*, non indiget explicatione. Num vero obliget non baptizatos, est fere quaestio de modo loquendi, quia isti certo obligantur ad suscipiendum baptismum et dein baptizati ad communionem. Ceterum num homo non baptizatus etiam hoc titulo obligetur ad baptismum, quia tenetur ad communionem, disputant theologi. Affirmat *Suarez* (disp. 69, sect. 2, n. 2).

810. Ad quaestionem, *quando hoc praeceptum divinum obliget*, respondendum est certe obligare aliquoties per vitam, id quod colligitur tum ex materia eius, quae est sumptio cibi et potus, tum ex fine, qui est actus caritatis. Sed sumptio cibi et potus spiritualis et actus caritatis ex natura sua sunt res, quae saepius repeti debent. Tempora autem singula assignari non possunt, sed solum cavendum est, ne communicatio nimium differatur, quia secus oritur periculum transgrediendi praeceptum. Ob rationes vero externas, v. g. ad superandas tentationes, moraliter vix umquam oritur stricta obligatio hic et nunc communicandi, quia alia media suppetunt.

811. De obligatione ex praecepto divino accipiendi sacram communionem in articulo mortis ait *Suarez*: „Probabile est iure divino obligari hominem ad communionem in articulo mortis. . . . Haec sententia non est admodum recepta, et ideo solum illam affirmo ut probabilem et piam“ (disp. 69, sect. 3, n. 2).

Nunc multi theologi solent simpliciter affirmare hanc obligationem (cf. *S. Alphons.* l. 6, n. 290 295), sed rationem non afferunt nisi forte hanc, quod ecclesia semper summa diligentia curavit, ne morientes sine viatico decederent; haec autem consuetudo, cum a nulla positiva lege ecclesiae deduci possit, videtur ad voluntatem Christi Domini reducenda. Sed in hac suppositione difficulter explicantur canones veteres tam frequentes, quibus quibusdam peccatoribus non quidem paenitentia sed viaticum denegabatur (cf. tom. VII, n. 48 et *Suarez* l. c. n. 12). Diligentia autem ecclesiae sufficienter explicatur ex magna

utilitate huius sacramenti in hora mortis. Unde quamvis sententia affirmans praeceptum divinum sit probabilis, non est tamen certa (cf. *De Lugo* disp. 16, sect. 2, n. 25 sq). Practice in hac re consuetudo sequenda est.

812. In 6 deer. 1. 5, tit. 2, c. 4 viaticum dari praecipitur haereticis relapsis. si ante supplicium paenitentiam egerint; et similia saepe constituta sunt. Ergo *falsum est non licere eucharistiam iis dari, qui capitis damnati sunt.*

Eucharistia necessaria est necessitate praecepti ecclesiastici.

813. *Conc. later. IV* statuit, ut „omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur . . . suscipiens reverenter ad minus in pascha eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur et moriens Christiana careat sepultura” (*Denz.* n. 437).

Idem praeceptum denuo inculcavit *conc. trid.* sect. 13, c. 9 (*Denz.* n. 891). *Tempus paschale* per se intellegitur a dominica palmarum usque ad dominicam in albis, sed hoc solent episcopi accuratius determinare et plerumque ad latius spatium extendere.

814. *Quando' incipiat usus rationis* ad hoc sacramentum requisitus, non potest generaliter determinari. Debet autem adesse talis usus rationis, ut puer possit eucharistiam a communi cibo sufficienter distinguere. Ex decreto s. congregationis de sacramentis 8 Augusti 1910 aetas discretionis ad sacram communionem est circa annum septimum. Tunc igitur incipit obligatio satisfaciendi praecepto communionis, quae obligatio recidit in eos, qui curam puerorum habent (*Denz.* n. 2137 sqq).

815. Praecepto ecclesiastico *non satisfit per indignam communionem.* Nam *Innocent. XI* damnavit hanc propositionem: „Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem” (*Denz.* n. 1205).

Eum, qui tempore paschali non satisfecerit praecepto ecclesiastico, liberum esse ab obligatione communicandi usque ad sequens pascha, quamvis graves auctores doceant, tamen non est admittendum. Nam duplex est intentio legis ecclesiasticae: a) ne communio ultra annum differatur; b) ut fiat saltem tempore paschali. Ergo qui alteri parti non satisfecit, tenetur ad satisfaciendum priori (*Suarez* disp. 70, sect. 2, n. 4 sqq). *S. Alphonsus* 1. 6, n. 297 idem docet ut probabilius.

Similiter tenentur fideles ad removenda impedimenta communionis paschalis, ut excommunicationem, in quantum possunt. Tandem per se praeceptum impleri debet in ecclesia parochiali, nisi quis licentia, privilegio aut consuetudine eximitur.

Prop. LXXXI. Nullum est praeceptum divinum, quo non sacrificantibus praecipitur communio sub utraque specie.

816. Christus sacrificium missae ita instituit, ut non possit offerri nisi sub duplici specie. Hinc sacerdos offerens sacrificium debet utramque speciem consecrare et sumere, ut postea videbimus. Eucharistiam vero, ut est sacramentum tantum, solebant antiquitus fideles etiam recipere sub utraque specie, licet non semper, sed postea hic usus propter varia incommoda iam in desuetudinem abiit.

Saeculo XV *husitae* coeperunt docere necessitatem communionis sub utraque specie, maxime ii, qui vocabantur *utraquistae* vel *calixtini*. Quos condemnavit *conc. constant.* {Denz. n. 668). Saec. XVI *Lutherus* docuit calicem esse concedendum iis, qui velint eum accipere; *Calvinus* vero necessitatem calicis cum magna vehementia defendebat. Contra quos latae sunt definitiones *concilii tridentini*. Nunc extra ecclesiam latinam sumptio calicis fere apud omnes denominationes in usu est.

817. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Ex S. Scriptura nequit prolan necessitas utriusque speciei. Non ex Io 6; nam:

a) Ad hoc caput adversarii provocare nequeunt, quia negant ibi agi de eucharistia.

b) Christus ibi solum dicit debere fideles manducare carnem suam et bibere sanguinem suum. Atqui hoc fit per sumptionem unius speciei, quia in utraque specie Christus totus est cum carne et sanguine. Propterea Dominus ipse simpliciter dicit: „Et qui manducat me, et ipse vivet propter me“ (Io 6, 58). Ergo sola manducatione praeceptum impletur. Ita ipsum quoque *conc. trid.* argumentatur (sess. 21, c. 1; *Denz.* n. 930).

Non ex verbis: „Hoc facite in meam commemorationem“, quia, si sacerdotes sacrificium offerunt sub duplici specie, etsi ceteris distribuunt communionem sub una tantum specie, fit tamen totum, quod Christus fieri iussit. Verba enim Christi proxime diriguntur ad sacerdotes. Unde etiam verba: „bibite ex eo omnes“, ad apostolos dicta sunt, neque ulla ratione probari potest ea ad alios extendi debere (cf. *Bellarmin.* 1. 4, c. 24 sq).

818. *Arg. 2.* Ex antiquo ecclesiae usu.

Iam in vetere ecclesia communio saepe dabatur sub una tantum specie. Ergo non utraque species censebatur necessaria praecepto divino. Nam

a) saepe fideles panem consecratum secum in domos suas deferebant et ibi conservabant et accipiebant. Ita narrant *Tertullianus*. (Ad uxor. l. 2, c. 5; *M* 1, 1296); 5. *Basilius* (Ep. 93 ad Caesar.; supra n. 622); 8. *Ambrosius*. (De excessu fratris sui Satyri l. 2, n. 43; *M* 16, 1304); *Eusebius*. (H. E. l. 6, c. 44; *M* 20, 634); S. *Zeno Veronensis*. (l. 1, tract. 14, n. 4; *M* 11, 358; cf. ib. 309-364). Haec autem asportatio et maxime conservatio de sola panis specie intellegi potest, immo hoc saepe expresse dicitur (cf. *Scheiwiler*, Die Elemente der Eucharistie 165 sq. 178) h

b) Infantibus dabatur eucharistia sub sola specie vini, ut constat ex S. *Cypriano* (De lapsis c. 25; *H* 255) et aliis, id quod hodieque graeci observant.

c) Etiam in publica communione licebat fidelibus unam tantum speciem sumere. Hoc conicitur ex iis, quae S. *Leo* narrat de euty-chianis (supra n. 638).

d) In missa praesantificatorum una tantum species sumitur. Huius autem missae usus pro quibusdam anni diebus est antiquissimus, ut constat tum ex vetere «ordine romano» (*Jf* 78, 954) tum ex ritualibus orientalium (cf. *Goar*, Euchol. 190 sq).

819. *Arg. 3.* Ex conciliorum definitionibus.

Conc. constant., definivit: „Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerarie asserere praesumant populum christianum debere sacrum eucharistiae sacramentum sub utraque panis et vini specie suscipere ... contra laudabilem ecclesiae consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tamquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur, hinc est, quod hoc praesens concilium declarat, decernit et definit . . . quod, licet in primitiva ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, tamen haec consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala est rationabiliter introducta, quod a confidentibus sub utraque specie et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur. . . . Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum, et pertinaciter asserentes oppositum praemissorum tamquam haeretici arcendi sunt et graviter puniendi» (*Denz.* n. 626).

Conc. trid. sess. 21, can. 1: „S. q. d. ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi eucharistiae sacramenti sumere debere, A. S.» (*Denz.* n. 934; cf. 935 sq).

820. *Arg. 4.* Ex ratione theologica.

Sub una specie tota ratio sacramenti servatur. Ergo sumptio duplicis speciei non est necessaria.

1 Rarissime videtur esse servata species sanguinis, ut S. *Hieronymus* narrat de quodam episcopo: „Qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro" (Ep. 125, n. 20; -V 22, 1085).

Prob, antecedens: Christus perinde est in una specie atque in duabus. — Significatio sacramenti est refectio spiritualis. Atqui sicut fames et sitis spiritualis est una eademque res, ita sedatio huius famis et sitis per Christum sub una specie tantum sufficienter significatur. Similiter unio fidelium per caritatem significatur per panem ex multis granis confectum. Quia igitur et sacramentale signum et ipse Christus sufficienter adsunt in una specie, dicendum est „nulla gratia ad salutem necessaria eos fraudari, qui unam speciem solam accipiunt” (Conc. trid. sess. 21, c. 3; *Denz.* n. 932).

821. *Schol. 1.* Quae rationes suadeant usum eucharistiae sub una specie.

Quamvis susceptio eucharistiae sub una specie non subito ab aliquo concilio vel pontifice sed paulatim per consuetudinem introducta et postea tantum ab ecclesiastica auctoritate expresse approbata sit, tamen nullo negotio intellegitur optimas huius institutionis rationes existere, quales sunt hae: periculum effusionis, si magnae multitudini distribuitur calix; difficultas comparandi vini in quibusdam regionibus; naturalis quorundam hominum aversio vel a vino generatim vel saltem a bibendo ex eodem calice cum aliis; periculum infectionis.

822. *Schol. 2.* Num plus gratiae accipiatur per sumptionem utriusque speciei quam unius tantum.

Quaestio intellegenda est de sumptione in se spectata; nam eum, qui post sumptionem prioris speciei novis actibus melius se disponat, accipere per sumptionem alterius speciei augmentum gratiae omnes concedunt. Sed valetne idem manente eadem dispositione? Negant maiorem gratiam dari *S. Thomas* (Opusc. de sacram, altaris c. 29), *S. Bonaventura* (4, dist. 11, p. 2, a. 1, q. 2), *Dom. Soto* (In 4, dist. 12, q. 1, a. 12, § „Postremum argumentum”), *Bellarminus* (*De euch.* 1.4, c. 23), *Suarez* (disp. 63, sect. 6, n. 9). Et est communis sententia, quam tenent complures antiqui et recentiores, ut ait *De Lugo*, quamvis ipse oppositam probabiliorem existimet (disp. 12, sect. 13), in hac re secutus *Vazquez* et quosdam veteres.

Patio pro negativa sententia est, quod sacramenta causant, quod significant. Atqui utraque species simul idem significat, quod una, solummodo magis expresse. Sicut igitur baptismus trina immersione factus non causât maiorem gratiam, licet clarius significet quam una infusione collatus, ita non plus gratiae datur in eucharistia per duas species quam per unam. Ergo simili modo res est accipienda, ac si quis duas particulas panis consecrati suscipiat eadem communione; nam in hoc casu non plus gratiae dari omnes concedunt. Ceterum qui plura de hac re videre cupit, adeat doctores citatos; nam quaestio in se nullius est momenti, cum constet eum plus gratiae accipere, qui

melius se disponat. Ergo qui maioris gratiae est cupidus, studeat meliori dispositioni; habebit multo certiores vias perveniendi ad finem quam per sumptionem duplicis speciei.

ART. IV.

DE SUBIECTO SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

Prop. LXXXII. Subiectum sacramenti eucharistiae est solus et omnis homo baptizatus.

Pars I. Solus homo baptizatus est subiectum huius sacramenti.

823. Baptismus est ianua ad reliqua sacramenta (*Denz.* n. 696). Ergo qui non habet characterem baptismalem, non est in potentia ad ullum sacramentum recipiendum. Potest quidem ritus externus sacramentorum tali homini applicari; sed nullus erit effectus ex opere operato. Similiter nullus talis effectus erit ex eucharistia sumpta ab homine non baptizato. Nam sicut cibus corporalis ori vel stomacho hominis mortui ingestus nihil eum iuvat, ita non magis iuvat hic spiritualis cibus eum, qui non est supernaturaliter regeneratus per aquam baptismi.

Immo etiam homines iusti non baptizati sacramentum sumere nequeunt nisi mere materialiter. Licet enim spiritualiter vivant, tamen quodammodo organum iis deest ad digerendum hunc caelestem cibum. Sumptio autem mere materialis ne in ipsis quidem baptizatis rationem sacramenti intrinsecus ingreditur, quia virtus cibi est in ipso cibo, manducatio vero est applicatio tantum agentis ad patiens (cf. *De Lugo* disp. 1, sect. 7). Ergo eo quod non baptizatus recipit in se Christum in sacramento, non distinguitur ab aliis nisi per aliquid, quod ad sacramenti rationem omnino non pertinet. Nam etiam hoc sacramentum sicut omnia alia significando efficax est. Haec autem significatio omnino non refertur ad aliquem non baptizatum. Ergo licet Christus in tali homine materialiter praesens sit, tamen sacramentum nullius est efficaciae. Et hoc verum manet, licet corpori Christi in sacramento non moralem tantum sed physicam virtutem attribuamus ad efficiendam gratiam sanctificantem (cf. *Franzelin*, De eucharist. thes. 18, n. 2). Nam hanc virtutem corpus Christi non exserit nisi consequenter ad significationem sacramentalem; significatio autem est, ut eucharistia sit cibus spiritualis baptizatorum. Quidquid Christus non facit propter hanc significationem, hoc non fit ex opere operato sacramenti. Homo igitur non baptizatus sed iustus et bona fide accedens ad communionem potest quidem gratias accipere a Christo, non vero ex opere operato sacramenti.

Pars II. Omnis homo baptizatus est subiectum huius sacramenti.

824. Etiam quoad baptizatos duplex modus sumendi hoc sacramentum distinguendus est, immo triplex, si sumptio minus proprie intellegitur.

Ita docet *conc. trid.* sess. 13, c. 8: «Quoad usum [eucharistiae] recte et sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum sacramentum accipiendi distinxerunt; quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores; alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui, voto propositum illum caelestem panem edentes, fide viva, quae per dilectionem operatur, fructum eius et utilitatem sentiunt; tertios porro sacramentaliter simul et spiritualiter; hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant» (*Denz.* n. 882).

*Ergo peccatores baptizati sacramentaliter accipiunt eucharistiam, non mere materialiter, dummodo cum debita intentione accedant, quia sine intentione nullum sacramentum ab adulto suscipi potest. Differentia autem inter peccatorem baptizatum et hominem non baptizatum quoad susceptionem eucharistiae haec est, quod peccator baptizatus habet proximam capacitatem suscipiendi fructum sacramenti, quia signum sacramentale ad eum refertur, licet hic et nunc obicem gratiae ponat, cum non baptizatus nullam talem capacitatem habeat (cf. *Suarez* disp. 62, sect. 3, n. 2).*

825. *Amentes et infantes* posse cum fructu suscipere eucharistiam non est cur in dubium vocetur; tum quia hoc suadet vetus praxis ecclesiae dandi infantibus communionem, tum quia sacramenta operantur ex opere operato, non vero per actus suscipientis. Infantibus autem nunc non datur communio propter reverentiam sacramenti.

Sitne *semifatuis* usus eucharistiae concedendus, inde pendet, utrum sufficientem eius notitiam habeant necne. Quam si habent, saepius vel minus saepe pro eorum statu admitti possunt, respective debent. Si amentes perpetui aliquando habuerunt usum rationis et tunc erant boni christiani, potest iis postea dari sacramentum, dummodo periculum irreverentiae absit. Nam si bene antea vixerunt, habuerunt victualem saltem voluntatem sumendi sacramentum, id quod ad eius fructuosam sumptionem sufficit. Immo multi dicunt hora mortis debere iis dari, quia volenti digne accipere non licet denegare viaticum (cf. *S. Thotn.* 3, q. 80, a. 9. *Suarez* disp. 69, sect. 2, n. 5).

826. *Schol. 1.* De spirituali communionem.

Spiritualis communio, de qua loquitur *conc. trid.* (sess. 13, c. 8), est desiderium suscipiendi eucharistiam, procedens ex fide viva. Ergo eius fundamentum est caritas, et eius terminus est eucharistia. Quamvis autem hoc desiderium possit esse vel explicitum vel implicitum, quale in omni actu caritatis habetur, tamen hic solet intellegi desiderium explicitum. Porro non est putandum spiritualem communionem habere effectum ex opere operato; nam totus effectus est ex opere operantis, et solum ideo hoc modo facilius maior unio cum Christo acquiritur, quia consideratio mysterii amoris, quod est eucharistia, est

aptissima ad inflammandam caritatem (cf. *S. Thom.* 3, q. 80, a. 1. *Suarez* disp. 62, sect. 1. *Franc, de J'ouille*, L'exercice de Communion spirituelle, Paris 1899).

827. *Schol.* 2. De praecepto sumendi eucharistiam ante omnem alium cibum et potum.

Ad dignam eucharistiae susceptionem praeter animae dispositionem et decentem corporis habitum externum, quae ex lege naturali postulantur, *per legem ecclesiasticam praescribitur, ut homo sit ieiunus*, i. e. ne post mediae noctis horam (sive naturaliter sive legaliter computatam) quicquam, quod digeri possit, ab externo per modum cibi vel potus susceperit, licet in minima quantitate. Hanc legem dicit *S. Augustinus* iam suo tempore in universo orbe servatam esse, et putat eam institutam esse ab ipsis apostolis (Ep. 54, cf. supra n. 633). Multa testimonia pro antiquitate huius legis collegit *Suarez* (disp. 68, sect. 3). *Conc. constant*, de hac lege ait: „Sacrorum canonum auctoritas, laudabilis et approbata consuetudo ecclesiae servavit et servat, quod huiusmodi sacramentum non debet confici post cenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a iure vel ecclesia concessa vel admissa" (*Denz.* n. 626).

Moribundi possunt eucharistiam suscipere non ieiuni; idem valet de diu (ultra mensem) aegrotantibus, qui naturale ieiunium servare nequeunt, sed cum quadam restrictione (Acta S. Sedis XXXIX 603 sq). Praeterea interdum sacerdos non ieiunus debet perficere sacrificium iam ultra consecrationem nec vero ad finem perductum, sci. si aut alius sacerdos non potuit perficere sacrificium, aut si ipse celebrans sumpsit ad communionem aquam, putans esse vinum consecratum. Tunc enim debet aliam hostiam et vinum consecrare et sumere (Missale de defect. IV, n. 5 et X, n. 3). Alii autem casus, in quibus sacramentum sumendum est propter externam necessitatem, ut collisionem officiorum, vel ne iniuria sacramento inferatur, e. g. in haereticorum vel infidelium invasione, potius lege naturali eximuntur. Dispensationes tamen ab hac ieiunii lege ob iustas causas datae sunt et adhuc dantur.

ART. V.

DE MINISTRO EUCHARISTIAE.

Prop. LXXXIII. Minister conficiendae eucharistiae est sacerdos, distribuendae vero eucharistiae minister ordinarius ex officio est sacerdos habens iurisdictionem, ex delegatione vero quivis sacerdos, extraordinarius autem diaconus.

828. Quid sit minister ordinarius et extraordinarius, et quotupliciter haec distinctio intellegatur, vide supra (229 sqq 464 sqq). Priorem partem thesis negarunt albigenses et alii haeretici et maxime novatores saec. XVI, contra quos definita est doctrina catholica.

Soliis sacerdos est minister conficiendae eucharistiae.

829. In S. Scriptura solis sacerdotibus legimus Christum hanc potestatem dedisse. Immo S. Paulus dicit sacerdotum munus proprium esse sacrificare (Hebr 8), cum diaconi ad alia munera instituti sint (Act 6).

Idem constat ex antiqua praxi ecclesiae et doctrina traditionis. Secundum *S. Iustinum b προεστῶ* consecrat eucharistiam, diaconi vero distribuunt eam fidelibus (Apol. I, n. 65: *M* 6, 428). Secundum *£ Cyprianum* presbyteri offerunt (Ep. 5, n. 2; *H* 479), in sacrificio eucharistico sacerdos «vice Christi fungitur» (Ep. 63, n. 14; *H* 713). *S. Iohannes Chrysost.*: Oblationem «nunc sacerdotes faciunt» (In 2 Tim. hom. 2, n. 4; *M* 62, 612). *S. Ambrosius*: Christum «sequimur, ut possumus, sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio» (In Ps. 38, 25; *M* 14, 1051). Idem docent *Origenes* (Hom. 4 in Num. n. 3; *M* 12, 600 sq), *Hieronym.* (Dial. adv. Lucif. n. 21; *M* 23, 175), *Gaudentius Brixian.* (ÎW 20, 860), *hid. Peius.* (l. 3, ep. 75; *M* 78, 781), alii.

In omnibus ecclesiis haec potestas solis sacerdotibus in ordinatione datur.

Secundum *conc. nibaen.* *I* can. 18 non possunt diaconi sacrificium offerre; quare neque permissum est iis eucharistiam dare sacerdotibus. *Conc. arelat.* *I* can. 15: «De diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime id fieri debere.» *Conc. later.* *IV* ait: «Hoc utique sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus» {*Denz.* n. 430}. *Conc. trid.* sess. 22, can. 2: «S. q. d. illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse apostolos sacerdotes aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, A. S.» {*Denz.* n. 949; cf. 938}.

Pars II. Solus sacerdos est minister ordinarius distribuendae eucharistiae.

830. a) *Ordinarius minister dispensandae eucharistiae ex officio est sacerdos, qui habet iurisdictionem.* «In qua re dicendum est praeter potestatem ordinis requiri etiam potestatem iurisdictionis, et ideo non esse liberum cuilibet sacerdoti hoc sacramentum ministrare sed solum habenti iurisdictionem respectu eius, cui illud ministrat, vel facultatem ab eo, qui talem iurisdictionem habet» {*Suarez* disp. 72, sect. 2, n. 2}. Ratio est, quia pascere gregem nullus est nisi pastoris, vel cui pastor facultatem concesserit. Ergo de danda communione mutatis mutandis eadem valent, quae supra dicta sunt de baptismo. Consequenter sine iurisdictione vel facultate, saltem rationabiliter praesumpta, communionem administrare est peccatum mortale.

Nunc ex universali lege summus pontifex concessit hanc facultatem religiosis pro suis ecclesiis; episcopi eam concedunt iis, quibus curam ecclesiae vel sacelli publici committunt, licet non sint parochi; parochi

censentur omnibus, quibus concedunt facultatem in suis ecclesiis missam celebrandi, eo ipso simul dare licentiam distribuendi communionem. Licet autem dare eucharistiam omnibus, qui in aliqua ecclesia ad eam accipiendam accedunt, quamvis subsint alii superiori ecclesiastico. — Quoad sacella privata omnia pendent a privilegiis concessis.

Viaticum dare multo magis est exclusive parochorum, et regulares, qui extra casum necessitatis et sine licentia parochi hoc ius sibi arripiunt, excommunicantur (.Apostolicae Sedis" Ser. II, n. 14). Licet religiosis viaticum dare omnibus, qui sunt „de familia"; ergo etiam famulis extra clausuram habitantibus.

831. b) *Ordinarius minister eucharistiae, ex delegatione est omnis et solus sacerdos.* Ita ait *conc. trid.* sess. 13, c. 8: „In sacramentali sumptione semper in ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent, qui mos tamquam ex apostolica traditione descendens iure ac merito retineri debet" (*Denz.* n. 881). Haec potestas data est sacerdotibus iure divino (cf. *Suarez* disp. 72, sect. 1, n. 1-4 sqq).

Diaconus hanc potestatem sibi arripiens sine licentia fit irregularis propter usurpationem officii superioris (*S. Alphons.* l. 6, n. 234). Si tamen agitur de viatico, et nullus alius minister eucharistiae adest praeter diaconum, et periculum est in mora, potest diaconus licentiam tuto praesumere.

Pars III. Extraordinarius minister eucharistiae ex delegatione est diaconus.

832. Hoc constat ex vetere praxi ecclesiae. Quo autem sensu hoc munus diaconorum intellectum sit, constat ex lib. 8 *Constit. Apost.* c. 28: „Diaconus non benedicit, non dat benedictionem, accipit vero ab episcopo et presbytero; non baptizat, non offert; ipse vero, cum episcopus vel presbyter obtulit, dat populo, non tamquam sacerdos sed tamquam ministrans sacerdotibus [i. e. ex eorum commissione]. Nulli autem ex reliquis clericis licet opus diaconi facere" (Jf 1, 1126).

Iuxta hodiernam vero praxim ecclesiae diaconi multo rarius quam olim adhibentur ad distribuendam sacram communionem. Neque extra casum necessitatis licere omnes docent. Hoc diserte declaratum est a *sacra rituum congreg.* (25 febr. 1777), et iam indicatur a *conc. carthag. IV* (quod dicitur) can. 39. Necessitas autem intellegitur, quando nullus adest sacerdos, qui commode possit administrare (*Suarez* disp. 72, sect. 1, n. 8. *S. Alphons.* l. 6, n. 237, q. 1). In casu vero extremae necessitatis viaticum ex licentia etiam deferri posse a laico, censent *Suarez* (l. c. n. 10) et alii, et primis saeculis sine dubio fiebat.

833. *Schol.* De obligatione dandi aut denegandi eucharistiam et de statu gratiae ad hoc munus necessario sufficiunt ea, quae supra

(n. 260 291 sqq) dicta sunt¹. Solum id addendum est parochos debere curare, ut pueri suo tempore praeparentur et admittantur ad communionem.

Tempus administrandae eucharistiae est ab aurora usque ad meridiem, i. e. idem ac pro missae celebratione; pro viatico omne tempus aptum est. Similiter in favorem aegrotorum licet tempus ordinarium praevenire.

Ritus, quos rituale praescribit pro distributione eucharistiae, pro gravitate materiae aut sub gravi aut sub levi observandos esse constat. Licet in multis regionibus haereticorum et infidelium viaticum ad aegrotos deferre sine ulla veste sacra.

SECTIO III.

DE SACRIFICIO MISSAE.

PRAENOTANDA DE SACRIFICIO IN GENERE.

834. *Sacrificium est actus externus virtutis religionis.* Religio autem est virtus inclinans voluntatem ad dandum Deo debitum honorem. Porro Deus, cum sit primum principium et ultimus finis creationis et gubernationis omnium rerum, tali cultu honorandus est, qualis nulli creaturae impendi debet. Itaque speciale quoque nomen hic cultus soli Deo debitus accepit et *latria* vocari solet.

Actus autem latriae possunt esse interni, ut adoratio mere spiritualis et quaevis agnitio divinae excellentiae in mente tantum existens neque ullo signo manifestata; alii autem sunt actus externi, ut genuflexio, prostratio, alia signa sensibilia, quae ex voluntate colendi Deum ponuntur.

Vix opus est in memoriam revocare actui externo per se nullam dignitatem moralem convenire (cf. tom. III, η. 629), ideoque etiam totam moralem dignitatem sacrificiorum pendere ex interna bona voluntate eius, qui sacrificium offert (cf. *S. Thomas*, *Contra gent.* 3, 120, 9). Sed cum haec indoles sacrificio communis sit cum omnibus aliis actibus externis cultus religiosi, hoc loco sacrificium consideramus secundum specificam suam differentiam, quae consistit in determinatis actibus externis ad colendum Deum positis. De hac igitur ratione specifica sacrificii agendum est, qua sacrificium differt non solum generatim ab aliis actibus moraliter honestis, sed etiam ab aliis actibus virtutis religionis (cf. IX, n. 293 sqq).

¹ *Tridentinum* fidelibus commendat cotidianam communionem (sess. 22, c. 6; *Denz.* n. 944), et congregatio concilii die 20 dec. 1905 declaravit ad communionem cotidianam nihil aliud requiri nisi statum gratiae et rectam mentem accedendi, i. e. non ex vanitate similibusve rationibus, sed ex desiderio profectus spiritualis (Acta S. Sedis XXXV11I 400 sqq; *Denz.* n. 1981 sqq). Cf. *P. Bastien*, *De frequenti quotidianaque communionem*, Romae 1907; item *Report of the nineteenth Eucharistic Congress* 1908, London 1909, 161 sqq 214 sqq.

835. Inter haec signa externa maxime praestans est illud, quod vocatur sacrificium. *Solet autem sacrificium definiri: Oblatio substantiae sensibilis per aliquam eius immutationem Deo legitime facta ad ostendendam agnitionem supremam eius maiestatis et vitae necisquo absolutae potestatis.*

Hanc definitionem, per multa iam saecula communiter receptam, quidam nostra aetate impugnarunt, inter quos eminent *Iacobus Bellord*, episcopus milevitanus, qui in "The ecclesiastical Review" XXXIII, Philadelphia 1905, 1 sqq 258 sqq haec statuit: Secundum inquisitiones archaeologicas et historicas id, quod secundum primitivum rei conceptum sacrificio est maxime essentiale, non est oblatio Deo facta, sed potius convivium hominum cum Deo (vel diis). Epulae sacrificales non solum apud gentiles sed etiam in Scriptura tam novi quam veteris testamenti apparent ut elementum maxime essentiale sacrificiorum. Ad hanc assertionem probandam imprimis provocat ad auctoritatem doctoris *Dollinger* in libro "Heidentum und Judentum", Regensburg 1857.

Iamvero *Dollinger* plane contrarium docet, scilicet antiquissimis temporibus sanguinem consideratum esse ut nobilissimum, quod in tota natura inveniebatur, ideoque deitati gratissimum, quod ei ut donum et signum grati animi pro beneficiis acceptis offerri posset; simul sanguinem habitum esse fontem et sedem peccatorum ideoque aptissimum, qui loco ipsius peccatoris deitati offensae ut piaculum offerretur. Sanguine effuso sacrificium fuisse consummatum; caerimonias, quae sequebantur, non iam ad ipsum sacrificium pertinuisse, sed ad communionem, seu ad epulas sacrificales, quae erant signum reconciliatae sacrificio deorum gratiae. Ex plurimis sacrificiis nihil omnino comedebatur, sed cum aliis haec epulae erant intime coniunctae, ut ipsae quoque interdum sacrificium appellarentur. Haec *Dollinger* dicit de graecorum sacrificiis, et quidem illis locis (203 sq 209 sq), ad quos *Bellord* provocat²; commemorat ibi etiam vetustissimum morem sacrificiorum humanorum, in quibus homines occidebantur sed non comedebantur. Eodem modo explicat sacrificia aliorum populorum, et maxime hebraeorum (808 sqq), in quorum plurimis sacrificiis nullae erant epulae sacrificales, etsi sacrificiis pacificis tales epulae annexae erant.

Sed quid de archaeologia et historia? Prima sacrificia, de quibus aliquid refertur, sunt illa, quae Cain et Abel obtulerunt (Gn 4). Ter-

¹ Haec [^]theoria epularis* (the banquet-theory), ut eam vocat *Bellord*, excogitata est a quibusdam scriptoribus rationalisticis, ex quibus ad quosdam catholicos mediate vel immediate transiit; attamen multi alii, etiam protestantes, eam reiecerunt ut vanam speculationem, historico fundamento carentem (cf. The eccl. Review 1. c. 291 sqq).

* Etiam alios locos, e contextu avulsos *Bellord* non allegat secundum sensum auctorum (cf. The eccl. Review 1. c. 382 sqq).

minus, quo exprimitur haec actio, est iñsn sr^{ij}. Atqui hoc secundum sensum primitivum certe non significat epulas celebrare, sed „donum offerre“. Ergo in primis illis sacrificiis invenimus ideam donationis Deo factae, id quod etiam omnes exegetae catholici et acatholici, quos noverim, exponunt. Nullum ibi sive in vocabulis sive in contextu narrationis indicium convivii. Nihilominus illa „oblatio donorum“ et a iudaeis et a Christianis semper habebatur sacrificium. In Septuaginta vertitur: ἑλκε Καὶ . . . Ὀυσίαν τῷ κυρίῳ. *θυσία*, qui est terminus maxime proprius graecorum ad significandum sacrificium, non habet ullo modo sensum comedendi, sed urendi. In epistula ad hebraeos (11, 4) legimus: Πίστει πλείονα Ὀυσίαν Ἀβελ παρά Καὶ ζροσηνεγγεν τῷ Θεῷ, statim vero pro Ὀυσίαν ponitur δῶρα, ut rursus manifestum sit sacrificium illud fuisse donationem Deo factam. ἌΟmnis sacerdos constituitur, ut offerat δῶρά τε καὶ Ἐυσία (Hebr 5, 1).

Secundum sacrificium, de quo legimus in Scriptura (Gn 8, 20), est illud, quod obtulit Noe, non per modum epularum, sed per modum holocausti (nbb), quod combussit super altare. Similiter omnia holocausta et varia alia sacrificia secundum cultum leviticum destruebantur in honorem Dei sine ullis epulis sacrificalibus (Lv 6, 8 sqq, hebraice 6, 2 sqq; cf. 17, 10 sqq). Quomodo igitur, quod deest in praecipuis sacrificiis hebraeorum et aliorum populorum, eorumque antiquissimorum, potuit antiquitus censi pars maxime essentialis sacrificiorum? Contra vero idea donationis Deo factae nusquam deest in sacrificiis. Ergo haec est idea maxime primitiva. Fiebat autem haec donatio apud omnes veteres populos aliqua actione, qua res sive tota sive partim ex usu profano removebatur et Deo irrevocabiliter tradebatur. Haec interim de hac quaestione sufficient.

836. *Sacrificium est aliquid distinctum ab omni alio actu, quo Deus colitur.* Imprimis distinguitur ab actibus mere internis, ut per se patet. Deinde etiam inter actus externos cultus divini alii sunt, qui toti quanti transeuntibus actionibus absolvuntur, ut sunt preces vocales et cantus; alii vero in aliquo substantiali ritu consistunt, i. e. in ritu, quo res aliqua substantialis Deo offertur. Hanc autem solam oblationem rei substantialis communiter intellegunt, si de sacrificio loquuntur, et hoc est sacrificium proprii nominis.

837. *In S. Scriptura saepe oblatio rei substantialis ab aliis actibus, quibus Deus honoratur, distinguitur iisque opponitur:* „Si voluisses sacrificium [proprie dictum], dedissem utique, holocaustis non delectaberis; sacrificium [improprie dictum] Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias“ (Ps 50, 18 sq). "Misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta" (Os 6, 6). „Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius, ut oboediatur voci Domini? Melior est enim ob-

oedientia quam victimae et auscultare magis quam offerre adipem arietum (1 Reg 15, 22). Ritus variorum sacrificiorum describitur in libro Levitico. Non cuilibet homini licet sacrificare sed ministris tantum a Deo constitutis (Hebr 5, 1—4; cf. Nm 3 sqq et 16). Ergo sacrificium est actus religionis ab omnibus aliis clare distinctus.

Si vero interdum alii actus religionis sive interni sive externi vocantur iisdem nominibus quibus sacrificium proprie dictum, haec est denominatio analogica vel mera comparatio. ‚Immola Deo sacrificium laudis' (Ps 49, 14). ‚Qui facit misericordiam, offert sacrificium' (Eccli 35, 4). ‚Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum' (Ps 140, 2; cf. Ps 49, 23; Is 1, 11 sq; Ir 7, 21 sqq; Os 14, 3; Sap 3, 6; Rom 12, 1; 15, 16; Phil 2, 17; Hebr 13, 16).

838. *Sacrificium est in genere signi et ideo a SS. Patribus non raro vocatur sacramentum.* ‚Est [enim] modus conveniens homini, ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitae subiectionis et honoris, secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem domini' (S. Thomas 2, 2, q. 85, a. 1).

Itaque cum sacrificium sit signum externum nostrae ad Deum relationis, omnis autem relatio requirat duos terminos, necessario *duplex significatio, licet non plane disparata, sacrificio inest.* Ex una enim parte *significat supremam Dei maiestatem*, qua est Dominus omnium rerum et maxime vitae et mortis humanae. Ut igitur homo hoc Dei dominium sensibilibus exprimat, re aliqua quodammodo in Dei favorem se abdicat, hoc modo indicans Deum posse de se ipso suisque rebus pro libitu suo disponere. Res autem pretiosissima, quam in hac terra possidemus, est ipsa vita nostra. Unde melius Dei dominium significare non possemus, quam si ipsam vitam nostram ei mactarem. At quia hoc communiter fieri nequit, alia res pro vita humana substituitur et vicaria oblatione Deo sacrificatur. Ita Deus ipse rationem sacrificii explicat: ‚Anima carnis in sanguine est, et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris et sanguis pro animae piaculo sit' (Lv 17, 11). Sic igitur, quamvis omnibus actibus cultus divini fiat protestatio divinae excellentiae, tamen hoc est sacrificio speciale, quod in eo repraesentatur ritu maxime apto supremum Dei in vitam humanam resque omnes creatas dominium (cf. Euseb., Demonstr. evang. 1, 1, c. 10: M 22, 83 sqq).

839. Ex altera parte *sacrificium significat nostram agnitionem divini domini* et perfectam submissionem. Si enim sacrificium esset ritus mere externus sine sensu interno respondente, deesset ei omnis valor

moralis. Quare *S. Augustinus* ait: „Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, i. e. sacrum signum est" (De civ. Dei 1. 10, c. 5; *M* 41, 282). Immo dicit praecise internum sacrificium esse verum sacrificium, non quasi formalis ratio sacrificii in actibus internis consistat, sed quia cultus internus sit id, quod significetur cultu externo, et sine quo cultus externus sit inanis caerimonia. Similiter *S. Gregorius Naz.:* „Cum ego nossem neminem magno et Deo et sacrificio et pontifice dignum esse, nisi qui prius se ipsum hostiam viventem, sanctam exhibuerit, et rationabile obsequium, gratum atque acceptum ostenderit, Deoque sacrificium laudis ac spiritum contritum obtulerit, quod solum sacrificium is, qui omnia dedit, a nobis exposcit, quo tandem modo externum illud [eucharistiae] sacrificium, illud magnorum mysteriorum antitypum ipsi offerre auderem, aut quomodo sacerdotis habitum et nomen subire, priusquam sanctis operibus manus purificassem?" (Orat. 2, n. 95; *M* 35, 498.) *S. Thomas:* „Exterius sacrificium repraesentativum est interioris veri sacrificii, secundum quod mens humana se ipsam Deo offert; offert autem se mens nostra Deo, quasi suae creationis principio, quasi suae operationis auctori, quasi suae beatitudinis fini. . . . Soli igitur summo Deo homo sacrificium et latriae cultum offerre debet" (Contra gent. 1. 3, c. 120). Ergo sacrificium liturgicum significat sacrificium morale, quo homo se Deo ut supremo Domino suo subicit.

840. Iam videndum est, *quomodo haec significatio exprimatur signo externo.* Ad hoc autem intellegendum consideramus signum sacrificale secundum compositionem suam ex materia et forma, eodem modo quo antea de sacramentis dictum est (supra n. 24 sqq).

Materia remota per se posset esse quaelibet substantia, quae sub dominium hominis cadit. Attamen de facto saltem in cultu a Deo ipso instituto numquam offerebantur nisi res, quae aut ad vitam humanam sustentandam pertinent, ut animalia, panis, vinum, aut vitam humanam symbolice repraesentant, ut thus. Tales res sunt in actu primo prae ceteris aptae ad significandum supremum Dei in vitam humanam dominium.

841. *Materia proxima est aliqua immutatio rei, qua usui communi subtrahitur* (cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 85, a. 3 ad 3 et q. 86, a. 1). Utrum haec immutatio sufficienter adsit per solam moralem consecrationem, an debeat consistere in physica rei destructione, sive formali, ut est mactatio animalis, sive aequivalenti, ut est effusio vini, disputant theologi. *Negant requiri destructionem Suarez* (disp. 73, sect. 5, n. 5), *Arriaga* (disp. 49), *Vira* (disp. 5, q. 1, a. 2), alii; *affirmant Bellarm.* (De euchar. 1. 5, c. 2), *Vazquez* (disp. 220, c. 2, n. 12), *De Lugo* (disp. 19, sect. 1, n. 7), alii. Sed haec controversia nullo efficaci argumento dirimi potest. Nam si e. g. *De Lugo* argumentatur: „Alio-

quin consecratio sacerdotalis vel arae, per quam illa persona vel illa res consecratur et dicatur Deo, esset sacrificium* — respondent adversarii: Utique esset sacrificium, si ad hoc esset legitime institutum. Revera difficulter probatur gentiles non habuisse vel non habere illa dona, quae appendi solent ad statuas vel in templis idolorum, pro veris sacrificiis. Quidquid igitur est de hac controversia, hoc unum certum est: si Deus aliquod sacrificium instituit, in hoc inveniri omnia elementa ad rationem sacrificii necessaria.

F. S. Renz hanc ideam destructionis ad sacrificium requisitae exaggerat. Censet enim sacrificium verum esse illam tantum actionem, qua sacrificans se ipsum sanctificet tradendo se in mortem; cum vero solus Christus potuerit se ipsum voluntarie tradere in mortem, solam Christi mortem esse sacrificium verum et proprie dictum, omnia autem alia sacrificia esse sacrificia non vera, impropria, signa tantum veri sacrificii; sacrificiis veteris testamenti et sacrificio eucharistico convenire solam rationem repraesentationis sacrificii crucis, vocari autem sacrificia ut symbola unci veri sacrificii crucis; nihilominus sacrificium eucharisticum vocari posse verum et proprium sacrificium propter realem praesentiam Christi, propter quam hoc sacrificium sit unum idemque cum sacrificio crucis (*Die Geschichte des Mefiopferbegriffes* II, Freising 1902, 481 sqq).

In hac expositione (sicut in toto illo libro) vera et falsa permiscentur. Verum est sacrificium non minus quam omnes actus cultus religiosi conferre ad sanctificationem hominis, sed falsum est sanctificationem hominis esse id, quod sacrificio directe et immediate significatur et intenditur. Potest quidem homo recte dici sacrificio se ipsum referre ad Deum eiusque maiestati se subicere, sed hic actus non est sacrificio unice proprius, cum multis aliis modis idem fieri possit. Verum est sacrificium Christi in cruce esse excellentissimum omnium sacrificiorum, sine quo alia sacrificia nullam vim habent, qua Deo placere possint, sed falsum est alia sacrificia non esse vera et proprie dicta sacrificia, cum S. Scriptura illis constanter attribuat appellationes, quibus sacrificia proprie dicta significantur. Falsum est verum sacrificium non posse esse nisi voluntariam susceptionem mortis, sed sacrificium verum est omnis oblatio rite facta, qua supremum Dei dominium agnoscitur. Verum est sacrificia veteris testamenti fuisse typum sacrificii crucis, sed falsum est in hac typica repraesentatione esse reponendam essentiam illorum sacrificiorum, cum omnes ritus veteris testamenti fuerint typi Christi redemptoris. Sacrificia veteris legis non ideo erant sacrificia, quia erant typi; sed quia erant sacrificia veteris legis, ideo erant typi. Affirmat *Renz* propter longum usum sacrificiorum impropriorum homines paulatim veram notionem sacrificii oblivioni dedisse et illa sacrificia pro propriis habuisse (l. c. II 48<J sq). Sed revera homines illi recte senserunt, *Renz* autem opinabilem tantum theoriam excogitavit, quae nullum solidum funda-

mentum habet, et ad quam fulciendam in plurimis illis, quae tam diligenter ex Patribus et theologis excerpserit, vix quidquam invenitur. Iam explicatio peccati primorum parentum, quam pro fundamento suae theoriae posuit, est plane fabulosa, quam nullus SS. Patrum vel theologorum catholicorum umquam facere ausus est. Vult enim lapsos esse primos homines peccato impudicitiae contra naturam commisso et hac ratione corrupisse sanguinem humanum, qui non possit mundari, quamdiu non cruenta morte Deo in satisfactionem restitutus sit (l. c. I 6 sqq). Atqui dogmata ecclesiae non nituntur neque explicantur opinionum commentis, sed solidis rationibus theologicis. Ergo ista theoria admitti nequit.

842. Forma physica sacrificii est sensibilis oblatio rei mactatae.

Hoc quia quidam in dubium vocasse videntur, nonnullis argumentis probemus.

Arg. 1. In vetere testamento erat munus speciale et exclusivum sacerdotum offerre sacrificia (Ex 28. Hebr 5). Atqui interficere animalia sacrificio destinata poterant etiam laici. Nam Lv 1, 2 sqq legimus: „Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus . . . si holocaustum fuerit eius oblatio ac de armento, masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi . . . ponetque manum super caput hostiae . . . immolabitque vitulum coram Domino, et offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem eius, fundentes per altaris circuitum." Omnia igitur excepta sanguinis coram altari effusione a laicis fiebant (cf. *P. Scholz*, Die heiligen Altertiimer des Volkes Israel II, Regensburg 1868, 134 sqq).

Ergo formalis ratio sacrificii consistebat non in interfectione animalis sed in oblatione sanguinis animalis interfecti, a sacerdote facta. Quare aspersio sanguinis, a iudaeis dicebatur „radix et principium sacrificii" (*Jiaimonides*, De pasch. c. 2 6); quae si a laico facta erat, sacrificium erat invalidum et nullum (*Scholz* l. c.).

843. *Arg. 2.* Christus in cruce verum sacrificium obtulit. Atqui Christus non se ipsum interfecit, sed „per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo" (Hebr 9, 14). Ergo haec *προσφορά*. qua Christus mortem ab aliis sibi illatam caelesti Patri obtulit, est formalis ratio sacrificii crucis. Hoc autem sacrificium perficiebatur ipso instanti mortis, quando Christus „per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa" (Hebr 9, 12); quare tunc etiam velamen templi scissum est, quo sanctum sanctorum occludebatur (Mt 27, 51). Christus revelaverat se ex mandato Patris libere accepturum esse mortem pro salute hominum (Mt 20, 28. Mc 10, 45. Lc 22, 19 sq. Io 10, 17 sq). Ergo quando mortem obibat, erat oblatio ordinatione divina instituta et revelatione sensibilis facta.

844. *Arg. 3.* Sacrificium est signum manifestativum agnitionis maiestatis divinae, Atqui destructio alicuius rei, e. g. occisio animalis, ex se non est tale signum. Ergo debet aliqua actio accedere, qua haec destructio ad Dei cultum ordinatur, et in hac sensibili ordinatione forma sacrificii consistit. Haec autem ordinatio multis modis haberi potest. Si agitur de cultu a Deo revelato, in eo consistit, quod minister a Deo institutus secundum modum a Deo praeceptum sacrificium peragit. Sive tunc destructio fit simul cum hac oblatione per ipsum sacerdotem sive ante oblationem per alium, nihil refert, nam in omni casu non destructio qua talis sed ipsa oblatio constituit formam sacrificii.

Ita card. *Franzelin* docet: „Mactatio materialis non est forma ponenda a sacerdote, sed potius pertinet ad materiam et est materiae, h. e. victimae proxima dispositio, ut apta sit, quae per actionem sacerdotalem tamquam per sacrificii formam offeratur“ (De Verbo in eam. th. 50, n. 2).

Ita iam *Suarez*: „Sacrificium proprie significat actionem sacrificandi; si autem sacrificare est offerre, necesse est, ut ipsa actio sacrificandi in oblatione consistat. . . . Res autem, quae in sacrificio offertur, considerari potest, vel ut antecedit actionem offerendi vel secundum eum statum, in quo statuitur in termino oblationis, et utroque modo est materia sacrificii. . . . Et hinc ulterius ortum est, ut nomen sacrificii aequivoce sumatur. Nam et res oblata et actio ipsa, per quam offertur, solent sacrificium appellari; propriissime tamen dicitur de actione . . . [Possunt quidem immutatio rei et oblatio realiter coincidere, nam] immutatio rei oblatae, quatenus fit ex institutione divina et ad divinam excellentiam significandam, consecratio dicitur. . . . Ac denique haec eadem sacra immutatio, quatenus in Dei cultum et honorem fit, est ipsamet oblatio sacrificativa. quia per eam res oblata humanis usibus inepta redditur Deoque dicatur et in illius cultum transfertur. Non igitur his vocibus [oblationis, consecrationis, immutationis necessario] actiones diversae significantur sed una et eadem sub diversis respectibus (De euch. disp. 73, sect. 5, n. 2 3 6).

Similiter P. *Vazquez* dicit: „Ex parte formae sacrificium est nota existens in re, qua profitemur Deum auctorem vitae et mortis®; ex parte vero materiae .est mutatio rei, quae Deo offertur® (disp. 220, c. 3, n. 25 sq). Cf. *Knabenbauer*, Stimmen aus Maria-Laach XIV 548 sqq; XIX 216 sqq.

845. Ex dictis patet *sacrificium esse signum ad placitum*. Quamvis enim naturae instinctu homines impellantur ad Deo sacrificia offerenda, et quamvis e. g. occisio animalis apta sit ad significandum supremum Dei dominium, nihilominus haec significatio nulli rei necessario et ex natura inest, sed ad hoc significandum determinari debet, cum animalia ad multos fines occidi possint. Per se quidem, si de

ordine naturali agitur, singuli homines pro suo arbitrio signa apta assumere possunt ad Deum colendum; neque enim sacrificia ut sacramenta sunt signa efficacia gratiae, ut institutione divina necessario indigeant, sed sunt signa tantum ad manifestandam internam aestimationem, quam quis habet de divina excellentia; potest autem quilibet mentem suam manifestare omni signo convenienti, quo vult {*Suarez disp. 73, sect. 4, n. 6*).

846. Nihilominus singuli homines, sicut privata sua auctoritate non possunt efficere, ut voces, quae etiam sunt signa arbitraria, determinatam aliquam significationem accipiant, ut sint in actu secundo apta ad constituendum humanum sermonem, ita non magis efficere possunt, ut signum aliquod privata auctoritate assumptum sit etiam ipsi communitati humanae, in qua quis vivit, tale signum sacrum, iamvero homo non est ens solitarium sed sociale, et ob hanc rationem debent esse actus externi religionis, qui nomine communitatis fiant. Sicut igitur societas debet habere suum publicum cultum, ita *societas debet determinare signa, quae publice ad rationem sacrificii assumuntur*. His autem sacrificiis semel publice institutis non magis liberum erit singulis sua privata auctoritate alia sacrificia instituere, quam lingua aliqua humana semel instituta singulis liberum est alia signa adhibere seu signis institutis plane aliam significationem supponere. Societati enim publicae Deus ius dedit et quidem exclusivum ordinandi omnia, quae ad socialem et publicam hominum vitam pertinent, cuius pars principalis, ut iam Aristoteles ait, est cultus Dei.

847. Porro *potest Deus ipse positiva revelatione cultum externum instituere et determinare*, sicut factum est in testamento vetere et novo. iamvero postquam Deus certis quibusdam signis symbolicam sacrificii significationem indidit iisque solis coli se velle indicavit, absurdum est velle Deum colere non hoc modo sed alio, quo Deus coli non vult. Quamvis igitur multae aliae res sint, quae, si Deus vellet, adhiberi possent ad sacrificium, tamen nulla ex iis in actu secundo apta est ad significationem sacrificalem in ordine supernaturali.

Idem valet de ministris, quos Deus ipse instituit. Nam ministerio tali certis quibusdam hominibus tradito, alii et illicite et invalide exercitium cultus publici sibi arrogarent.

848. Hinc intellegitur, *cur martyrium non sit sacrificium*, quia sci. martyres neque ut victima neque ut ministri ad offerendos se in cruentum sacrificium a Deo constituti sunt. Possunt tamen martyres dolores et letales cruciatus ab aliis sibi vi et odio Dei illatos Deo offerre et ex amore eius perferre et magnum inde gratiae lucrum non solum ex opere operantis sed etiam quodammodo ex opere operato habere.

Christus autem moriens in cruce et victima et sacerdos a Deo institutus erat, qui mortem suam in pretium redemptionis pro genere humano offerret, et ideo in cruce verum sacrificium obtulit.

849. *Dividi possunt sacrificia in varias species, prout aut ad diversos fines offeruntur aut diversas materias habent.*

Ratione finis sacrificia dividuntur in latreutica, eucharistica, impetratoria, propitiatoria. Quamvis enim omne sacrificium sit adoratio Dei, haec tamen adoratio varia in se continet, i. e. agnitionem excellentiae Dei in se consideratae, excellentiae Dei, prout nobis est fons innumerabilium beneficiorum sive iam datorum sive in futurum concedendorum, tandem excellentiae Dei, prout peccatis nostris est offensa; et sic, secundum quod una ratio excellentiae Dei prae alia a sacrificante intenditur, quattuor distinguuntur genera sacrificiorum.

Ex his autem ultimum, i. e. *propitiatorium, pertinet ad statum naturae lapsae*; in quo statu sacrificium etiam ex speciali titulo magis quam in statu naturae integrae conveniens est generi humano. Nam ante peccatum quidem homines Deum colunt ut supremum Dominum vitae et mortis, sed post peccata praeterea per sacrificium se coram Deo reos mortis esse confitentur et hac humili confessione delictorum veniam impetrare student. Quare mirum non est, quod hic finis sacrificii ante omnes alios semper fere effertur tum in sacrificiis veteris testamenti, quae praescribuntur in libro Levitico, tum in sacrificio crucis (Hebr 10).

850. *Ratione materiae sacrificia dividuntur in cruenta et incruenta, prout aut animalia occidebantur aut res vita carentes offerebantur.* Omne sacrificium vocatur hebraice *korban*, graece *προσφορά*, latine *oblatio*. In lingua graeca *ἕσθια* est appellatio communis omnium sacrificiorum. Verbo graeco *holocaustus* nominantur eae victimae, quae omnino comburendae erant, et ex quibus nihil usui humano retineri licebat. Apud hebraeos *isheh* vel *lechem isheh* (= cibus ignis) vocabantur omnia, quae in altari cremabantur. *Minchah* erat omne sacrificium non cruentum (semel dicitur de cruento Gn 4, 4), et significat ut verbum *korban* simpliciter *donum* *Nesech* est libatio, *σπονδειον, σπουδή*. *Chattoth* est sacrificium pro peccato, graece vel *αμαρτία* vel *το περί αμαρτία*. Simile est sacrificium pro delicto: *το υπέρ άγνοια* vel *πλημμελεία*. Sacrificium pacificum (hebr. *sebach shelamim*) permulta nomina habet (P. Scholz, *Altertümer* II 174).

851. Consideratis iis, quae sacrificium essentialiter constituunt, remanet considerandum elementum, quod per se quidem non est necessarium ad habendum sacrificium, sed quod nihilominus in plurimis sacrificiis invenitur, i. e. *ratio typica vel mystica* sacrificiorum. Est autem sacrificium typicum vel mysticum illud, quo mysterium aliquod

supernaturalo repraesentatur, et maxime illud, in quo hostia non in specie propria sed sub specie aliena immolatur, quia sic simul adest ratio mysterii supernaturalis. Omnia sacrificia veteris testamenti, et maxime cruenta, erant figura sacrificii crucis futuri, ut docet S. Paulus Hebr 9 (cf. *Franzelin*, De sacrif. miss, thes, 4). Sacrificium vero missae est oblatio hostiae sub aliena specie et repraesentatio sacrificii crucis iam perfecti, ut postea videbimus. Itaque solum sacrificium Christi in cruce est plaije absolutum et quodammodo centrum et exemplar, ad quod omnia alia sacrificia referuntur (cf. *Suarez* disp. 73, sect. 2, n. 5).

ART. I.

DE VERITATE SACRIFICII MISSAE.

852. *Nota.* *Novatores saec. XVI* negasse eucharistiam esse sacrificium supra iam diximus (n. 568sq; cf. *Bellarmin.*, De missa l. 1, c. 5). Secundum eos religio Christiana sacrificio omnino caret atque ita aliqua re destituitur, quae naturali ratione dictante ad perfectionem cuiuslibet cultus essentialiter requiritur. Nulla enim religio consistere potest sine cultu externo, et inter actus cultus externi nullus est tam aptus ad honorandam supremam Dei maiestatem quam sacrificium. Unde nulla gens est tam fera et barbara, quae non aliquale saltem genus sacrificiorum habeat. Item Deus populo electo tamquam nobilissimas partes cultus divini varia sacrificia praescripsit et haec sacrificia typos esse voluit novae legis. Ergo si ipsa nova lex omni sacrificio caret, typo non respondet antitypus; nam solo sacrificio crucis haec ratio typica non explicatur; ecclesia esset imperfectior quam synagoga, imago imperfectior quam umbra, cum modus perfectissimus colendi Deum ei desit. Sicut enim cultu illo perfectissimo, quem Christus in terra vivens Deo exhibuit, cultus ecclesiae superfluous factus non est, ita non magis id, quod est supremum in hoc cultu, i. e. sacrificium, per Christi sacrificium abrogatum censi debet. Itaque ratio ipsa a priori suadet in religione Christiana esse sacrificium. Quod autem ratione indicatur, doctrina revelationis extra dubium ponitur. Considerandae sunt prius prophetiae veteris testamenti, deinde ipsa institutio sacrificii missae a Christo Domino in ultima cena facta.

§ i-

DE VATICINIIS, QUAE AD SACRIFICIUM MISSAE REFERUNTUR.

Prop. LXXXIV. Veritas sacrificii missae constat ex vaticinio Malachiae 1, 11.

853. *Argumentum.* Malachias praedixit in ecclesia Christi futurum esse sacrificium proprie dictum, quod apud omnes gentes et in omni loco offeratur. Atqui nisi missa est tale sacrificium, pro-

phetia haec non est vera. Ergo missa est verum et proprie dictum sacrificium.

Prob. mai.: Contextus prophetiae hic est: Propheta increpat sacerdotes iudaicos, quod victimas mutilas et languidas offerentes Deum contumelia afficiant; occasione huius sceleris annuntiat totum sacerdotium leviticum a Deo reiectum et aliud novum institutum iri: BNon est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.⁶ Ad litteram ultima verba ita vertuntur: #Et in omni loco suffitur (*muktar*), offertur (*muggash*) nomini meo, et quidem oblatio (*minchah*) munda, quia magnum nomen meum . . .“ (cf. *Knabenbauer*, Comm, in proph. min. II 434 sq).

Ut ex his verbis argumentum efficax fiat, *duo ostendenda sunt:*

1. verba referri ad *tempus messianicum*;
2. praedici *sacrificium proprie dictum*.

854. 1. *Verba huius prophetiae referuntur ad tempus messianicum.* Nam

a) nomen Dei dicitur adorari *per universum orbem* ab omnibus gentibus. Hoc enim significant tum verba illa „a solis ortu usque ad occasum“ (cf. Ps 49, 1; 112, 3; Is 45, 6; 59, 19) tum verba Bomni loco“ tum verba „in gentibus“ (*bagoim*), quia *hagoim* semper significat gentes alias in oppositione ad populum israeliticum; eo vero magis haec oppositio hic adest, quia Deus ait: Accipiam cultum de gentibus, sed „munus non suscipiam de manu vestra“ (v. 10). Deum autem ab omnibus gentibus coli prophetae constanter efferunt tamquam notam distinctivam temporis messianici (Is 11, 9; 49, 6; 60, 9; 66, 19. Am 9, 12. Mich 4, 2. Ps 21, 28; 71, 10 11). „Cum igitur ex serie prophetiarum indiciis adeo claris tempus messianicum designetur, non audiendi sunt, qui propter participia hebr. non tempus futurum sed praesens describi volunt. Quasi non etiam apud hebraeos participium adhibeatur de re futura (cf. Gn 15, 14), vel quasi non sollemne sit apud prophetas res futuras praesentes sistere et tamquam praesentes videre et describere (cf. Is 7, 14: 9, 6). Delineat enim participium statum et condicionem permanentem (cf. *Ewald*, Lebrbuch § 168c).⁶ *Knabenbauer* l. c. 434.

855. b) Ea, quae isto vaticinio praedicuntur, *aut referuntur ad regnum messianicum aut ad alia tempora.* Atqui non ad alia tempora. Ergo ad regnum messianicum.

Prob, min.: Non referuntur ad aetatem prophetae. Nam nomen Dei tunc non erat magnum apud omnes gentes, neque omni loco oblatio munda offerebatur. Quare eorum sententia admitti nequit, qui putant verba referri ad gentes suo modo Deum colere satagentes.

Nam „quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo“ (1 Cor 10, 20), neque ullo modo eorum oblatio dici potest munda. Neque potest admitti aliorum explicatio de iudaeis, qui inter gentes dispersi Deum colebant. Nam non erant ab ortu solis usque ad occasum omni loco inter gentes dispersi, A fortiori non offerebant ubique oblationem mundam; immo eam oblationem, quam in unica urbe Ierusalem offerebant, Deus reicit. An fortasse illi iudaei, qui contra Dei voluntatem (Zach 2, 7) inter gentes vivebant, adeo prae aliis pietate eminebant, ut Deus de eorum cultu gloriaretur? Poterantne praeterea pauci isti iudaei efficere, ut nomen Iabve magnum esset in universo mundo? Generatione ullo alio tempore quam messianico vim idololatriae superatam et in agnitionem excellentiae veri Dei oblationes mundas in toto orbe factas esse si quis affirmare vellet, sane non esset refutatione dignus. Ergo constat vaticinium Malachiae referri ad tempora messianica.

856. 2. *Vaticinio Malachiae promittitur sacrificium proprie dictum.* Hoc patet:

a) *Ex verbis ipsis.* Propheta enim utitur terminis, qui ex usu sacro iudaeorum sacrificium proprie dictum designant: *muktar, mug-gash, minchah*. Verbum *higgish (nagash)*, „offerre“, immediate ante versibus 7 et 8 ter adhibetur de sacrificio proprie dicto et rursus infra 2, 12; 3, 3. Eundem sensum habet multis aliis locis S. Scripturae (Ex 32, 6. Lv 2, 8. Am 5, 25). Ergo merito verbum hic intellegitur de sacrificio proprie dicto.

Sed vis argumenti maxime est in aliis duobus verbis, quibus propheta utitur. Imprimis verbum *minchah* est proprium ad significandum sacrificium, neque umquam, ut aliae voces sacrificales, sensu metaphorico usurpatur de oratione, misericordia etc. Quamvis circiter centies occurrat in libris Ex., Lev., Num., semper significat sacrificium sensu presso. Est autem speciale huic voci, quod non significat sacrificium cruentum nisi semel (Gn 4, 4), immo inter sacrificia incruenta semper fere significat fertum (Speiseopfer). (Cf. Zeitschrift für kath. Théologie, Innsbruck 1881, 519 sqq.)

857. De verbo *muktar* non est pna theologorum sententia. Indifferens quidem est, utrum sit participium verbale an nomen verbale, quia sensus manet idem. Prius est probabilius, quia non facile admittendum videtur duas formas participiales se immediate excipientes usurpari alteram ut verbum alteram ut nomen.

Sed quae est significatio huius vocis? Omnes concedunt radicalem significationem verbi *hiktir (katar)* esse „suffire“. *Alii* igitur dicunt *muktar* etiam hoc loco significare „suffitur“, et prophetiam verificatam esse volunt eo, quod in cultu liturgico frequenter thus adoletur. Cum enim haec impletio prophetiae litteralis habeatur, nulla

est ratio, cur non ipsa praedictio secundum litteralem et proximum suum sensum accipiatur (ita *Knabenbauer* l. c. 440). *Aliis* non placet haec explicatio, quod per eam suffimento thuris in ecclesia catholica videatur attribui ratio sacrificii. Ideo sumunt verbum *muktar* sensu metaphorico adorandi, colendi (ita *Reinke*, Comment, in h. l. 302, secutus nonnullos Patres). At obstat, quod hoc verbum nullibi sensu metaphorico sed semper proprio adhibetur. *Alii* dicunt verbum *hiktir* per se quidem significare sacrificium thuris, sed saepe etiam sumi generaliore significatione pro holocausto vel pro omni sacrificio, quod cremabatur. Hi verba Malachiae ita explicant, ut dicant iis promitti sacrificium aliquod, quod simul secundum valorem sit holocaustum et fertum (Brand- und Speiseopfer) (ita *Zingerle*, Zeitschrift filr kath. Théologie 1881, 509 sqq 524 sq). — Iamvero cum secunda explicatio admitti nequeat, certum est hoc verbo significari actum cultus externi. Si sensus suffimenti retinetur, Malachias non solum praedixit sacrificium incruentum (*minchah*) sed etiam ritum Christianum, qui cum hoc sacrificio intime nectitur. Si vero supponitur sensus generalior sacrificii, dicendus est propheta accumulare verba, quae sacrificia proprie dicta ad oppositionem cultus mere interni significant. Ergo in omni casu praedicitur sacrificium proprie et stricte dictum.

858. b) *Ex oppositione inter cultum veterem et novum.* Dicit enim Deus se velle reicere sacerdotes, cultum, sacrificia hebraeorum, et eorum loco alios sacerdotes, alium cultum, alia sacrificia introducere (cf. Mal 3, 3 4). *Haec autem oppositio ostendit agi de sacrificio proprie dicto;* nam Deus non minatur se velle abolere orationes internas et privatas, neque loquitur directe contra omnem populum sed contra sacerdotes, in quorum locum alios sacerdotes suppositurus est. „Ergo non loquitur de sacrificio spirituali, quod ab omnibus christianis offerri potest (*Bellarmino*. l. 1, c. 10, argum. 5). Sensus igitur increpationis contra sacerdotes iudaicos hic est: „Si Deus mundam respicit oblationem ubique ei offerendam, certe res erat indignatione plena, huius oblationis typum, figuram, praeparationem adeo turpiter tractari ab iis, quos ad regale sacerdotium et messianicae sacerdotalis dignitatis adumbrationem evexerat. Decebat enim expiationem messianicam et summam oblationis mundaе sanctitatem adumbrari sancte et digne, i. e. oportuit vetera offerri sacrificia eo honore et decore, ea reverentia et devotione, quae ad tantam mysterii sacri significationem typicam rite exprimendam requirebatur (*Knabenbauer* l. c. 433).

859. *Minor argumenti principalis,* i. e. solo sacrificio missae hanc prophetiam impleri, est per se satis evidens. Nam solum hoc sacrificium, in quo Christus ipse offertur, est simul et essentialiter mun-

dum et universale respectu populorum et locorum et sacrificium incruentum et sacrificium, quo nomen Dei glorificatur apud omnes gentes. Hac autem notae omnes nulli alii sacrificio conveniunt. Ergo solo sacrificio missae Malachiae vaticinium impletum est (cf. *S. August.*, Tract, adv. iudaeos c. 1, n. 13; *M* 42, 61).

860. Ceterum hanc explicationem vaticinii esse genuinam constat ex unanimi consensu SS. Patrum, quorum doctrinam partim iam vidimus, partim postea (n. 879 sqq) videbimus; tum ex *conc. trid.* sess. 22, c. 1: „Haec [eucharistia] illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest; quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit" (*Denz.* n. 939).

Prop. LXXXV. Veritas sacrificii missae constat ex aliis vaticiniis veteris testamenti.

Ex vaticiniis alia sunt realia, i. e. typi vel figurae, alia verbalia, ut praedictiones prophetarum. Utriusque classis vaticinia in vetere testamento exstant, quae maiore vel minore probabilitate ad sacrificium missae referri possunt, ut videre est apud *Bellarm.*, De euchar. l. 5, c. 6 sqq. Nos pauca tantum eaque certiora et notiora considerabimus.

861. 1. „*Melchisedech*, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei [Abraham]. ... Et dedit ei [Abraham] decimas ex omnibus" (Gn 14, 18 sqq). „Dixit Dominus Domino meo. ... Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech" (Ps 109). „Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech" (Hebr 5, 5-6; cf. 7, 1 sqq et de Verbo incarnato IV, n. 531). Ex his textibus probatur veritas sacrificii missae hoc modo.

862. a) *Melchisedech ut sacerdos sacrificium panis et vini obtulit.* Fuisse eum sacerdotem S. Scriptura expresse testatur. Vox enim *kohen*, saltem si ad Deum refertur, nihil aliud umquam significat nisi sacerdotem, quem sensum vocis etiam psalmista et S. Paulus evidenter supponunt.

Eo autem ipso etiam constat Melchisedech *sacrificium* panis et vini obtulisse. Nam quod sacerdos fuerit, ut ratio affertur, cur panem et vinum obtulerit: „Erat *enim* sacerdos". Haec autem ratio nulla erat, nisi haec oblatio erat sacrificium. Porro valde improbabile est Melchisedech panem et vinum obtulisse ad reficiendos servos Abrahamae,

nam In ipsi magnam copiam ciborum habebant (Gn 14, 11) et illis se iam recreaverant (Gn 14, 24). Praeterea Melchisedech accepit decimas ab Abraha, ex quo facto S. Paulus concludit sacerdotium secundum ordinem Melchisedech maius esse sacerdotio levitico (Hebr 7, 4 sqq); ad quam conclusionem intellegendam supponere oportet Melchisedech, illa occasione munero sacerdotali functum esse, i. e. sacrificium obtulisse.

Fatendum est ex solo textu hebraico neque posse efficaciter demonstrari Melchisedech illa occasione sacrificium obtulisse neque non obtulisse. Hoc pendet ex interpretatione vocis (protulit aut obtulit) et ex coniunctione illius membri set erat sacerdos" cum praecedentibus (obtulit) aut cum sequentibus (benedixit). Traditio autem Christiana semper intellexit ibi sermonem esse de vero sacrificio (cum epulis sacrificabilibus). Hoc patet ex versione Vulgatae; hoc patet ex oratione ecclesiae in canone missae: Domine, accepta habere digneris munera nostra, „sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel et sacrificium patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam"; hoc evidenter supponit *Tridentinum* (sess. 22, c. 1), hoc unanimiter docuerunt SS. Patres et veteres exegetae. Patrum dicta collegit *Bellarminus* l. c. Ex exegetis catholicis solus *Caietanus* aliter sensit. *Pererius* ait: Omnes scriptores ecclesiastici „concorditer, constanter et asseveranter" docent Melchisedech esse typum Christi, quatenus in sacrificando usus sit pane et vino. „Sed unde Patres cognitum habuerunt Melchisedech sacrificasse panem et vinum? Non aliunde profecto quam ex hoc uno loco Genesis; nusquam enim alibi legitur Melchisedech usum esse pane et vino. Ergo prolationem illam panis et vini a Melchisedech factam esse ad sacrificandum sensere omnes Patres, docente eos Spiritu Sancto et aperiente iis sensum, ut sic intellegerent hanc Scripturam" (In Gen. III, c. 14, disp. 5). Cf. *Hummelauer* in eundem locum (383 sq) et *P. Scholz* (Alertiimer II 198).

863. b) *Melchisedech hoc sacrificium obtulit ut typus Christi.* Nam Melchisedech esse typum Christi S. Scriptura diserte docet (cf. Mt 22, 43; Mc 12, 36; Lc 2°, 42; Act 2, 34) \ lamvero nihil aliud de Melchisedech narratur, quam quod habetur in cap. 14 Gen. Ergo praecise sacrificium tunc a Melchisedech oblatum figura erat sacerdotii Christi, et consequenter Christus sacrificium offert, quod est illius sacrificii antitypus, quia secus non apparet, quomodo sit sacerdos secundum „ordinem Melchisedech", nam ordo sacerdotii maxime essentialiter pendet ex ratione sacrificii. Porro cum evidens sit

1 Videlicet his locis edocemur pertinere ad Christum illum psalmum, in quo dicitur: „Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech" (Ps 109, 4).

similitudo inter ea, quae narrantur de Melchisedech et de ultima cena, nulla est ratio dubitandi, quin Christus tunc functus sit munere sacerdotii secundum ordinem Melchisedech et sacrificium anti-typicum obtulerit, Atqui quod Christus ipse fecit, hoc apostolis eorumque successoribus in omne futurum tempus faciendum praescripsit. Ergo celebratio eucharistiae secundum institutionem Christi est vere sacrificium.

Quomodo SS. Patres Melchisedech sacrificium typum sacrificii eucharistici explicent, uno saltem exemplo ostendamus, verbis *S. Chrysostomi*, qui ait ^Melchisedech virum fuisse iustum et vere imaginem tulisse Christi. Ille itaque prophetico spiritu motus, futuram oblationem pro gentibus proferendam intellegens, pane et vino Deum coluit, Christum venturum imitatus. Quoniam igitur iudaeorum synagoga secundum ordinem Aaronis hostiam offerebat Deo, non panem et vinum, sed vitulos et agnos, et cruentis sacrificiis gloriam Deo referebat, Deus ad eum, qui ex Virgine Maria nasciturus erat, Iesum Christum, Filium Dei, clamat et dicit: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech (Ps 109, 4), non secundum ordinem Aaronis, qui vitulis et agnis Deo cultum referebat, sed: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, pane et vino afferentium oblationem in perpetuum adducens" (Homil. de Melchisedech n. 3; *M* 56, 261 sq).

864. *Potest aliquis obicere*, cur S. Paulus non loquatur de sacrificio Melchisedech. *Respondeo*: Quia ad propositum eius non conferebat. Volebat enim ostendere excellentiam Melchisedech ut typi Christi prae sacerdotibus leviticis. Haec autem excellentia non poterat ostendi ex oblatione panis et vini, bene vero ex eo, quod Melchisedech Abrahamo benedixit et ab eo decimas accepit.

865. 2. *Deus pro nova lege novum sacerdotium promittit*. Ita Is 66, 21 post narratam conversionem gentium: „Et assumam ex iis [gentibus] in sacerdotes et levitas, dicit Dominus." Ibi sermonem esse de sacerdotio proprie dicto patet tum ex ipsis verbis (*kohanim*) tum ex eo, quod Deus dicit se velle eligere ex gentibus certos quosdam in sacerdotes. Ergo non loquitur de sacerdotio universali omnium Christianorum.

L'bi autem sacerdotium, ibi est sacrificium, ut docet S. Paulus (Hebr 8, 3). Quare idem propheta Isaias de aetate messianica ait: „In illa die erit altare Domini in medio terrae Aegypti. ... Et cognoscetur Dominus ab Aegypto, et cognoscent aegyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis et in muneribus, et vota vovebunt Domino et solvent" (Is 19, 19 sqq). Cf. *Knabenbauer* in hos textus.

Alia vaticinia habentur apud Danielelem (8, 12 sqq); similiter huc referri possunt 1 Reg 2, 35; Prov 9, 1 sqq et alia, de quibus vide *Bellann.* 1. c.

§ 2.

DOCTRINA NOVI TESTAMENTI DE SACRIFICIO MISSAE.

Prop. LXXXVI. Veritas sacrificii missae constat ex verbis institutionis eucharistiae.

866. *Sota.* Sicut sacramentum ita *sacrificium eucharisticum Christus praedixit*, licet verbis minus disertis. Interrogatus enim a muliere samaritana, ubi „adorari⁴ oporteat, utrum in urbe Jerusalem, ut iudaei volebant, an in monte Garizim, ut samaritanis placebat, respondet: „Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc neque in Ierosolymis adorabitis Patrem. . . . Sed venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate|| (Io 4, 21 sqq).

Supponendum est Christum eodem sensu respondisse, quo mulier interrogaverat. Iamvero quaestio non eo spectabat, utrum in urbe Ierusalem an in monte Garizim Deum simpliciter adorari liceret; nam simplicem adorationem ubique licitam esse et iudaei et Samaritani fatebantur. Dissensio erat de *cultu tantum publico et sollemni et imprimis de oblatione sacrificiorum*. Iudaei enim in solo templo Ierosolymitano, samaritani vero in monte illo sacrificia offerenda esse volebant (cf. *P. Scholz, Altertûmer I 253 sq*). Hinc Christus, si respondet in futurum Deum ubique adoratum iri, hanc adorationem non intellexit de simplici et privata adoratione sed de adoratione publica, i. e. imprimis de sacrificio Deo offerendo. Ergo secundum hanc praedictionem in ecclesia Christi sacrificium Deo ubique offertur, sicut prophetavit Malacbias. Atqui nisi eucharistia est sacrificium, verbis Christi eventus non respondit. Quod cum sit impossibile, necessario eucharistia est sacrificium (cf. *Bellarm.* 1. 1, c. 11).

867. Sed quia hoc vaticinium non est valde disertum neque ullo modo ostendit, cuius generis sacrificium futurum sit, pauca haec sufficiant Argumentum principale petitur ex verbis institutionis. Ut autem vis huius argumenti magis pateat, verba institutionis, ut a quattuor sacris scriptoribus referuntur, uno conspectu proponenda videntur.

868. *Alt 26, 26 sqq: Λαβών b Ιησού άρτον και εύλογησα έχλασεν και οού τοϊ μαϋηται̃ είπεν Λάβετε, φάγετε· τουτό έστιν τύ σώμά μου. Κατ λαβών ποτηριον χα'ι ευχάριστησα έδωχεν αύτοι λέρων Πίετε έξ αυτού πάντε · τουτό γάρ έστιν το α'μά μου, το τη [χαινη] οιαΘηχη, το περι πολλών έχγνννυμενον ει άιρεσιν αμαρτιών.*

Mc 14, 22 sqq eodem fere modo narrat et ultima verba ita exhibet: *Τουτό ἐστὶν τὸ αἷμά μου τῆ χαινῆ διαθήχῃ, τὸ ὑπὲρ πολλῶν ἐχχυννόμενον.*

Le 22, 19 20 ad verba: *Τουτό ἐστὶν τὸ σῶμα μου,* addit: *τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον. Τούτο ποιεῖτε εἰ τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.* Formam vero calicis ita refert: *Τούτο τὸ ποτηρίου ἡ χαινῆ διαθήχῃ ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐχχυννόμενον.*

Paulus 1 Cor 11, 24 25: *Τουτό μου ἐστὶν τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν.* In multis codicibus additur: *χλώμενον,* in uno *θρυπτόμενον,* in Vulgata „quod tradetur“. Verba calicis haec referuntur: *Τούτο τὸ ποτηρίου ἡ χαινῆ διαθήχῃ ἐστὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι τούτο ποιεῖτε, ὅσαχι ἐὰν πίνυτε, εἰ τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.*

869. *Argumentum.* Christus loquitur de sacrificio proprie dicto corporis et sanguinis sui. Atqui hanc rationem sacrificii habent corpus et sanguis Christi in ipsa eucharistia. Ergo eucharistia est sacrificium proprie dictum h

Prob. mai.: Christus dicit se corpus suum tradere et sanguinem effundere in remissionem peccatorum. Atqui haec expressio in S. Scriptura significat sacrificium. Ita e. g. in vetere testamento sanguinem pro delicto effundere idem est ac sacrificium offerre (Lv 14, 17 ; 17, 11; cf. Hebr 9, 22 et ita passim). Similiter sacrificium crucis his verbis saepe significatur (Rom 3, 25; 5, 9. Eph 1, 7. Col 1, 14 20. Hebr 9, 11 12. 1 Petr 1, 2 19. 1 Io 1, 7 et identidem in Apocalypsi et alibi). Neque ii protestantes, qui omnino admittunt sacrificium Christi, negant Christum hic loqui de sacrificio offerendo pro peccatis mundi, sed intellegunt verba eius de sacrificio crucis.

870. *Prob. min.:* Christus dicit: *τουτό ἐστὶν τὸ αἷμά μου τὸ ἐχχυννόμενον.* Ergo non dicit: Hic est sanguis meus, qui aliquando pro vobis effundetur. Nam *participium temporis praesentis* in lingua graeca non significat tempus futurum; et quamvis aliae formae praesentis interdum adhibeantur de tempore futuro, nullum tamen exemplum talis usus occurrit pro participio praesentis, et hoc eo minus, si etiam verbum finitum est in forma temporis praesentis, ut hic: *τουτό ἐστὶν . . . τὸ ἐχχυννόμενον.* Illud *τὸν γόρτου αὐρίου εἰ χλίβανου βαλλόμενον* (Mt 6, 30) nihil probat, quia ibi non est sermo de aliqua re, quae aliquando in futurum fiet, sed de re, quae semper fit: Faenum uno die floret et alio die in clibanum mittitur. Quod vero *ἐργόμενον* interdum dicitur de eventu futuro, ut „miseriae venturae, *ταλαιπωρίαι ἔπερχόμεναι* (Iac 5, 1), hoc facile explicatur ex significatione huius verbi, nam quod venturum est, hoc continuo quasi veniens est. Quod autem protestantes dicunt ideo poni tempus praesens, quia res

1 Cf. Dr *J. Helm*, Die Einsetzung des heiligen Abendmahls als Beweis für die Gottheit Christi, Würzburg 1900, 69 sqq.

proxime futura sit* est vanum effugium, quia nullum exemplum huius usus afferre possunt.

Renz (Die Geschichte des Meßopfer-Begriffs I 118 sqq) negat Christum in ultima cena sacrificium obtulisse, idque contra verba *conc. trid.* (sess. 22, c. 1): Christus in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium . . . sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et iisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper catholica ecclesia intellexit et docuit- (*Denz.* n. 938). Ipse *Renz* concedit, in concilio quattuor tantum episcopos negasse sacrificium a Christo in ultima cena oblatum esse, unum vero dubitasse (l. c. II 152). Sed quidquid est de quorundam opinionibus, definitio ipsa concilii est clara. Omnia, quae *Renz* affert, solum ostendunt a concilio non esse direptam disputationem, in qua re formaliter consistat ratio essentialis sacrificii missae.

Obicit *Renz* contra argumentum ex Scriptura: Quicumque mediocriter operam dedit lectioni textus originalis Scripturae, scit paene nullam esse differentiam inter participia praesentis et futuri, ideoque ex vocabulo *ἐξυψώσθων* non posse fieri argumentum, cum hoc vocabulum unice referatur ad futurum sacrificium crucis; sicut etiam quando Ioannes Baptista ait: „Ecce agnus, qui tollit (cd/wy) peccata“, loquebatur de futura tantum re, non de praesenti, neque ullus iudaeus poterat haec verba aliter intellegere.

Resp.: Etiam ii, qui non „aliquamdiu“, sed diu multumque textui originali studuerunt, contrarium censent. *Knabenbauer* ad *Ἰχθυνομένον* annotat: „Tempus itaque praesens exprimitur; neque enim participium praesens graecum pro futuro adhiberi solet (vide *Winer* § 45; *Butt- niann* p. 255; *Blass* p. 193). Significatur igitur effusio, quae fit; ad sanguinem proinde in calice contentum haec effusio refertur, id quod etiam clarius elucet ex verbis Lc 22, 20 *τούτο το -στηριον . . . το ὕ-ερ υμῶν ἰχθυνομένον*, ubi ipse calix, i. e. sanguis in eo contentus, dicitur effundi. Quare quod aliqui codices it. et vulg. legunt *effunditur*, sensum accurate exprimit“ (Com. in Matth. II, ed. 2, 442). Codices, qui ita legunt, sunt amiatinus, fuldensis, hubertianus, mediolanensis, oxoniensis, lindisfarnensis, Vercellensis, cantabrigiensis; ergo iam saeculo quarto ita legebatur.

Neque difficultatem creat illud *αἶρω*; nam Christus iam tunc erat tollens peccata mundi; immo hoc verbum ei per modum attributi

1 .Vergegenwärtigung des nahen und gewissen Zukünftigen (Meyer in Matth. 26. 28).

constantis convenit ratione muneris sui. A iudaeo illud „tollens peccata" non potuisse intellegi nisi de futuro sacrificio crucis est falsum; nam Matthaeus, loquens de sanatione aegrotorum a Christo facta, addit hac ratione esse impletum vaticinium de Christo portante infirmitates nostras (Mt 8, 16 sqq). Ergo iudaeus potuit intellegere a Christo per totam vitam suam tolli peccata hominum.

Alia, quae Renz profert, sunt declamationes, quae discussionem non postulant, ut si dicit eum, qui referat *ἔχχοννόμενον* ad ultimam cenam, plane ignorare doctrinam Scripturae, offendere contra fundamentum dogmatis de redemptione, incidere in manifestam contradictionem, cum doceat Christum in cena non mori et tamen mori, non offerri et tamen offerri, et similia, quae de sua dignitate et probandi vi deturbare velle superfluum videtur. Renz omnia considerat in luce theoriae suae et omnia ad eam conformare studet. Recta autem via est, ut prius statuatur doctrina catholica, et dein, si opus est, theoria formetur. Itaque quamdiu fortiora non obiciuntur, argumentum sumptum ex vocabulo *εχχυννόμενον* stat inconcussum.

871. Eo vero magis participium hic significat tempus praesens, quia *subiectum, ad quod verbum refertur*, necessario hoc tempus postulat. Christus enim secundum Lucam non dicit: *το αἷμα το ἐχχυννόμενον* sed *το ποτηριον το ἐχχυννόμενον*. Quamvis enim calix et sanguis secundum rem significant idem, cum *ποτηριον* sit continens pro contento, tamen modus significandi est alius. Neque enim sanguis simpliciter potest vocari calix sed solum eatenus, quatenus in calice est, ita ut sensus verborum Christi sit: Sanguis meus hic et nunc, prout in calice est, effunditur. Et sane si sanguis Christi solum in cruce effusus esset, nullo modo dici posset calix effusus esse, neque calix dici posset novum testamentum in sanguine Christi. Ergo sanguis, praecise ut est in eucharistia, effunditur in remissionem peccatorum et est sanguis foederis (cf. Ex 24, 8), et sic ipsa eucharistia habet rationem sacrificiil.

1 Sunt qui argumententur ex vocabulo *χλώμενον* in hunc modum: Christus dicit se hic et nunc frangere corpus suum pro salute mundi. Atqui quod corpus frangitur *pro salute mundi*, indicat sacrificium; *frangi* vero dicitur ideo, quod paratur in cibum, quia .fregit et dixit: Accipite et manducate* (1 Cor 11, 24), Ergo in ipsa cena Christus corpus suum obtulit in sacrificium.

Ad hoc argumentum varia notanda sunt. Imprimis illud *χλώμενον* probabilius non est lectio genuina; nam non exstat in optimis codicibus, non habetur in Vulgata, omitti solet in editionibus criticis. Porro quamvis frangere panem idem sit ac panem in cibum dare, numquid statim sequitur: Frangere corpus esse idem ac corpus in cibum dare? Fractio autem, quam S. Paulus commemorat illis verbis: .fregit et dixit . . .*, non erat fractio corporis Christi sed fractio panis ante consecrationem. Porro qui ex illo vocabulo argumentantur, dicunt corpus frangere esse idem ac corpus in statu cibi ponere. At hoc non est verum; nam ne illud quidem panem frangere idem est ac panem in statu cibi ponere, sed significat dare ad manducandum id, quod iam antea est in statu cibi. Unde multo minus fran-

Qui dicunt *ἐχχυννόμενον* referri ad *αἵματι*, annotant constructionem esse duram et incorrectam; unde quidam concludunt esse posterius additamentum. Sed recte respondet *Berning*: Cur recurramus ad artificiosas suppositiones, cum applicatio regulae grammaticalis magis obvia sit et bonum sensum exhibeat? (Die Einsetzung der heiligen Eucharistie 107). .Continens pro contento est figura tam usitata, ut nemo miretur, si audit effundi vas, sed statim intellegat effundi id, quod est in vase. Ubi adest conveniens subiectum, arbitrarium est hoc relicto facere constructionem aliam secundum sensum \ id quod recte inculcat *Winer-Moulton* (Grammar of the New Testament Greek, Edinburgh 1882, 791) respectu nostri textus; similiter multi alii. Si vero dicitur calix effundi, sensus est: Sanguis meus eo ipso, quod sub specie vini in calice ponitur, effunditur (effusione sacramentali), quatenus sic sensibus sistitur separarim a corpore in signum eius effusionis, qua in cruce realiter a corpore separabitur. Itaque mystice, i. e. ritu sacramentali, Christus in eucharistia sanguinem suum effundit, quem realiter effundet in cruce, idque in remissionem peccatorum, ergo per modum sacrificii.

Jil
P*

HP

IM.

872. *Schol.* De lectione Vulgatae.

In nostra *Vulgata* verba *διδόμενον, ἐχχυννόμενον* vertuntur: „quod tradetur, effundetur Quae lectio non quidem antiquissima est; nam olim in *Vulgata* legebatur: .traditur, effunditur", ut iam dictum est, neque vim textus graeci perfecte reddit; non tamen falsa est. Nam sacrificium a Christo in cena oblatum refertur ad sacrificium crucis tamquam anticipata repraesentatio eius. Unde sanguis, qui in eucharistiae sacrificio hic et nunc effunditur, est sacrificium repraesentativum crucis. Si dicitur: sanguis effunditur, directe enuntiatur sacrificium praesens et indirecte significatur sacrificium futurum, cuius illud est imago; si vero dicitur: sanguis effundetur, directe significatur sacrificium futurum et indirecte sacrificium praesens, quod est imago illius. Ergo in utroque casu idem alio modo dicitur (cf. *Franzelin* p. 359 sqq).

gere corpus potest significare corpus in statu cibi ponere. Praeterea in membro parallelo *τὸ αἷμα τὸ ἐχχυννόμενον* non significat sanguinem in potum dari, multa minus praeparari, sed sanguinem mystice effundi; ergo in hoc quoque membro proprius ad rem videtur interpretari: Corpus meum mystice mactatur, et hoc eo magis, quia corpus Christi non in se frangitur sed ratione sacramentalis speciei. SS. Patres hoc verbum non explicant, neque umquam theologi specialem vim posuerunt in hoc additamento, antequam theoria quaedam peculiaris card. *De Lugo* hoc fulcro indigere videretur. Iudicent ipsi legentes, quid momenti verbo tribuere velint; sane mihi videtur omne argumentum et omnis theoria huic vocabulo ut a Christo Domino dicto et explicationi modo propositae tamquam proprio fundamento innitens esse domus super arenam aedificata.

1 Constructio secundum sensum habetur e. g. Iac 3, 8; Ape 5, 11; 8, 9, quibus locis haec constructio postulatur, quia alia est impossibilis. Ergo si ratio adest, quam excluditur constructio communis, admittenda est constructio secundum sensum, non vero arbitrarie haec statuenda est.

Prop. LXXXVII. Doctrina S. Pauli plane concordat cum dogmate sacrificii missae.

873. *S. Paulus satis clare innuit dogma sacrificii missae.* Nam Hebr 13, 10 scribit: „Habemus altare (*θυσιαστήριον*), de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt/ Postquam versu praecedenti dixit nihil iudaeis profuisse olim praecepta legalia de escis statuta, docet iis, qui ad gratiam legis christianae pervenire velint, relinquendam esse legem mosaicam. Ne autem iudaei querantur relicto Moyse se altari destitui, quod ad omnem cultum perfectum requiratur, ostendit etiam Christianos altare habere, de quo edant (*θυσιαστήριον*). Ubi autem est altare (*θυσιαστήριον*), ibi est sacrificium (*θυσία*). Neque enim ad alium finem altare aedificatur nisi ad sacrificandum. Unicum autem altare, de quo christiani edunt, est altare eucharisticum. Ergo eucharistia est sacrificium.

Longe plurimi exegetae catholici veteres et recentes et quidam acatholici verba illa intellexerunt de altari eucharistico. *Schanz* (Die Lehre von den heiligen Sakramenten 444) allegat *Chrysostomum*, *Theophylactum*, *Oecumenium*, *Primasium*, *Sedulium*, *Hesychium*, *Anselmum*, *Caietanum*, quibus alii facile addi possunt, ut *Iustinianus*, *Cornelius a Lapide*, *Calmetus*, *Reischl*, *Bisping*, *Zill* et ita porro. Pauci catholici aliter sentiunt, ut *S. Thomas*, *Estius*, *Stentrup*. Rationes plane efficaces pro alterutra sententia non adsunt. Pro nostra expositione maxime urget, quod Paulus iudaicis cibis (*βρώασιν*) sacrificialibus opponit cibum, quo solis Christianis licet vesci (*ιπάγειν*). Si quis autem ita loquitur, nullo facto indicio transitus a re sensibili ad rem pure intellegibilem, videtur utrimque loqui de cibo religioso externo, idque eo magis, cum et iudaei et christiani revera talem cibum habuerint vel habeant. Pro opposita sententia urgetur, quod mensa eucharistica illa aetate non vocabatur altare. Sed cum iam apud vetustissimos Patres haec appellatio in usu fuerit, ut apud Ignatium, potuit auctor epistulae ad hebraeos esse primus, qui hunc usum introduxit (cf. *Thalhofer*, Das Opfer 233 sqq).

874. Cum christiani ipsi altare habeant, de quo edant, monet apostolus, ne intersint conviviiis sacrificialibus gentilium. „Quae immolant gentes, daemoniis immolant et non Deo. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum. Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum. Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum" (1 Cor 10, 20 21). Sacrificiis igitur daemoniorum apostolus opponit mensam dominicam, et dicit Christianos ex hac mensa sumere corpus et sanguinem Christi, ut gentiles sumebant idolothyta ex suis altaribus, et christianos edentes de sua mensa societatem inire cum Christo, sicut gentiles manducantes idolothyta iungebantur cum daemonibus. Tota igitur haec comparatio apostoli innuit eucharistiam

esse sacrificium Deo immolatum. Nam expresse docet simplicem manducationem eorum, quae idolis immolata sunt, non esse per se illicitam, sed participationem sacrificiorum gentilium, cum christiani participes sint mensae Christi. Ergo altare altari opponit et eucharistiam esse sacrificium haud obscure declarat (cf. *Bellarm.* l. 1, c. 14). Similiter 1 Cor 9, 13 indicat in ecclesia Christi non minus esse sacerdotes quam in synagoga. Et horum sacerdotum ministerium alibi vocatur *λειτουργία* (Act 13, 2), quae vox solet ad sacrificium referri (Lc 1, 23. Hebr 9, 21).

Fr. Wieland censet illis verbis 1 Cor 10, 20 21 non indicari aetate apostolica celebrationem eucharistiae iam habitam esse actionem sacrificalem, neque mensam eucharisticam tunc consideratam esse ut altare. Ita in libello „Mensa und Confessio“ (München 1906, 24). E contrario *conc. trid.* sess. 22, c. 1 de illis verbis apostoli ait: „Quam [oblationem mundam] non obscure innuit apostolus Paulus, Corinthiis scribens, cum dicit non posse eos, qui participatione mensae daemoniorum polluti sunt, mensae Domini participes fieri, per mensam altare utrobique intellegendam“ (*Denz.* n. 939). *Wieland* etiam docet ecclesiam primitivam nihil docuisse de oblatione corporis et sanguinis Christi in eucharistia per modum sacrificii Deo facta (l. c. 26 sq 36 106), sed hanc doctrinam inde a temporibus Irenaei paulatim ortam esse (l. c. 47 sqq). Hoc rursus discrepat a sensu ecclesiae, quae non agnoscit doctrinam credendam, nisi quae in Scriptura consignata aut ab ipsis apostolis quasi per manus tradita ad nos pervenit (*Denz.* n. 783)l.

J
3
3
I
P*
875. *S. Paulus in epistula ad hebraeos nihil docet, quod adversetur veritati sacrificii missae.* Adversarii ex hac epistula obiciunt duos textus: a) quod Christus „una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos“ (10, 14), et per hoc differt novum testamentum a vetere, in quo multa sacrificia offerebantur, b) In vetere testamento „alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem [Christus], eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium“ (7, 23 24). Sed hi textus nihil probant contra sacrificium missae.

876. a) *Apostolus eatenus opponit unum sacrificium Christi multis sacrificiis veteris testamenti, quatenus uno sacrificio Christi plena satisfactio*

Contra *Wieland* scripsit *E. Borsch* in *Zeitschrift für kathol. Théologie*, Innsbruck 1908, 307 sqq. *Wieland* respondit opusculo „Die Schrift *Mensa und Confessio* und P. Emil Dorsch S. J. in Innsbruck*, München 1908. Dein *Dorsch* edidit librum „Der Opfercharakter der Eucharistie einst und jetzt“, Innsbruck 1909. *Wieland* iterum respondit libello „Der vorirenäische Opferbegriff“, München 1909. Hunc libellum discutit *Dorsch* in *Zeitschr. für kathol. Theol.*, Innsbruck 1910, 71 sqq. Omnia illa opuscula Francisci *Wieland* posita sunt in *Ind'ce librorum prohibitorum* (Acta apostolicae sedis 1911, 11). Cf. de hac disputatione *Theologische Revue*, Münster 1907, 624 sqq et 1908, 59 sqq; *Der Katholik* 1908 I 434 sqq; II 463 sqq et 1909 I 125 sqq.

praestita est pro peccatis, cum sacrificiis veteris testamenti nulla talis satisfactio praestaretur, sed indigentia tantum futurae satisfactionis declararetur. „Umbram habens lex futurorum bonorum ... per singulos annos iisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere. Alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati cultores semel mundati" (10, 12).

Posset aliquis obicere ideo repeti sacrificia, quod homines iterato in peccata reciderent et ita, licet antea vere mundati, nova mundatione indigerent. At qui ita diceret, mentem apostoli assecutus non esset. Argumentatur enim apostolus secundum ordinem providentiae, qui reapse a Deo institutus est, in quo ordine *nulla est remissio peccatorum nisi condigna satisfactione praestita*. Porro cum unumquodque grave peccatum in se sit malitiae omni malitia simpliciter finita maioris, condigna satisfactio praestari nequit nisi satisfactione simpliciter infinita. „Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata" (10, 4). Iamvero si semel satisfactio simpliciter infinita praestita est, praeter eam nulla alia requiritur ad satisfaciendum pro aliquo peccato, immo pro omnibus peccatis totius mundi. Ergo si sacrificia propitiatoria inter se independentia repeti debent, signum est nullum eorum esse valoris satisfactorii infiniti. Si vero infiniti valoris non est, omnino nullius valoris est, sicut reapse erant sacrificia veteris testamenti in se spectata, quia „in ipsis commemoratio [non remissio] peccatorum per singulos annos fit" (10, 3). Christus autem in cruce „semel oblatus est ad multorum [i. e. omnium] exhaurienda peccata" (9, 28). Ergo praeter hoc sacrificium nullum aliud requiritur, quod quicquam satisfactionis addat.

877. Hisce apparet, quomodo doctrina apostoli de sacrificiis veteris testamenti nullo modo applicati possit ad sacrificium missae. Nam *sacrificium missae nullam omnino satisfactionem addit ad sacrificium crucis, sed est huius ipsius sacrificii incruenta repraesentatio et applicatio*. Ergo confitemur unica oblatione Christi in cruce factam esse condignam satisfactionem pro omnibus peccatis, sed dicimus hanc satisfactionem singulis hominibus applicandam esse et hanc applicationem fieri inter alia per sacrificium missae.

Referebantur quidem etiam sacrificia veteris testamenti ad sacrificium crucis, sed quod dictum est de sacramentis, hoc valet etiam de sacrificiis. *Sacrificia veteris legis remissionem peccatorum promittebant, non dabant*; sacrificium vero missae est causa remissionis peccatorum. Ideo sacrificia veteris legis erant commemorativa peccatorum, sacrificium vero missae est remissivum peccatorum. Repetebantur igitur sacrificia vetera ad significandum nondum peccata esse remissa; repetitur sacrificium missae ad ostendendum remissionem peccatorum continuo applicari hominibus in actu secundo. Ergo qui

argumentationem apostoli transferre conantur ad sacrificium missae, incassum laborant, quia omni ex parte deest paritas.

878. b) *Difficultas de exclusione omnis sacerdotii praeter sacerdotium Christi ex dictis soluta est.* Ecclesia enim, ut nullum agnoscit sacrificium, quod in locum sacrificii crucis succedat vel independentem ab eo valorem habeat, ita nullum agnoscit sacerdotium, quod in locum sacerdotii Christi succedat. In vetere testamento nullus sacerdos nomine praecedentis sacerdotis munere fungebatur, ut eius vicarius esset, sed suo nomine. In novo vero testamento nullus sacerdos suo nomine sacerdotio fungitur sed nomine Christi et ut vicarius eius: „Sic nos existimet homo ut ministros Christi" (1 Cor 4, 1). Erant quidem etiam sacerdotes veteris testamenti ministri Dei, neque vero erant ministri Christi hominis, ita ut Christus per eos sacrificium offerret, quia Christus, cum nondum existeret, agere non poterat. Ergo quia Christus neque ut victima neque ut sacerdos operabatur in sacrificiis veteris testamenti, haec sacrificia erant merae figurae et typi, in quorum locum succedere debebat efficax sacrificium novae legis; sed in sacrificio missae Christus est et offerens et victima. Nulla igitur paritas inter sacrificia illa et sacrificium missae.

„Clarum est igitur iis omnibus, quae docet apostolus de unitate sacrificii crucis propter perfectionem consummatae satisfactionis et de multiplicatione sacrificiorum veteris testamenti propter inefficaciam, qua tantummodo erant expressiones nondum praestitae satisfactionis, non excludi sacrificium perenne ad applicationem satisfactionis in cruce completae. Immo si spectatur modus, quo se habet Christi satisfactio postulans applicationem, et si simul spectatur natura cultus publici et sollemnis, cuius perfectio sacrificio continetur, institutio huiusmodi iugis sacrificii pro cultu perfectiore novi testamenti exigi omnino videtur⁸ (*Franzelin* p. 337).

DOCTRINA TRADITIONIS DE SACRIFICIO MISSAE.

Prop. LXXXVIII. Veritas sacrificii missae constat ex Traditione.

879. Doctrina de sacrificio missae saepe et minime ambigue in Traditione proponitur; sed propter rei gravitatem iuvat usque ad prima eius indicia ascendere.

In *Doctrina 12 apostolorum*" (c. 14) legimus: „Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite (*χλάσατε ἄρτον καὶ εὐχαριστήσατε*), postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum (*ἰῆυσία ὑμῶν*). Omnis vero, cui est controversia cum proximo suo, ne conveniat vobiscum, donec reconciliati sunt, ne in-

quinetur sacrificium vestrum. Hoc enim est dictum a Domino (αορj γάρ [^υσι'α] εστιν η ρηιλείσα υπό κυρίου): „In omni loco et tempore offeratur mihi sacrificium mundum, quoniam rex magnus sum, dicit Dominus, et nomen meum mirabile in gentibus/ (c. 15:) Constituite igitur vobis episcopos et diaconos dignos Domino/

In his verbis sermo est de eucharistia; nam die dominica Christianos convenisse „ad frangendum panem" iam ex Actibus apostolorum (20, 7) constat. „Panis autem, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?" (1 Cor 10, 16.) Unde hic terminus „panem frangere" mox factus est usitatus ad significandam celebrationem eucharistiae. Quare hic etiam monentur christiani peccata delere, ut puro corde possint accedere ad mensam Domini. Haec autem celebratio eucharistiae vocatur sacrificium, idque non sensu improprio sed proprio. Nam *δυσία* per se significat sacrificium proprie dictum; unde si quis illam vocem vult accipere sensu improprio, debet ostendere rationem cur, quae nulla est in contextu. Secundo dicitur in celebratione eucharistiae impleri vaticinium Malachiae; atqui hoc vaticinium loquitur de sacrificio proprie dicto. Tertio alluditur ad dictum Christi de sacrificio non offerendo in statu inimicitiarum (Mt 5, 23 sq), ubi iterum sermo est de sacrificio proprie dicto. Quia vero liturgia confici non potest nisi per *του λειτουργού*, monentur fideles: „Eligite *igitur* vobis episcopos et diaconos dignos."

In qua re Didache reponat rationem sacrificii eucharistici, hic non dicitur. Quidam vident aliquid indicatum in capite nono, ubi haec leguntur: „Quod eucharistiam attinet, sic gratias agite, primum de calice: Gratias tibi agimus, Pater noster, pro sancta vite David pueri tui, quam indicasti nobis per Iesum puerum tuum." Nam *τη άγια άμπέλω Δαβίδ* dicunt exprimi sanguinem Christi in calice contentum. Ita *Funk* in h. 1.: ^Contextum respicientibus verba de vino eucharistico seu de sanguine Christi nobis interpretanda sunt. Clemens Alex., doctrinam [Didachen] haud dubie cognitam habens, sanguinem vitis David sanguinem Christi distincte appellat, „Quis dives salv/ c. 29 scribens: *ουτο [sci. Χριστό] ό τόν οίνον, το αίμα τη άμπέλου τη Δαβίδ, έχχέα ημών επί τά τετρωμενα ψυχά* Idem censet *Struckmann* (Die Gegenwart Christi in der hl. Euch. 10 sqq), qui etiam alia argumenta affert et provocat ad modum, quo verba Didaches reddita sunt in Constit. apost. 7, 25: „Adhuc gratias agimus tibi, Pater noster, pro pretioso sanguine Iesu Christi effuso nostra causa et pro pretioso corpore, cuius et haec antitypa celebramus" (*Funk*, Didasc. I 413). Eandem sententiam *Scheiwiler* copiosius exponit (Die Elemento der Euchar. 6 sqq). Similiter *περί του κλάσματο* dicit Didache esse gratias agendas (9, 3 4): „Gratias tibi agimus, Pater noster, pro vita et scientia, quam indicasti nobis per Iesum puerum tuum; gloria tibi in saecula. Sicut hoc *κλάσμα* dispersum erat supra montes, et collectum factum est unum, ita colligatur ecclesia tua a finibus terrae in regnum tuum ;

quoniam tua est gloria et virtus per Christum in saecula.“ Dein additur hoc monitum (9, 5): „Nemo autem edat vel bibat de vestra eucharistia, nisi qui baptizat! sunt in nomine Iesu; de hoc enim dixit Dominus: Ne date sanctum canibus.- Manifeste ergo sermo est de pane eucharistico, non de pane communi, id quod etiam patet ex sequenti capite (10, 3), ubi Deus dicitur omnibus dare cibum et potum ad fruendum; «nobis autem largitus es spiritualem cibum et potum et vitam aeternam per puerum tuum

Itaque si haec simul sumuntur, veteribus Christianis persuasum erat in eucharistia confici verum corpus et sanguinem Christi et hanc confectionem corporis et sanguinis Christi esse sacrificium proprie dictum. Quodsi quaedam in hac expositione non sunt certa, certum tamen est eucharistiam ea iam aetate vocatam esse sacrificium sensu proprio.

Etiam *Clemens Horn*, incidenter loquitur de sacrificio Christianorum. Comparat enim ordinem ecclesiasticum a Deo in novo testamento institutum cum ordine a Deo in veteri testamento instituto et ait: «Cuncta ordine debemus facere, quae nos Dominus statutis temporibus peragere iussit. Oblationes scilicet et officia sacra (να τε -ροσφορά καὶ λειτουργία) diligenter perfici neque temere vel inordinate fieri praecepit, sed statutis temporibus et horis. . . . Summo quippe sacerdoti sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua ministeria incumbunt. Homo laicus praeceptis laicis constringitur. Unusquisque nostrum, fratres, in suo ordine cum bona conscientia praescripti sui regulam non transgrediens honeste Deo gratias agat. . . . Videtis, fratres, quo maiore [nos christiani quam iudaei] cognitione digni habiti sumus, eo graviori periculo obnoxii sumus“, si ordinem constitutum non servamus (1 Cor 40 41). Unde concludit Corinthios male agere rebellantes contra ministros sacros ab apostolis et eorum successoribus institutos. „Non enim leve erit peccatum nostrum, si eos, qui sancte et sine reprehensione munera obtulerunt {τοὺς προεγγρόντα τὰ δώρα), episcopatu eicimus" (ib. 44, 4). Ad quem locum *Funk* annotat: „*Ἄωρα* i. e. sacrificia novi foederis/ Similiter *Schanz* (Sakram. 448). Cum *Clemens* liturgos novi testamenti cum liturgis veteris testamenti eorumque munere offerendi sacrificia comparet, recte illud *προσφέρειν τὰ δώρα*, quod sacerdotibus attribuitur, de sacrificio eucharistico explicandum videtur. Corinthiis in memoriam revocatur res ipsis nota, quae in epistula nullam expositionem postulat. Ideo ex paucis verbis strictum argumentum formari non potest; sed iis, qui dicunt illa aetate numquam mentionem sacrificii fieri, etiam hunc locum opponere licet.

S. Ignatius M. monet fideles, ne schismata faciant, cum Christus suo sanguine unam fundaverit ecclesiam, hanc igitur unitatem diligenter servandam esse, non in doctrina tantum, sed etiam in cultu religioso. „Studeatis igitur una eucharistia uti; una enim est caro Domini nostri Iesu Christi et unus calix in unitatem sanguinis ipsius,

0»
>H<
•ill

it

unum altare, sicut unus episcopus cum presbyterio et diaconis, conservis meis, ut, quod faciatis, secundum Deum faciatis" (Philad, 4). Ergo unitas eucharistiae seu unitas corporis et sanguinis sacramentalis Iesu Christi postulat etiam unitatem altaris. Altare autem, *θυσιαστήριον*[^] ibi tantum est, ubi est sacrificium; ergo eucharistia etiam annexam habet rationem sacrificii. „*Unum altare*" non intellegitur de altari materialiter sumpto, quasi non liceat Christianis pluribus locis sacrificium eucharisticum offerre, sed intellegitur eodem sensu quo *unus calix*, id est, non licet eucharistiam celebrare sine episcopi consensu, sed omnia cum debita ad episcopum subiectione fieri debent. Ergo etsi pluribus locis et in diversis altaribus cultus eucharisticus peragitur, servatur tamen unitas, si nihil „sine episcopo fit", ut Ignatius toties inculcat. Neque vero hinc concludendum est altare intellegi sensu plane improprio, quasi altare hoc loco significaret ipsam communitatem Christianorum; nam qui ait: una eucharistia, una caro Iesu Christi, unus calix sanguinis eius, unum altare, unus episcopus cum clero, manifeste loquitur de speciali unitate servanda in cultu publico, non de unitate universim sumpta; et docet in hoc cultu esse unitatem servandam, quatenus sacrificium rite offeratur. Etsi aliis locis altare dicitur de Christo vel de personis Deo consecratis, nihilominus hic, ubi de liturgia sermo est, hoc vocabulum habet sensum liturgicum et refertur ad sacrificium eucharisticum. Non communitas Christianorum cum episcopo congregata vocatur altare sed actio liturgica sacrificandi.

880. *S. Iustinus M.* disputans cum Tryphone iudaeo ait (Dial. n. 116): „Nos, qui per nomen Iesu instar unius hominis omnes in creatorem universorum Deum credimus . . . verum genus sacerdotale Dei sumus, ut Deus ipse testatur, cum sibi in omni loco in gentibus grata et pura sacrificia offerri dicit. A nemine autem Deus accipit sacrificia nisi per sacerdotes. (117:) Qui ergo per illius nomen sacrificia ipsi offerunt ea, quae a Iesu Christo praescripta, id est, quae in eucharistia panis et calicis a Christianis in omni terrarum loco offeruntur, hos omnes in antecessum Deus gratos sibi esse testatur. Quae vero a vobis ac per vestros illos sacerdotes offeruntur, ea respuit, cum dicit: Et sacrificia vestra non suscipiam de manibus vestris, quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatur in gentibus, vos autem profanatis illud (Mal 1, 10). Ac vos quidem hactenus contentionis studio dicitis Deum quidem sacrificia Hierosolymis ab his, qui tunc ibi israelitae dicti habitabant, oblata non accipere; eorum autem preces, qui tunc ex illo genere [iudaico] in dispersione erant, gratas sibi esse dixisse, atque illorum preces sacrificia vocare. Equidem preces et gratiarum actiones, quae a dignis peraguntur, sola esse perfecta et Deo accepta sacrificia et ipse pronuntio. Haec enim christiani quoque sola peragere didicerunt, etiam in recordatione

alimoniae suae siccae et liquidae, in qua etiam passionis, quam Filius Dei propter eos pertulit, recordantur. . . . Quod autem et ipsi vos decipitis et magistri vestri, dum Scripturam sic interpretamini, quasi de dispersis vestri generis hominibus dicat eorum preces et sacrificia in omni loco pura et accepta esse, agnoscite vos mentiri et operam dare, ut in omnibus vosmetipsos decipiatis; primum quidem, quia ne nunc quidem ab ortu solis ad occasum diffusum est vestrum genus, ac gentes videre est, in quibus nondum quisquam vestrum habitavit. Nullum enim omnino genus est, sive graecorum sive barbarorum, . . . in quo non per nomen crucifixi Iesu preces et gratiarum actiones Patri et creatori universorum fiant. Deinde vero, quia quo tempore propheta Malachias haec dicebat, nondum dispersi eratis in omnes illas terrae partes, in quibus nunc estis" (Af 6, 746 sqq).

Quoad hunc textum quaedam observanda sunt. Initio numeri 117 in textu graeco mendum est, ubi haec leguntur: *Πάνζα ούν, ος δια ονόματο ούζου Ουσία, δ παρεδωχεν Ιησού Χρίστο γίνεσθαι, ζουτ-ιστιν επί τη ευχαριστία του άρζυυ χαι του ποτηριού, τά εν παντί ζόπω τη γη γινομένα υπό ζών χριστιανών, προλαβών ό θεύ μαρτυρεί ενάρεστου υπάρχειν αυτώ.* Deest igitur verbum ad illud of. Quare aut suppleendum est *προσφερομεν* vel simile quid, aut omittendum illud relativum et legendum est *πάσα ούν . . . Ουσία*. Sensus ipse manet intactus. Porro Iustinus diserte dicit in celebratione eucharistiae impleri vaticinium Malachiae de novo et mundo sacrificio; ergo haec celebratio ipsi est oblatio sacrificii. Neque obstat, quod ait preces et gratiarum actiones, a dignis hominibus oblatas, esse sola sacrificia Deo accepta. Eodem enim modo Tryphoni exponit verum baptismum esse, si „baptizetur anima vestra ab iracundia et avaritia" (Dial, n. 14, cf. n. 114). Neque tamen negat baptismum aquae, sed omnino necessarium esse docet (Apol. I n. 61). Recte in oppositione ad sacrificia animalium vocatur sacrificium Christianorum *εύχαι xdi ευχαριστία* et Iustinus insuper addit has preces et gratiarum actiones fieri *λπ' αναμνησει τη τροφή αυτών ηρά χαι υγρό* (i. e. panis et vini), *εν η xdi του πάθου, ο πέπονθε οι αυτου ό υί'ο του θεού, μεμνηται.* Ergo panis et vinum consecrata in recordationem passionis Christi una cum precibus constituunt sacrificium Christianorum. Quemadmodum et alio loco dicit Isaiam (33, 13 sqq) prophetasse rde pane illo, quem nobis Christus noster facere [consecrare] praecepit in memoriam corporis a se propter eos, qui in ipsum credunt, assumpti, propter quos et passibilis factus est; et de calice, quem in memoriam sanguinis sui cum gratiarum actione fieri praecepit (Dial. n. 70). *Ιερά ποιείν* est terminus technicus graecorum pro oblatione sacrificii. Hoc sacro sensu verbum *ποιείν* saepius a Patribus graecis de eucharistia usurpatur. Alio loco Iustinus eucharistiam vocat *την δι ευχή λόγου του παρ' αυτου [Λ/χασού] ευχαρισθείσαν τροφήν* (Apol. I η. 66; supra η. 611). Hanc autem eucharistiam solus is, qui praeest, δ

προζστῶ, facere potest. Nam «illi, qui fratribus praeest, panis affertur et poculum aquae et vini; quibus ille acceptis laudem et gloriam universorum Patri per nomen Filii et Spiritus Sancti emittit et eucharistiam (gratiarum actionem) pro his ab illo acceptis donis prolixè exsequitur, qui postquam preces et eucharistiam absolvit, populus omnis acclamat Arnen" (Apol. I n. 65). «Similae oblatio (Lv 14, 10) . . . figura erat panis eucharistiae, quem Dominus noster Iesus Christus in recordationem passionis . . . fieri praecepit. . . . Hinc de sacrificiis quidem, quae tunc a vobis [iudaeis] offerebantur, sic Deus, ut iam dixi, per Malacchiam, unum ex duodecim, loquitur (Mal 1, 10 sqq). . . . De iis autem, quae in omni loco a nobis gentibus offeruntur ei, sacrificiis, hoc est de pane eucharistiae et de calice similiter eucharistiae, iam tum praedicat, illud etiam addens, nomen suum a nobis glorificari, a vobis autem profanari" (Dial, cum Tryph. n. 41; *M* 7, 563). Satis igitur perspicuum est, quid Iustinus intellegat preces et gratiarum actiones, quae sint sacrificia Christianorum. Totum ritum, qui constat ex elementis consecratis et precibus concomitantibus, veteres appellant sacrificium, non ulterius inquirentes, quid et quomodo proprie constituat rationem sacrificii formalem.

881. Copiosius de sacrificio scripsit *Irenaeus*, qui postquam ostendit Deum non iam velle sacrificia iudaeorum sed eorum conversionem (Contra haer. 1. 4, c. 17; *M* 7, 1019 sqq), ita pergit (n, 5): „Sed et suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit et gratias egit, dicens: ‚Hoc est corpus meum.‘ Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi testamenti novam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis praestat, primitias suorum munerum in novo testamento, de quo in duodecim prophetis Malachias sic praesignificavit . . . (Mal 1, 10 sq), manifestissime significans per haec, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offertur ei, et hoc purum; nomen autem eius glorificatur in gentibus." (n. 6:) Glorificatur quidem proxime nomen Iesu Christi, sed quoniam hic est Filius et imago Patris, ipse quoque Pater glorificatur. «Quoniam ergo nomen Filii proprium Patris est, et in Deo omnipotente per Iesum Christum offert ecclesia, bene ait secundum utraque [Malachias:] ‚Et in omni loco incensum offertur nomini meo et sacrificium purum.‘ Incensa autem Ioannes in Apocalypsi (5, 8) orationes esse ait sanctorum." (c. 18, n. 1:) «Igitur ecclesiae oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum et acceptum est ei, non quod indigeat a nobis sacrificium, sed quoniam is, qui offert, glorificatur ipse in eo, quod offert, si acceptetur munus eius. Per munus

enim erga regem et honos et affectio ostenditur." (n. 2:) „Et non genus oblationum reprobatur; oblationes enim et illic, oblationes autem et hic; sacrificia in populo, sacrificia in ecclesia; sed species immutata est tantum, quippe cum non iam a servis, sed a liberis offeratur." Servi in vetere testamento decimas tantum dabant, christiani omnia sua sine restrictione „ad Dominicos decernunt usus"; (n. 3:) saepe iudaei studebant sacrificiis Deum placare et in corde affectum peccati retinere, quod est absonum; nam „non sacrificia sanctificant hominem; non enim indiget sacrificio Deus, sed conscientia eius, qui offert, sanctificat sacrificium, pura existens, et praestat acceptare Deum quasi ab amico", (n. 4:) „Quoniam igitur cum simplicitate ecclesia offert, iuste munus eius purum sacrificium apud Deum deputatum est. . . . Oportet enim nos oblationem facere Deo et in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo in sententia pura et fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione ferventi, primitias earum, quae sunt eius, creaturarum offerentes. Et hanc oblationem ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius. Iudaei autem non offerunt; manus enim eorum sanguine plenae sunt; non enim receperunt Verbum, quod [al. per quod] offertur Deo." Neque haeretici gnostici, qui negant Deum esse creatorem mundi, Deum honorant sacrificiis suis, sed iniuria afficiunt. „Quomodo autem constabit iis eum panem, in quo gratiae actae sint, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, id est, Verbum, eius, per quod lignum fructificat et defluunt fontes, et terra dat primum quidem foenum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica? Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutant aut abstineant offerendo, quae praedicta sunt. Nostra autem consonans est sententia eucharistiae, et eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei, quae sunt eius, congruenter communicationem et unitatem praedicantes carnis et spiritus. Quemadmodum enim qui est a terra, panis, percipiens invocationem Dei, iam non communis panis est, sed eucharistia ex duabus rebus constans, terrena et caelesti, sic et corpora nostra, percipientia eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia." (n. 6:) „Offerimus enim ei, non quasi indigenti, sed gratias agentes dominationi eius. Quemadmodum enim Deus non indiget eorum, quae a nobis sunt, sic nos indigemus offerre aliquid Deo. . . . Sic et ideo [Verbum] nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione" (*M* 7, 1023 sqq).

Itaque secundum Irenaeum offertur ab ecclesia Deo sacrificium panis et vini, quae ex institutione Christi per invocationem (εἰς/.^σ.^) Dei facta sunt corpus et sanguis Christi, ex quorum communione fideles participes fiunt beatae immortalitatis. Qui vero negat Deum

esse creatorem mundi et dicit mundum esse plane alienum a Deo, necessario quoque negat ex rebus visibilibus huius mundi fieri corpus et sanguinem Verbi divini, et consequenter neque potest rationabiliter Deo offerre vello sacrificium eucharisticum. Hoc saepius inculcat Irenaeus, ut 1. 5, c. 2: Christus ex suis creaturis sumit panem et vinum et corpus et sanguinem suum efficit. Ergo Christo „nihil ante dedimus, neque desiderat aliquid a nobis quâsi indigens; nos autem indigemus eius, quae est ad eum, communionis; et propterea benigne effudit semetipsum, ut nos colligeret in sinum Patris“ (cf. *I. G. Grabii* nota ad 1. 4, c. 17 18 et *Migne* 7, 348).

Tertullianus quoque loquitur saepe de sacrificio, quo christiani colunt Deum. Gentiles quidam, inquit, pro salute imperatoris hodie hostias offerunt, et cras eius hostes existunt. „Christianus nullus est hostis, nedum imperatoris. . . . Itaque et sacrificamus pro salute imperatoris, sed Deo nostro et ipsius; sed, quomodo praecepit Deus, pura prece“ (Ad Scapulam c. 2; *M* 1, 700). Cur pura prece? Hoc statim explicat: „Non enim eget Deus, conditor universitatis, odoris aut sanguinis alicuius; haec enim daemoniorum pabula sunt.“ Itaque christiani non offerunt Deo talia sacrificia, qualia gentes daemonibus. Sunt scilicet distinguenda „terrenarum oblationum et spiritualium sacrificiorum praedicata“. Moyses uno loco iussit a populo fieri sacrificia. „Cur itaque postea per prophetas praedicat Spiritus futurum, ut in omni terra aut in omni loco offerantur sacrificia Deo, sicut per Malachiam? . . . De spiritualibus vero sacrificiis addit dicens: Et in omni loco sacrificia inunda offerentur nomini meo, dicit Dominus“ (Adversus iudaeos c. 5; *Jf* 2, 608). Horum novorum sacrificiorum sacerdos Christus est, ut ibidem c. 6 exponit, quem alibi vocat „Christum Iesum catholicum Patris sacerdotem“ (Adversus Marcion. 1. 4, c. 9; *M* 2, 376). Sunt tamen in hac terra visibiles quoque sacerdotes, qui sumuntur ex numero eorum, qui vel virgines manserunt vel monogami sunt. Quare deterret Tertullianus Christianos a secundo matrimonio ineundo, „quia in secundo matrimonio duae uxores eundem circumstant maritum, una spiritu, alia carne. Neque enim pristinam poteris odisse, cui etiam religiosiorem reservas affectionem, ut iam receptae apud Dominum, pro cuius spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis. Stabis ergo ad Dominum cum tot uxoribus, quot in oratione commemoras? et offeres pro duabus? et commendabis illas duas per sacerdotem de monogamia ordinatum aut etiam de virginitate sancitum, circumdatum virginibus et univiris, et ascendet sacrificium tuum libera fronte?“ (De exhort. castit. c. 11; *M* 2, 926.) Eodem argumento utitur in libro „De monogamia“ (c. 10; *M* 2, 942) loquens de oblationibus, quae fiunt „annis diebus dormitionis“ mariti. Qui ex infidelitate ad fidem convertitur, accipit ^indumentum Spiritus Sancti et anulum signaculum lavacri et illi mactatur Christus. . . . Vestem pristinam recipit, statum scilicet eum, quem Adam

transgressus amiserat; anulum quoque accipit tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obsignat, atque exinde opimitate dominici corporis vescitur, eucharistia scilicet' (De pudicitia c. 9; *M* 2, 998). Fideles enim „delictis omnibus expiati, sacerdotes templi spiritualis, id est ecclesiae, dominicae gratiae quasi visceratione quadam [eucharistia] fruuntur' (Adversus iudaeos c. 14; *M* 2, 640). Quidam christiani diebus .stationum', id est ieiunii, nolebant neque liturgicum osculum pacis dare neque eucharistiam sumere. Quam praxim vituperat Tertullianus. „Quem Domino officium facientem impedit pax? Quale sacrificium est, a quo sine pace receditur? . . . Similiter et stationum diebus non putant plenque sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini [quasi sic non ieiuni maneat]. Ergo devotum Deo obsequium eucharistia resolvit? An magis Deo obligat? Nonne sollemnior erit statio tua, si ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini et reservato utrumque salvum est et participatio sacrificii et executio officii', id est, potes eucharistiam servare usque ad finem ieiunii et dein sumere, quia illa aetate eucharistiam in manus recipiebant et domum deferebant, utique sub sola specie panis (De orat. c. 18 19; *M* 1, 1176 sqq). Christiani in suis conventibus sdominica sollemnia celebrant' (De fuga c. 14; *M* 2, 119); et feminis Christianis unica ratio in publicum prodeundi est, cum est „aut imbecillus aliquis ex fratribus visitandus aut sacrificium offertur aut Dei verbum administratur' (De cultu feminarum c. 11; *M* 1, 1329).

Haec sufficiunt ad ostendendum Tertullianum saepe quidem de sacrificio eucharistico loqui, sed eius rationem non explicare.

882. *S. Cyprianus* de sacrificio missae agit tota epistula 62 ad Caecilium (71/ 701 sqq), in qua maxime inculcat in sacrificio eucharistico offerendo nos debere stricte sequi id, „quod Iesus Christus, Dominus et Deus noster, sacrificii huius auctor et doctor, fecit et docuit“ (n. 1). „Nam si in sacrificio, quod Christus obtulit, non nisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire et facere oportet, quod Christus fecit et quod faciendum esse mandavit' (n. 14). Quidam enim volebant solam aquam ad hoc sacrificium adhibere. Sed, inquit Cyprianus, „sanguis Christi non aqua est utique, sed vinum. Nec potest videri sanguis eius, quo redempti et vivificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quod Christi sanguis ostenditur' (n. 2). Christus enim est sacerdos secundum ordinem Melchisedech: „Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi quam Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, i. e. panem et vinum, suum sci. corpus et sanguinem?' (n. 4.) 8Unde apparet sanguinem Christi non offerri,

si desit vinum calici, nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit, passio? (n. 9). Sacerdos enim «vice Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur, et sacrificium verum et plenum tunc offert in ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse" (n. 14).

883. *S. Cyrillus Hierosol.* Catech. mystag. 5 describit ritum sacrificii missae, et postquam (n. 7) locutus est de consecratione, ait (n. 8): «Ubi vero perfectum est spirituale sacrificium (*πνευματικη ύυσία*), incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam (*ἐπι τη θυσία έχεινη του ιλασμου*) obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace . . . et universim pro omnibus, qui opis indigent, oramus et hoc sacrificium offerimus"; n. 10: «Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus" (*M* 33, 1115 sq).

S. Ioan. Chrysostomi, S. Augustini, S. Gregarii Naz. doctrinam iam supra audivimus (n. 626 633 839). Cf. *S. Cyrill. Alex.* hom. 10 in mysticam cenam (*Jf* 77, 1015); *S. Greg. JVyss.* in Christi resurrectionem orat. 1 (*M* 46, 611); *Eulogius Alexandr.* apud Photium, Biblioth. 280 (*Jf* 104, 339); *S. Ambrosius* in Ps. 38, n. 25; *M* 14, 1051. Vide infra n. 888 900 911 917 918 920 et t. IV, n. 634. Alia Patrum, etiam syrorum, dicta apud *N. Gihl*, Das heilige Mefiopfer § 14.

884. *De liturgiis* nihil est addendum, quia ea legere sufficit, quae iam adduximus (n. 655 sqq), ad videndum, quanta perspicuitate et quanto consensu ratio sacrificii in iis exprimat.

Missam esse verum sacrificium definitum est a *conc. lateran. IV*, c. 1 (*Denz.* n. 430), a *conc. constant.* (*Denz.* n. 585), a *conc. trid.* sess. 22, can. 1: «S. q. d. in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari, A. S." (*Denz.* n. 948). — Alia multa collegerunt *Toletus* (IV 318 sqq), *Bellarmin.* (l. 1, c. 15 sqq).

885. *Schol.* De nomine missae.

In traditione sacrificium eucharisticum vocatur *missa* iam apud *S. Ambrosium* (ep. 20, 4 5; *M* 16, 995), ut videtur. Quidam voluerunt hoc nomen derivare ex hebraico (Dt 16, 10) vel ex graeco (*μύσι*'), quae tentamina etymologica non indigent refutatione. «Missa" idem est ac missio, ut «accessa" dicitur pro accessione, «ulta" pro ultione, «confessa" pro confessione (cf. *Du Cange*, Glossarium s. v. Missa). Cur autem hoc sacrificium dicitur missio? Duplex est responsum. Aut hoc nomen idem significat ac legatio ad Deum. Ita videtur *Rupertus Tuit.* explicare: «Hoc sacrosanctum altaris mysterium idcirco missa dicitur, quia ad placationem et solutionem inimicitiarum, quae erant inter Deum et homines, sola valens et idonea missio est" (De

div. off. 1. 2, e. 20; *M* 170, 46). Aut hoc verbum ponitur ut pars pro toto, quia sci. tota missa dicta est a dimissione catechumenorum. Ita S. *Isidorus Hispal*, explicat: „Missa tempore sacrificii est, quando catechumeni foras mittuntur ... et inde missa, quia sacramentis altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur“ (Etymol. 1. 6, c. 19, n. 4; *M* 82, 252). Cf. Theol. Quartalschrift, Tiibingen 1889, 531 sqq; Der Katholik 1907, II 239 sq 431 sq; 1908 I 114 sqq.

ART. II.

DE ESSENTIA SACRIFICII MISSAE.

Prop. LXXXIX. Missa est sacrificium essentialiter repraesentativuni sacrificii crucis.

886. Sacrificio praeter significationem theologiam et moralem, sine qua concipi non potest, etiam inesse posse significationem mysticam supra (n. 851) iam vidimus. Omne autem sacrificium, cui ea significatio convenit, secundum quam ad repraesentandum aliud sacrificium referatur, recte dicitur *sacrificium relativum*, cum secundum elementa, quae illud intrinsecus constituunt, sit *sacrificium absolutum*. Porro illa relatio ad aliud sacrificium, quamvis non sit de essentia sacrificii in genere, potest tamen ad aliquod sacrificium in specie ita requiri, ut nullum sit sacrificium, si haec relatio absit. Nam qui habet potestatem sacrificium instituendi, et maxime Deus ipse, habet etiam potestatem modum sacrificii ita determinandi, ut observatio huius modi ad validitatem actus omnino requiratur. Immo potest sacrificium ita institui, ut per ipsam relationem ad aliud sacrificium sit sacrificium absolutum. Nam absolutum sacrificium esse nihil aliud est nisi habere in se elementa essentialia sacrificii et non esse puram imaginem seu repraesentationem alicuius sacrificii praeteriti. Et sic, ut ex dicendis patebit, dicimus missam esse sacrificium absolutum, i. e. verum sacrificium per relationem, quam habet ad sacrificium crucis.

Thesis duo enuntiat: a) missam ex institutione Christi esse sacrificium relativum ad repraesentandum sacrificium crucis; b) hanc relationem missae ita essentialem esse, ut sine illa sacrificium esse desinat, cum haec relatio constituat intrinsecus sacrificium missae in ratione sacrificii absoluti.

Pars I. Missa ex institutione Christi est sacrificium repraesentativum crucis.

887. *Christus sacrificium missae instituens dixit: „Hoc facite in meam commemorationem“* (Lc 22, 19). Quae verba S. Paulus explicans ait: „Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat“ (1 Cor 11, 26). Propterea Christus instituit hoc sacrificium offerendum sub speciebus panis et

vini, qua re significatur sanguinis effusio, ut explicat *conc. trid.* sess. 22, c. 1: Christus, „Deus et Dominus noster, etsi semel se ipsum in ara crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem sacerdotium eius extinguendum non erat, in cena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret... corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis apostolis . . . eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: „Hoc facite in meam commemorationem⁴, uti semper ecclesia catholica intellexit et docuit. Nam celebrato vetere pascha . . . novum instituit pascha, se ipsum ab ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit eripuitque de potestate tenebrarum et in regnum suum transtulit” (*Denz.* n. 938).

888. Quapropter & S. *Patres* saepe hanc mysticam missae significationem exponunt, ut S. *Cyprianus* in ep. in thesi praecedenti citata (n. 882). S. *Ambrosius* ait: „Ante agnus offerebatur . . . nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem⁶ (De off. 1. 1, c. 48; *M* 16, 94). S. *Gregor. M.*: „Pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur⁶ (Dial. 1. 4, c. 58; *M* 77, 425). Similiter alii *Patres*.

889. Maxime vero hoc apparet ex omnibus *liturgiis*, in quibus post consecrationem venit *ἀνάμνησι*, in qua expresse dicitur sacrificium offerri in memoriam passionis Christi. In *Constit. apost.* haec anamnesis incipit: *Μεμνημένοι τοίνυν του πάϋου αυτόν χα'ι του θανάτου . . . προσφερομεν . . . τον άρτου τούτον . . .* (*M* 1, 1104), et similis est forma in omnibus fere *liturgiis*, ut in *missali romano*: „Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta eiusdem Christi Filii tui, Domini nostri, tam beatae passionis . . . offerimus . . . panem sanctum vitae aeternae. . .“ Haec autem consensus omnium *liturgiarum* explicari non potest nisi per institutionem ab ipso Christo Domino factam.

Pars II. Repraesentatio passionis Christi missae essentialis est.

890. In sacrificio enim missae et in sacrificio crucis idem est sacerdos principalis, Christus Dominus, eadem hostia, quae ita offerri debet, ut modus oblationis in missa sit imago illius oblationis, quae olim in cruce facta est. Nam *Christus, cum institueret hoc sacrificium, expresse dixit in eo effundi sanguinem suum*, et per hanc effusionem

sanguinis remitti peccata hominum. Sanguinis autem effusio eatenus in missa fit, quatenus sanguis vi verborum sub alia specie constituitur ac corpus Christi. Ex quo necessario concluditur utriusque speciei consecrationem essentialiter requiri ad huius sacrificii essentiam; nam si una tantum species consecratur, nullo modo habetur sanguinis effusio. Realiter enim sanguis non separatur a corpore Christi, quia sub utraque specie totus et integer Christus praesens est. Mystice vero seu representative tunc tantum effunditur, quando illa species, quae vi verborum sanguinem Christi continet, separatim ponitur ab ea, quae vi verborum corpus Christi continet. Hoc enim solo modo repraesentatur sanguis a corpore separatus. Quare iam S. *Cyprianus* scribit: «Apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni" (Ep. 63, n, 9; *H* 708).

891. *Haec est doctrina communis theologorum.* Ita S. *Thomas* ait: «Celebratio huius sacramenti imago quaedam est repraesentativa passionis Christi, quae est vera eius immolatio. Et ideo celebratio huius sacramenti dicitur Christi immolatio" (3, q. 83, a. 1). «Repraesentatio dominicae passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari" (3, q. 80, a. 12 ad 3). «In quantum in hoc sacramento repraesentatur passio Christi, qua Christus ‚obtulit se hostiam Deo‘, ut dicitur Eph 5, habet rationem sacrificii" (3, q. 79, a. 7)¹. *Suarez*: «De essentia huius sacrificii est expressa repraesentatio mortis et passionis Christi; sed haec intrinsece requirit consecrationem utriusque speciei. . . . [Nam] consecratio corporis ut sic non satis significat corpus mortuum, cum de se indifferens sit ad vivum et mortuum; et idem fere est de consecratione sanguinis per se sumpta; nam etiam sanguis potest esse in venis.... Necessaria ergo est separata utriusque speciei consecratio, ut sit expressa repraesentatio passionis atque adeo mystica mactatio" (disp. 75, sect. 6, n. 7). *Vazquez*: «Dico actionem consecrationis eatenus solum sacrificium seu actionem immolandi esse, quatenus per illam efficitur, ut ipso corpore et sanguine Christi consecrato et realiter ibi contento cruentum illius sacrificium, quod in cruce oblatum est, repraesentetur" (disp. 222, c. 7, n. 57). *De Lugo*: «Fuit institutum hoc sacrificium a Christo sub utraque specie ad repraesentandam suam passionem et mortem; cum enim non morbo aut suffocatione mortuus fuerit sed effusione sanguinis sui, debuit hoc genus mortis et haec effusio sanguinis exprimi per sacrificium, in quo corpus et sanguis seorsum con-

¹ Haec verba manifeste ostendunt falsum esse, quod quidam dicunt, S. Thomam non reponere rationem sacrificii in repraesentatione mortis Christi, sed solum velle explicare, quomodo in eucharistia Christus immoletur.

stituerentur; quod non fit nisi per utriusque speciei consecrationem, per quam constituitur in altari sanguis ex vi verborum in calice et corpus ex vi verborum sub speciebus panis, quae est quasi pictura exprimens, quomodo in cruce separatus fuerit sanguis a corpore et per illam effusionem Christus mortuus fuerit" (disp. 19, sect. 8, n. 106). Idem docent *Lessius* (De divinis perf. 1. 12, c. 13, n. 95, et In 3, q. 83, a. 1, dub. 6, n. 32), *Toletus* (Tract. 4 de sacrif. missae controv. 5, conci. 1), *Gonet* (De sacrif. missae disp. 11, a. 2, § 4, n. 47) et hodie vix non omnes; immo haec sententia semper tam communis fuit, ut pauci theologi, qui contrariam saltem ut probabilem defenderunt (ut *Lacroix* 1. 6, p. 2, n. 15), tuto neglegi possint.

Prop. XC. Essentia missae ut veri sacrificii in eo consistit, quod Christus per consecrationem Deo offertur.

892. Quaeritur, in qua re consistat essentia missae, ut est in se verum et absolutum sacrificium. Duplex autem est sensus huius quaestionis: a) quod sit obiectum huius sacrificii, b) quae sit actio sacrificativa.

Pars I, Christus est res oblata in sacrificio missae.

893. Christus ipse clare dixit corpus suum in hoc sacrificio dari et sanguinem effundi in remissionem peccatorum. SS. Patres idem docent, ut *S. Ioan. Chrysostomus*, qui dicit nos cotidie unum eundemque agnum offerre, qui sit Christus (supra n. 626), *S. Ambrosius* (supra n. 630), *S. Augustinus* (supra n. 633). Idem exprimitur in liturgiis, ut in liturgia *S. Basilii*: „Rex regnantium progreditur, ut mactetur" (supra n. 658). Sic docet *conc. trid.* sess. 22, c. 2: „Una eademque est hostia" in cruce et in altari (*Denz.* n. 940).

894. Attamen quia Christus non offertur ut existens in statu suo naturali in caelo, sed prout est in sacramento, ideo ad hoc sacrificium aliquo modo ex parte materiae ea omnia pertinent, quae requiruntur ad hoc, ut Christus sacramentaliter praesens fiat. Ergo imprimis *substantia panis et vini est necessaria ad hoc sacrificium*, non ut ipsa praeter Christum etiam per se Deo offeratur in sacrificium, sed potius ut terminus transiens, sine quo actio sacrificialis poni nequit. Ecclesia in suis orationibus in missa dicendis hanc substantiam panis et vini Deo quidem offert, non tamen ut haec ipsa substantia sit hostia, sed ut Deus eam transmutet in hostiam. Secundum hanc explicationem SS. Patres intellegendi sunt, qui dicunt panem et vinum Deo offerri. Neque enim dicere volunt panem et vinum habere rationem sacrificii in se et ut opponuntur corpori et sanguini Christi, sed potius ut referuntur ad Christum et in eum convertuntur. Cf. *Bellarm.* (De missa 1. 1, c. 27 circa finem), *Suarez* (disp. 75, sect. 1, n. 11), *Vazquez* (disp. 222, c. 6, n. 51), *De Lugo* (disp. 19, sect. 7, n. 99).

Species quoque panis et vini non sunt res, quae per se Deo offeruntur, sed sub quibus Christus offertur; quia victima in missa non est res sensibilis nisi ratione specierum; neque sanguis Christi effundi potest nisi separatione specierum. Cf. Lessius, De div. perf. l. 12, n. 96.

Pars II. Christus offertur per consecrationem.

895. Quamvis in missa variae actiones fiant, tamen per se patet nullam earum posse ad essentiam sacrificii pertinere, nisi aliquo modo versetur circa corpus et sanguinem Domini; nam actio sacrificialis pro obiecto habet ipsam victimam. Circa ipsum vero Christum praeter consecrationem hae versantur actiones: oblatio verbalis, fractio hostiae, commistio specierum, communio sacerdotalis, distributio sacramenti.

896. a) *Imprimis certum est nullam oblationem verbalem esse de essentia huius sacrificii, quia per hanc oblationem nullo modo sanguis Christi effunditur in remissionem peccatorum, sed solum Deus rogatur, ut sanguinem effusum nobis ad salutem esse concedat; neque ullo verbo S. Scriptura indicat Christum tali oblatione usum esse in institutione huius sacrificii.*

Neque fractio hostiae est de essentia sacrificii, tum quia species vini non franguntur et tamen non minus quam species panis pertinent ad sacrificium, tum quia fractio proprie non versatur circa hostiam, i. e. Christum, sed circa accidentia tantum, tum quia haec fractio debet omitti, si casu aliquo hostia decidat in calicem, ita ut tota mafeiat. Ita praescribit missale de defectibus X 10.

Neque mistio specierum cum ullo fundamento dici potest esse de essentia missae, quia nihil tale Christus fecisse legitur. Ceterum vix non omnes theologi concedunt oblationem, fractionem, misionem esse quidem partes integrantes, quae propter mysticam suam significationem nullatenus omitti debeant sine sufficiente ratione, neque tamen esse partes essentielles (cf. Suarez disp. 75, sect. 3; De Lugo disp. 9, sect. 3).

Distributionem communionis esse de necessitate cenae dominicae docent haeretici (qui quidem sacrificium non admittunt), quorum error reiectus est a conc. trid. sess. 22, can. 8: „S. q. d. missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse ideoque abrogandas, A. S.“ (Denz. n. 955).

897. b) Inter doctores catholicos vix alia quaestio agitur, nisi utrum sola consecratio an etiam communio sacerdotis essentialiter sacrificium missae constituat. *Et sunt quidem magni theologi, qui censeant communionem requiri, ut adsit immutatio victimae, ita ut consecratio sit initium tantum actionis sacrificialis, communio vero perfectio. Ita v. g. Dom. Soto: «Sumptio corporis et sanguinis potissimum*

ad sacrificium attinet. Illic enim ratio immolationis perficitur; immolatio namque idem est quod sacrificatio, . . . Mors autem Christi non repraesentatur in consecratione; immo consecratur, ut immoletur, dum consumitur; nam illa est mortis et sepulturae Christi effigies. Et in sumptione sanguinis adhibetur imago effusionis eius" (In 4, dist. 13, q. 2, a. 1, § „Sed rogas: Numquid *BeUarminus* (De missa l. 1, c. 27 in fine), alii.

Principalis ratio huius sententiae est, quia secus non apparet, ubi in sacrificio missae sit illa destructio, quae ad omne sacrificium necessaria est. Sed *haec ratio nulla est*, ut ostendemus. Praeterea vero illa actio non potest censi vel praecipue vel omnino essentialiter constituere sacrificium missae, quam a Christo positam esse S. Scriptura nullo verbo indicat. Nam cum sacri scriptores referant verba Christi: ^Hoc facite in meam commemorationem videntur etiam indicare velle, quidnam secundum voluntatem Christi necessario faciendum sit. Nemo autem eorum dicit Christum communionem accepisse. Cum autem certum sit Christum obtulisse sacrificium, recte concludimus communionem non esse partem essentialem huius sacrificii sed integram tantum.

Recentissime episcopus *Bellord* et *Fr. S. Renz* docuerunt communionem pertinere ad essentiam sacrificii missae, sed modo plane contrario. Secundum *Bellord* ipsa mors Christi in cruce non est sacrificium nisi quatenus iungitur cum cena eucharistica ut parte formali (cf. supra n. 835). In crucifixione Iesus non egit ut sacerdos neque crucifixio erat „institutum rituale", sed „ex tota serie eventuum passionis unicus, qui prae se fert essentialia nota sacrificii, est ultima cena, in qua sola Iesus vere ut sacerdos egit". Solum in quantum is, qui mortuus est in cruce, se dat ut sacrum cibum, quo homines percipiunt fructus huius mortis, etiam mors ipsa fit pars veri sacrificii (The Eccl. Review XXXIII, Philadelphia 1905, 266 sqq). Unde patet in missa quoque communionem esse partem essentialem et maxime formalem sacrificii (ib. 271 sqq). Fundamentum huius theoriae iam supra (n. 835) destructum est. Mortem Christi in cruce fuisse proprie dictum sacrificium probatur in tractatu de Verbo incarnato (IV, n. 541 sqq). Missam esse sacrificium offerendi ratione diversum a sacrificio crucis docet *conc. trid.* (sess. 22, c. 2; *Denz.* n. 940); ergo non est in utroque eadem forma sacrificialis. Quae cum ita sint, intellegitur, cur opinio episcopi *Bellord* statim in eodem periodico impugnata et reiecta sit a multis theologis (XXXIII 378 sqq 457 sqq 513 sqq 612 sqq).

Renz e contra negat ultimam cenam fuisse sacrificium, cum haec indoles soli sacrificio crucis per se conveniat, Sacrificium Christi in cruce „est sacrificium universale et unicum" (Die Geschichte des Mefiopfer-Begriffs II 482). „Si post mortem Christi de sacrificio Christi sermo est, hoc non potest esse verum sacrificium, sed repraesentatio

tantum veri sacrificii, quae vocatur incruentum sacrificium Christi" (ib. 484). Sed .propter realem praesentiam corporis et sanguinis imago vel repraesentatio cruenti sacrificii in novo testamento vocatur verum et proprium sacrificium" (ib. 485). In consecratione incohatur repraesentatio sacrificii crucis, sed perficitur in communionem (ib. 486). Christus offert hoc sacrificium ut caput ecclesiae, ecclesia vero se offert per ipsum et cum ipso (494 sq). Haec autem coniunctio cum Christo fit per communionem; unde Jiturgia eucharistica est epulum, quod habet indolem sacrificalem" (ib. 500). Etiam eucharistia extra missam recepta hanc indolem sacrificalem retinet (ib.). Nihilominus praeparatio cibi sacrificialis per consecrationem etiam pertinet ad hoc sacrificium, quia per eam agnus olim occisus ad comedendum apponitur; consecratio est sacrificatio obiectiva, communio vero sacrificatio subiectiva (ib. 501 sqq). Itaque .formalis ratio incruenti sacrificii novi foederis intellegitur confectio obiectiva et subiectiva sacramenti communionis mediante corpore et sanguine Iesu Christi sub specie panis et vini substantialiter apparente" (ib. 503).

Quaedam de opinione doctoris Renz iam antea dicta sunt (n. 841 870). Hic addendum est sacrificium missae non esse quidem perfectum sine communionem, cum Christus illud instituerit et ut oblationem Deo faciendam et ut epulum hominibus paratum. Unde a sacrificio non licet epulum separare; sed inde non colligitur in epulo ipso consistere rationem formalem sacrificii et multo minus etiam communionem per se sumptam retinere rationem sacrificii. Renz secundum suam theoriam fateri debet missam stricte loquendo non esse verum sacrificium sed solum ita appellari. Hoc autem est contra unanimem persuasionem theologorum et totius populi christiani. Tota haec theoria in illis, quae Renz ex Patribus collegit, fundamentum non habet, immo vix ac ne vix quidem conciliatur cum doctrina Traditionis. Tolerari quidem potest doctrina, quae docet communionem esse partem essentialem sacrificii missae, quatenus perficiat immolationem victimae; sed improbabilis est opinio, quae in epulis sacris collocat totam formalem rationem sacrificii. Nam *conc. trid.* ait: „Si quis dixerit in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari, A. S.“ (sess. 22, can. 1; *Denz.* n. 948). Et *catech. rom.* monet: cum rationes sacramenti et sacrificii plurimum inter se differant, .sacra eucharistia, dum in pyxide continetur vel ad aegrotum defertur, sacramenti, non sacrificii rationem habet' (P. 2, c. 4, n. 71). Ceterum nova illa theoria, inaudita in ecclesia, sufficienter refutatur argumentis, quibus thesis nostra probatur. (Cf. *The Eccl. Review* XXXIV, Philadelphia 1906, 54 sqq.)

898. c) *Cum longe communiore sententia scholasticorum dicendum est in sola consecratione consistere essentiam sacrificii missae. Ita docent*

Suarez (disp. 75, sect. 5, n. 11), *Vazquez* (disp. 222, c. 5), *Lessius* (In 3, q. 83, a. 1, dub. 6, n. 26 et De div. perf. 1. 12, c. 13, n. 94), *De Lugo* (disp. 19, sect. 3, n. 41), *Gonet*, qui dicit ita docere communiter thomistas recentiores (De euch. disp. 11, a. 2, § 4), *Bosco* (disp. 5, sect. 1, conci. 3, n. 42), *Wirceburg.* (De euch. n. 347). Immo hodie aliae sententiae iam vix habent defensores.

899. *Dationes huius sententiae sunt hae:*

d) Christus est principalis offerens in sacrificio missae, ut constat ex *conc. trid.* sess. 22, c. 2. Atqui Christus non sumit suum corpus in communione, sed solum efficit consecrationem, quando sacerdos eius nomine dicit: „Hoc est corpus meum." Ergo sacrificium in sola consecratione consistit.

900. *β)* Hoc *SS. Patres* clare docent. Ita *S. Ioan. Chrysostomus*, qui dicit sacrificium tunc fieri, quando sacerdos nomine Christi verba consecrationis proferat (n. 626). *S. Gregor. Nyss.:* Christus iam ante passionem „se ipsum pro nobis hostiam offert et victimam immolat, sacerdos simul existens et agnus Dei, ille, qui mundi peccatum tollit. Quando id praestitit? Cum corpus suum discipulis congregatis edendum et sanguinem bibendum praebuit, tunc aperte declaravit agni sacrificium iam esse perfectum. Nam victimae corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum et sanguinem bibendum discipulis exhibuit, iam corpus ineffabiliter et invisibiliter immolatum erat secundum voluntatem eius, qui potentia sua hoc mysterium peragebat" (Orat. 1 in resurr.; *M* 46, 611). *S. Cyrill. Hierosol.* locutus de consecratione pergit: „Postquam vero perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace" (Catech. mystag. 5, n. 8; *M* 33, 1115). Idem docet *S. Isidorus Hispal.* (Etymol. 1. 6, c. 19, n. 4; *M* 82, 252), *S. Caesar. Arelat.* (Horn. 12; *M* 67, 1052 sqq), alii *Patres*, quos referunt *Suarez* et *Vazquez* locis cit. *Conc. trid.* hoc clare innuit, cum doceat Christum tunc se exhibuisse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, cum corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri offerret (*Denz.* n. 939).

901. *γ)* Consecratio est sacrificium, si omnia elementa sacrificii in ea inveniuntur. Atqui inveniuntur; nam in consecratione Deo offertur substantia sensibilis a legitimo ministro secundum legitimam institutionem ad agnoscendam eius supremam maiestatem per immutationem hostiae. De ceteris elementis nulla potest esse dubitatio; sola explicatio materiae proxima, i. e. immutationis hostiae, creat aliquam difficultatem, quam in proxima thesi solvemus.

Prop. XCI. Consecratio eatenus habet rationem actionis sacrificialis, quatenus per eam producitur Christus in statu mysticae mactationis, dum vi verborum corpus et sanguis Christi separatim ponuntur sub speciebus panis et vini, et hae ratione mactatio cruenta in cruce facta Deo offertur.

902. Quoniam ostendimus in sola consecratione inesse rationem sacrificii, explicandum est, *sub quo respectu consecratio dici possit actio sacrificialis*. Ad actionem sacrificalem praeter intentionem tria requiruntur: victima, mactatio victimae, oblatio. Ergo ut consecratio sit actio sacrificialis, haec tria in ea adesse debent. Praeterea autem consecratio hoc speciale habet, quod victimam formaliter ut talem non praesupponit sed producit, et producit quidem hostiam impassibilem. Cum nihilominus hostia debeat aliquo modo esse in statu victimae mactatae, duo explicanda sunt: 1. quomodo actio sacrificialis versetur circa hostiam; 2. quomodo hostia sit in statu victimae, i. e. quomodo Christus dici possit hic et nunc vere sacrificari.

Pars I. In missa actio sacrificialis ita circa rem sanctificandam versatur, ut per hanc actionem producatur victima.

903. Haec res est aliquid omnino speciale in sacrificio novi testamenti. Nam in omnibus sacrificiis veteris testamenti necessario praesupponebatur victima et actione sacrificali destruebatur. In sacrificio vero missae victima formaliter ut talis producitur. Quamvis enim Christus, qui in missa offertur, iam existat in caelo, tamen non offertur secundum statum suum caelestem sed secundum statum sacramentalem, quem per consecrationem accipit. Quare recte monet *Suarez*: „hoc esse singulare excellens in hoc sacrificio, quod per se primo potius est propter efficiendum quam propter destruendum.... [Nam] in nostro sacrificio, quia per actionem supernaturalem et divinam perficitur, licet substantia panis et vini destruat, tamen, quod potissimum intenditur, est effectio et praesentatio, ut sic dicam, corporis et sanguinis Christi super altare Dei in honorem eius’ (disp. 75, sect. 5, n. 6).

Haec sententia non est. ut forte ex quorundam expositionibus videri potest, *Suaresio* exclusive propria, sed ab omnibus necessario admittenda est, qui rationem sacrificii in sola consecratione reponunt; nam consecratio per se primo tendit ad producendum Christum in statu sacramentali, in quo solo statu est victima ad immolandum apta. Quare e. g. *Lessius* docet: „Cum Christus vellet nos habere eandem hostiam, quam ipse semel pro nobis obtulit in cruce . . . novum et admirabilem sacrificii modum instituit, quo non rem aliquam iam ante apud nos existentem, ut in omnibus aliis sacrificiis fieri solet, Deo offerimus, sed quo ipsam hostiam admirabili operatione ad honorem Dei sub specie panis et vini mystice mactatam poneremus’ (In 3, q. 83, a. 1, dub. 6, n. 31).

904. Ceterum cum haec res sit evidens, non est cur multum immeremur. Solum id mirum videri potest, quod *Vazquez* contra sententiam *P. Suarez* tam acriter pugnat (disp. 222, c. 6, n. 45 sqq). Sed non est res magni momenti; nam quo tandem tota haec impugnatione redit? Dicit *Vazquez* reproductionem, quam postulat *Suarez*, nullo modo requiri ad rationem huius sacrificii, cum sufficiat corpus Christi praesens fieri sive per reproductionem sive per adductionem sive alio quolibet modo (l. c. n. 49). Sed unusquisque statim videt hanc esse meram subtilitatem, cum ex una parte *Suarez* reproductionem non ob aliam causam postulet, nisi ut Christus in altari praesens fiat, seu ut ipse ait, „repraesentetur“, ex altera vero parte etiam *Vazquez* debeat concedere Christum ante consecrationem non adesse sed per consecrationem fieri praesentem. Ergo tota haec disputatio est lis de verbis. Quod vero multi dicunt *Suaresium* id unum postulare, ut Christus reproducatur in altari, non vero ut producat in statu victimae, hoc est omnino falsum, cum *Suarez* evidenter contrarium doceat, ut statim ostendetur.

Pare II. Per consecrationem Christus ponitur in statu victimae, quatenus vi verborum sanguis eius a corpore separatim ponitur.

905. Hanc sententiam tenet longe maxima pars eorum theologorum, qui totam rationem sacrificii sola consecratione absolvi volunt. Ita *Suarez*: „Dico consecrationem habere rationem sacrificii sub ratione mysticae mactationis ac separationis corporis et sanguinis ex vi verborum totumque hoc ad essentiam sacrificii pertinere“ (disp. 75, sect. 6, n. 6). „In hac mystica separatione non praesuppositive tantum sed intrinsece et essentialiter includitur ipsa effectio corporis et sanguinis Christi sub speciebus cum tali modo, ut ex vi verborum ponatur solum corpus sub speciebus panis et solus sanguis sub speciebus vini. . . . Ergo totum hoc [i. e. tota transsubstantiatio] est de essentia huius sacrificii et mactationis mysticae“ (l. c. n. 13). Ergo nequaquam *Suarez* omittit indicare, in qua re nunc de facto consistat status victimae, licet concedat in alio ordine potuisse hoc sacrificium alia ratione institui (l. c. n. 4). Plane idem docet *Lessius*, qui immerito saepe primus auctor huius sententiae habetur: „Patet primo; qua ratione pertineat consecratio ad essentiam huius sacrificii, uempe quatenus per eam constituitur corpus et sanguis Christi seorsum ex vi verborum sub specie panis et vini tamquam partes hostiae mactatae. . . . Patet secundo una eademque potestate et actione consecrari corpus et sanguinem Domini et offerri. Nam oblatio seu consecratio eius nihil est aliud quam consecratio, qua ponitur sub specie panis et vini ex ordinatione divina significans divinum principatum et sacrificium crucis“ (In 3, q. 83, a. 1, dub. 6, n. 32). Quam plane idem doceant *Lessius* ac *Suarez* statim patebit cuivis legenti utriusque hac de re dissertationem. *Lessio* vero adeo persuasum fuit suam a *Vazquesii*

doctrinam non differre, ut pro ampliore instructione lectorem remittat ad Vazquesium (De div. perf. l. 12, c. 18, n. 97, ubi quidem alia docet atque docuerat in tract. De iure et iust. I. 2, c. 38, dub. 2, n. 14, eadem vero ac in 3, q. 83). Revera Twjwei suam explicationem rationis formalis sacrificii missae ita incipit: «Facile ostendemus . . . in sola praesentia corporis et sanguinis Christi sub duplici specie ex vi verborum sacrificium consistere⁶, et ita concludit: «Restat igitur, ut ratio sacrificii Christi incruenti formaliter consistat in mystica illa separatione sanguinis a corpore facta virtute verborum⁶ (disp. 223, c. 4, n. 30 40). Ergo omnes hi doctores ponunt rationem huius sacrificii formalem in eo, quod hostia vi verborum praesens ponitur in statu victimae, statum autem victimae explicant per mysticam separationem corporis et sanguinis Christi; differentia non apparet nisi in solutione difficultatis, quomodo Christus immoletur, cum non physice destruat. Ad hoc Suarez respondet: per reproductionem; Vazquez: per repraesentationem sacrificii crucis; Lessius: per mysticam mactationem. Sed in hoc omnes conveniunt, quod Christus producit in statu mysticae mactationis, quae est repraesentatio sacrificii crucis, et quod ideo missa est verum et proprie dictum et hoc sensu absolutum sacrificium.

906. Haec sententia ita explicata non horum trium tantum doctorum est, sed est *communissima sententia* apud eos, qui in missa unicum victimam esse Christum et unicum actionem sacrificalem consecrationem dicunt. Eam e. g. docent S. *Thomas* (supra n. 891), *Sylvius* (In 3, q. 83, a. 1, quaer. 2, conci. 4, prob. 7), *Estius* (In 4, dist. 12. § 12; ibi: „Consistit igitur potissimum“), *Gonet* (De euch. disp. 11, a. 2, § 4, n. 46 sqq), *Billuart* (De euch. diss. 8, a. 2, dico 3), *Thomas ex Charmes* (De euch. c. 2, q. 3). Immo, ut ait card. *Cienfuegos*, «haec sententia non unum aut duos sed exercitum recenset theologorum cum veteribus illis, quos refert *Alanus* (De euch. l. 2, c. 19). Ita eximius Doctor, Lessius, Becanus et fere recentes (Vita abscondita disp. 5, sect. 1, § 2, n. 10). Nostris temporibus eam defendunt e. g. *Schwetz* (Theol. dogm. vol. III, tract. 3, § 14), *Oswald* (Sakraimente I, ed. 4, 5G7), *Gühr* (Die heiligen Sakramente I, ed. 2, 639 sqq, qui prius sententiam card, de Lugo defenderat), et est communiter recepta; in expositionibus vero catechismi pro populo scriptis haec est unica fere via explicandi sacrificium missae (e. g. *Deharbe*, *Wilmers*, *Schmitt*, *Mohler*).

907. Huic sententiae tam communiter receptae opposuit card, *de Lugo* novam theoriam, secundum quam ratio huius sacrificii in eo consistit, quod Christus ponitur in statu cibi et potus. „Nam licet ipsa consecratione [corpus Christi] non destruat substantialiter, sed tamen destruitur humano modo, quatenus accipit statum declivorem et talem,

quod reddatur inutile ad usus humanos corporis humani et aptum ad alios diversos usus per modum cibi; quare humano modo idem est. ac si fieret verus panis et aptaretur ac condiretur in cibum, quae mutatio sufficiens est ad verum sacrificium; fieri enim comestibile illud, quod non orat comestibile, et ita fieri comestibile, ut iam non sit utile ad alios usus nisi per modum cibi, maior mutatio est quam aliae, quae ex communi hominum mente sufficiebant ad verum sacrificium" (disp. 19, sect. 5, n. G7).

908. Secundum card. *Franzelin* hanc sententiam secuti sunt *Martinonius* (disp. 38, n. 43 63), *Franciscus de Lugo*, frater natu maior Ioannis card. (De missa c. 2, q. 2, n. 34), *Ioannes Ulloa* (disp. 8, c. 1, n. 8), *Simmonetus* (disp. 8, a. 4), *Platel* (n. 470), *Muniessa* (disp. 33, sect. 4, n. 40), *Viva* (disp. 5, a. 2), *Antoine* (De sacrificio n. 2), *Wirceburgenses (Holzclau, De euch. c. 4, a. 2)*, (*Franzelin, De euch. 401*, ubi etiam vide singularem sententiam card. Cienfuegos). Postquam vero haec sententia satis diu tamquam mortua iacuerat, card. Franzelin eam resuscitavit et ingeniose simul et strenue defendit (l. c. 395 sqq) L

Nos hac sententia reiecta priorem sequimur ob has rationes:

909. *Arg. J.* Ex verbis Christi.

Christus Dominus dixit in missa *corpus suum dari et sanguinem suum effundi* in remissionem peccatorum. Ergo ratio sacrificii in missa consistit in corporis mactatione et sanguinis effusione. Iamvero corporis mactatio et sanguinis effusio realis esse non potest, quia Christus non iam moritur. Ergo verba Christi explicanda sunt de mystica mactatione et effusione, quae consistit in separatione specierum, sub quibus solis Christus visibiliter in sacrificium offertur.

910. *Obiciunt* quidem defensores sententiae card, de Lugo sanguinis effusionem, de qua Christus loquatur, non constituere sacrificium sed indicare tantum. *Hesp.:* Nego assert. Nam ex una parte certum est per sacrificium formaliter sumptum remitti peccata. Ex altera vero parte adversarii dicunt sacrificium formaliter sumptum non consistere in sanguinis effusione. Ergo dicunt sanguinis effusione in missa non remitti peccata, id quod admitti nequit. Quodsi dicunt non adesse in hac sanguinis effusione sufficientem hostiae destructionem, respondendum est sufficientem esse eam destructionem, quam Christus reapse instituit, ut per eam peccata remittantur, sci. destructionem sacramentalem; multo enim certius est id, quod Christus instituerit,

* Student asseclae huius sententiae eam ex S. Scriptura et Traditione probare, sed qui serio examinat haec argumenta, facile consentiet Dr *Gühr* dicenti: .Diese Theorie, welche erst aus dem 17. Jahrhundert stanunt. hat weder in der Schrift noch in der vorausgehenden Tradition irgendwelchen soliden Hait- und Stützpunkt* (Die heiligen Sckramente I' 640).

esse sacrificium quam requiri ad sacrificii rationem aliquam realem destructionem, quae in ista sanguinis effusione non habeatur; neque ex incertis certa sunt diiudicanda, sed ex certis incerta sunt determinanda.

911. *Arg. 2.* Ex relatione missae ad sacrificium crucis.

Sacrificium missae formaliter sumptum ad hoc est institutum, ut sit repraesentatio sacrificii crucis (conc. trid. sess. 22, c. 1; Denz. n. 939). Atqui non aliter repraesentatur sacrificium crucis quam consecratione duplicis speciei, quae est mystica mactatio et sanguinis effusio. Sicut enim Christus in cruce reali sanguinis effusione sacrificium obtulit, ita nunc mystica sanguinis effusione hoc sacrificium repraesentatur.

In sententia autem card. de Lugo haec repraesentatio est extra formalem rationem sacrificii missae. Nam eo, quod Christus fit aliquid comestibile, sanguinis eius effusio non repraesentatur, ut ipse cardinalis recte explicat (disp. 19, sect. 8, n. 106). Ergo in sententia card. de Lugo sacrificium missae formaliter sumptum non repraesentat sacrificium crucis, sed haec repraesentatio fit per aliquid, quod cum formali ratione huius sacrificii mere extrinsecus per voluntatem Christi est coniunctum, id quod incredibile videtur. Abstrahendo autem ab hac positiva institutione Christi tota ratio sacrificii missae aequae perfecte in una specie ac in utraque haberetur, cum doctores ecclesiae expresse dicant per ipsam repraesentationem passionis Christi missam esse sacrificium, ut *S. Gregorius M.:* „Hoc sacrificium pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur" (Dial. 1. 4, c. 58; *J/ 77, 425*). *S. Ioan. Chrysost.:* Ἐσφαγγίζνο τζρυχεται ὁ Χριστό (De prod. iudae hom. 2, n. 6; *M 49, 390*). *8. Gregorius Naz.* de sacerdote sacrificante dicit: „Incruenta sectione secatur corpus et sanguinem dominicum, vocem adhibens pro gladio" (Ep. 171 [al. 240] ad Amphilocho.; *J/ 37, 282*). Haec imago gladii spiritualis, quo Christus mactetur, saepius occurrit apud SS. Patres et in liturgiis; gladius autem non est ad parandum panem sed ad effundendum sanguinem. Etiam *S. Thomas*, ut audivimus (n. 891), rationem huius sacrificii in eo ponit, quod per mysticam sanguinis effusionem passio Christi repraesentatur, et ita nobis fructus passionis Christi applicatur. „Est enim [sacrificium missae] memoriale dominicae passionis, per quam sanguis Christi fuit separatus a corpore, et ideo in hoc sacramento seorsum offertur sanguis a corpore" (In 1 Cor. 11, lect. 5).

912. *Arg. 3.* Ex eo, quod per mysticam sanguinis effusionem sufficienter explicatur ratio sacrificii.

Ad hoc intellegendum duo haec supponenda sunt:

a) Sacrificium missae non est sacrificium, quo Christus nova merita acquirat vel novam satisfactionem praestet, sed est mera appli-

catio sacrificii crucis (*conc. trid.* sess. 22, c. 1). Unde non est simpliciter novum sacrificium sed continuatio quaedam sacrificii crucis, ut expresso docet *S. Ioan. Chrysostoxnus* (supra n. 626). Hoc enim postulat doctrina *S. Pauli*, secundum quam Christus semel oblatus est neque plura sacrificia obtulit, quorum unum plane abstrahat ab altero et pro se solo habeat virtutem merendi et satisfaciendi (*Hebr* 9, 25 sqq). Ergo sacrificium missae cum sacrificio crucis constituit aliquod morale unum; sicut satisfactio in actu primo et applicatio satisfactionis in actu secundo sunt moraliter unum.

913. b) Sacrificium secundum rationem formalem non consistit in destructione physica sed in eo ritu, quo haec destructio ad Deum colendum eiquo satisfaciendum ordinatur seu in oblatione reali. Ergo licet physica destructio sit una, tot tamen diversa sunt sacrificia quot diversae sunt rationes offerendi, quemadmodum in sacrificiis veteris testamenti occisio in multis sacrificiis fiebat eodem modo; et tamen sacrificia erant diversa pro diverso ritu oblationis. In sacrificio igitur eucharistico vere sacramentaliter Christus Deo offertur, quae sacramentalia oblatio non est oblatio ficta vel picta vel scenice tantum repraesentata, sed oblatio vera, qua satisfactio in cruce praestita vere Deo offertur et hominibus applicatur.

914. His igitur suppositis facile explicatur, quomodo missa sit verum sacrificium. *Adest hostia*, ipse Christus. *Adest physica huius hostiae destructio olini in cruce facta*, quae in ordine physico diu quidem praeteriit sed in ordine morali a missae sacrificio est inseparabilis. *Adest oblatio sensibilis*, quia, dum vi verborum corpus Christi ponitur sub una specie et sanguis Christi sub altera specie, habetur mystica mactatio, per quam sensibiler repraesentatur et offertur physica sanguinis Christi effusio in cruce facta ad Deum colendum et placandum. Ergo nihil deest, quod ad verum sacrificium requiritur. Haec res potest exemplo illustrari. Si in vetere testamento multa fuissent altaria in mundo, quorum cornua sanguine potuissent aspergi in sacrificium, Deus potuisset agnum uno loco occisum multiplicare, ita ut eius sanguis a sacerdotibus potuisset aspergi omnibus altaribus totius mundi, quo facto ubique oblatum esset verum et proprie dictum sacrificium. Si porro ratio oblationis fuisset essentialiter diversa variis locis, diversa quoque fuissent sacrificia. Similiter igitur res se habet in sacrificio missae, si comparatur cum sacrificio crucis. Hostia (materia remota) est eadem, eadem quoque est physica destructio hostiae (materia proxima), diversa vero est oblatio, quia in cruce oblatio quoque ipsa erat cruenta (coincidebat enim realiter cum ipsa morte voluntarie suscepta), in altari autem oblatio est incruenta, quia consistit in mystica tantum effusione sanguinis. Ergo haec duo sacrificia sunt „sola offerendi ratione diversa“ (*conc. trid.* sess. 22,

c. 2), nullo vero modo materia oblata, non modo quantum ad materiam remotam sed etiam quantum ad materiam proximam; nam non solum novus Christus non offertur sed neque nova Christi destructio physica, cum sacrificium missae totum valorem suum habeat ex sacrificio crucis et se habeat ad sacrificium crucis ut causa particularis ad causam universalem.

915. *Contra sententiam ita explicatam nulla earum obiectionum valet, quae communiter contra eam proferri solent; nam si obicitur vi verborum nullam fieri realem et physicam separationem corporis et sanguinis, hoc conceditur, quia Christus semel tantum sanguinem suum debuit effundere, quae sanguinis effusio vim suam in actu primo infinitam derivat ad omnia alia sacrificia novi testamenti. Quia igitur haec destructio ad omnes effectus obtinendos superabundanter sufficiens iam habetur, ad sacrificium missae satis est mystica effusio, quae habetur ex vi verborum et per species separatas. Sic etiam soluta est altera illa obiectio, quod non apparet, quomodo Christus sit in statu victimae in altari. Nam est in statu victimae, quatenus physica mactatio in cruce facta fit moraliter praesens et Deo pro hominum salute offertur. Sacrificium igitur missae non realiter destruendo Christum sed Christum constituendo in statu mysticae mactationis et ita repraesentando et applicando sacrificium crucis habet rationem veri et realis sacrificii. Hoc sacrificium non dicendum est mysticum, in quantum mysticum opponitur realitati; sed vocari potest mysticum, ut significetur immolatio hostiae non sub specie propria sed sub specie sacramentali. Quare bene *Algerus* scribit: „Cotidianum nostrum sacrificium idem ipsum dicit cum eo, quo Christus semel oblatus est in cruce, quantum ad eandem veram hic et ibi corporis Christi substantiam. Quod vero nostrum cotidianum illius semel oblatis [Chrysostomus] dicit esse exemplum, non dicit, ut hic vel ibi essentialiter alium Christum constituat, sed ut eundem in cruce semel, in altari cotidie alio modo immolari et offerri ostendat; ibi in veritate passionis, qua pro nobis occisus est, hic in figura et imitatione passionis ipsius, qua Christus non iterum vere patitur, sed ipsius vere memoria passionis cotidie nobis iteratur (De sacr. corp, et sang. Dom. 1. 1, c. 16; *Ai* 180, 786 sq).*

916. *Coroll.* Utrum missa sit idem an aliud sacrificium atque sacrificium crucis.

Sacrificium missae est quidem idem ac sacrificium crucis, quatenus eadem est hostia et idem sacerdos principalis offerens; specie vero differt ratione actionis sacrificialis, ratione offerentis proximi, ratione significationis mysticae, ratione finis (cf. *conc. trid.* sess. 22, c. 2; *Denz.* n. 940; item supra n. 626). Quia autem res specificatur per formam, cum *Suaresio* dicendum videtur *missam esse specificè aliud sacrificium atque sacrificium crucis* (disp. 76. sect. 1, n. 4 sqq).

Singulae missae sunt numero plura sacrificia, quia, licet eadem sit hostia, plures tamen sunt numero actiones sacrificales.

G. Pell in libello „Jesu Opferhandlung in der Eucharistie“ ed. 2, Passau 1910, valde inculcat unum idemque esse sacrificium missae et sacrificium crucis (6 sq). Censet enim essentiam sacrificii utriusque consistere in internis actibus virtutum, quibus Christus se ipsum totum Deo devoverit et devoveat, externam autem actionem sacramentalem solum requiri, ut hominibus internum et proprium sacrificium visibile fiat (30 sqq).

In qua sententia duae diversae res confundi videntur. Aliud enim est quaerere, quidnam constituat moralem valorem sacrificii externi; ad quam quaestionem omnes theologi semper responderunt moralem valorem sacrificii et cuiuscumque actus creati consistere in interna voluntatis dispositione recta, ex qua actus externus procedat. Sed aliud est quaerere, in quo consistat essentia illius sacrificii ritualis, quod pertinet ad cultum externum et distinguitur ab internis virtutum actibus. De hoc externo sacrificio unice quaeritur, et ad hanc quaestionem non bene respondetur indicando aliquid, quod actibus virtutum externis commune est. Missae sacrificium consistit in actione quadam liturgica, non in actibus virtutum, quos Christus etiam extra missam elicit sub speciebus consecratis (cf. *Catech. rom.* P. II. c. 4, n. 71).

Peli quidem pluries expositionem suam modificavit. Ita in *Theol.-prakt. Monatsschrift*, Passau 1914, 345 sqq, ubi ad hanc conclusionem pervenit: missam esse sacrificium, quatenus Christus in altari per externa dona symbolica coram Deo et hominibus eandem devotionem erga Dei voluntatem salvificam exprimat, sicut olim in cruce. — In hac expositione manet idem essentialis defectus, quod ea, quae actio sacrificialis cum aliis actibus virtutum Christi habet communia, adhibentur ad explicandam specificam differentiam, qua sacrificium liturgicum ab actibus aliarum virtutum differt. Christus multa in ecclesia et per ecclesiam agit, quae omnia procedunt ex eius caritate et oboedientia erga Patris voluntatem salvificam, neque tamen sunt sacrificia. Similiter christiani multos actus virtutum eliciunt et externo opere exsequuntur ex devota erga Deum voluntate, neque vero per haec opera Deo sacrificium proprie dictum offerunt; sed unicum novae legis sacrificium ab ecclesia offerendum est sacrificium missae. Respondendum igitur est ad quaestionem: Quid est illud, quo missa, ut distinguitur ab aliis actibus religiosis Christi et Christianorum, est unicum sacrificium verum et proprie dictum? Ad quam quaestionem in illa theoria sufficiens responsum non datur (cf. supra n. 834 sqq).

ART. III.

DE EFFICACIA SACRIFICII MISSAE

Prop. XCII. Missa est sacrificium latreutieuni et eueharisticum, quod recte etiam in honorem sanctorum offerri potest.

Pars I. Missa est sacrificium latreutieuni et eueharisticum.

917. Ratio latria a nullo sacrificio separari potest, quia essenziale est sacrificio, ut offeratur Deo tamquam supremo domino nostro, cui omnia nostra nosque ipsos debemus. Talis autem cultus est et latria, et in quantum Deo pro beneficiis acceptis exhibetur, gratiarum actio.

Quare Malachias praedixit per hoc sacrificium glorificatum iri nomen Dei inter omnes gentes. Et idem quidem cultus Deo in missa exhibetur, qui a Christo in cruce Deo exhibitus est. Unde evidens est *hoc sacrificium non offerri posse nisi soli Deo*, non solum quia generatim soli Deo sacrificia debentur, sed etiam quia hostia tanta est, ut omnium creaturarum excellentiam infinite excedat ideoque ad solum Deum colendum possit adhiberi. De qua re scribit *S. Augustinus* contra Faustum manichaeum: .Quod etiam hinc nobis calumniatur Faustus, quod martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos idola convertisse, non tam me movet, ut huic calumniae respondeam. . . . Populus autem christianus memorias martyrum religiosa sollemnitate concelebrat et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur atque orationibus adiuvetur; ita tamen, ut nulli martyrum sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: Offerimus tibi, Petre aut Paule aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronavit. . . . Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei. . . . At illo cultu, quae graece *λατρεία* dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quaedam proprie divinitati debita servitus, nec colimus nec colendum docemus nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent; nuilo modo tale aliquid offerimus aut offerendum praecipimus vel cuiquam martyri vel cuiquam animae vel cuiquam angelo: et quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur sive ut caveatur“ (Contra Faust. 1. 20, c. 21; *M* 42, 384. Cf. De civ. Dei 1. 8, c. 27; *M* 41, 255; 1. 22, c. 10; *M* 41, 772).

Unde consequens est missae sacrificium *per se primum non esse institutum ad honorandos sanctos* sed ad colendum Deum; quare in liturgia vix umquam sancti directe invocantur, sed omnes orationes ad Deum ipsum diriguntur (cf. *Bellarmino*, De missa 1. 2, c. 8). Hoc autem non obstat, quominus missae in honorem sanctorum offerri possint.

Pars II, Missae in honorem sanctorum offerri possunt.

918. Hoc definivit *conc. trid.* sess. 22, can. 5: „S. q. d. imposturam esse missas celebrare in honorem sanctorum et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut ecclesia intendit, A. S." (*Denz.* n. 952).

Hunc morem iam primis saeculis in ecclesia viguisse SS. Patres testantur, ut *S. Augustinus* l. c. *Tertullianus* dicit: „Oblationes pro natalitiis [martyrum] annua die facimus" (De corona c. 3; *M* 2, 79); *S. Cyprianus*: „Laurentius et Ignatius . . . palmas Domini et coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro iis semper, ut meministis, offerimus, quotiens martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus" (Ep. 39, n. 3; *H* 583). *S. Cyrillus Hier.*: „Postea recordamur eorum quoque, qui obdormierunt, primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat" (Catech. myst. 5, n. 9; *M* 33, 1115). Item in omnibus fere liturgiis memoria sanctorum agitur.

919. *Multiplex est utilitas huius cultus sanctorum*; nam prodest ad ostendendam communicationem sanctorum, siquidem corpus Christi verum aliquo modo nomine totius corporis mystici offertur, et significatur totum corpus mysticum oblatione corporis realis Christi esse redemptum. Valet dein hic cultus ad excitandam nostram aemulationem, valet quoque ad hoc, ut Deus per intercessionem sanctorum maiorem sacrificii fructum nobis applicare dignetur (*Bellarm.* l. c.).

Prop. XCIII. Missa est sacrificium propitiatorium et impetratorium.

920. *Arg. 1. Missa secundum prophetiam Malachiae successit in locum omnium sacrificiorum veteris testamenti.* Ergo omnis eorum efficacia ei tribui debet. Atqui sacrificia veteris testamenti erant etiam propitiatoria et impetratoria, ut constat ex libro Lev. c. 4 sqq. Ergo missa quoque est sacrificium propitiatorium et impetratorium.

S. Leo M. ait: „Omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis [Christi] implet oblatio" (Serm. 59, c. 7; *M* 54, 341). „Haec [enim oblatio] illa est, quae per varias sacrificiorum, naturae et legis tempore, similitudines figurabatur; utpote quae bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur" (*conc. trid.* sess. 22, c. 1; *Denz.* n. 939); can. 3: „S. q. d. missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, A. S." (*Denz.* n. 950).

Immo peccato supposito ex natura sacrificii necessario sequitur character eius propitiatorius; nam in statu naturae lapsae „omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis[†] (Hebr 5, 1).

921. *Arg. 2. Ex verbis institutionis idem patet;* nam Christus diserte dicit de hoc sacrificio: Corpus meum traditur, sanguis meus effunditur pro vobis in remissionem peccatorum. Unde in missa habemus «sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel⁴ (Hebr 12, 24).

922. *Arg. 3. Idem docent SS. Patres. S. Augustinus:* «Hoc sacrificio vera fit remissio peccatorum⁴ (supra n. 633). «Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur⁴ (Enchir. c. 109; Jf 40, 283). *S. Cyrillus Hierosol.:* Christus in sacrificio missae est «propitiationis hostia⁴, «Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus⁴ (supra n. 883). Etiam pro defunctis offerimus, «maximum hoc credentes adiuumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et tremenda hic iacet victima⁴ (Catech. 23, 9; M 33, 1116). *S. Ioannes Chrysost.:* «Eo tempore, quo universus populus stat manibus expansis ac coetus sacerdotalis et adest illud tremendum sacrificium, quomodo Deum non placabimus, pro istis orantes? Atque id quidem de iis, qui in fide decesserunt' (In Phil. hom. 3, n. 4; M 62, 203). *S. Gregorius AT.:* Sacrificium missae «pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur⁸ (supra n. 888).

Eadem fides apparet in liturgiis (cf. supra n. 656 sq 661). Ita in *missali romano* in tertia Postcommunionem in Quadragesima: «Hoc tuum sacramentum sit . . . ablutio scelerum . . . sit vivorum atque mortuorum fidelium remissio omnium delictorum.⁴ In Secreta festi pretiosissimi sanguinis: «Per haec divina mysteria ad novi, quaesumus, testamenti mediatorem Iesum accedamus; et super altaria tua, Domine virtutum, aspersionem sanguinis melius loquentem quam Abel innovemus.- Atqui lex supplicandi statuit legem credendi (*Denz.* n. 139).

923. *Arg. 4. Explicatur efficacia sacrificii missae.* Ad intellegendam totam efficaciam sacrificii missae attendendum est tres esse offerentes: sacerdotem, ecclesiam, Christum.

Imprimis igitur *missa est opus bonum* positum a sacerdote, et eatenus ut omne aliud opus bonum suppositis debitis condicionibus habet suum valorem satisfactorium, meritorium, impetratorium ex opere operantis; et quia hoc ita est, missa boni sacerdotis et missa dicta cum maiore devotione maioris quoque est efficaciae quam missa minus boni sacerdotis vel cum minore devotione dicta, non quantum est ex parte sacrificii ut talis sed quantum ex parte operis operantis. Idem dicendum est de fidelibus, qui missae assistentes eam aliquo modo cum sacerdote offerunt.

924. *Sacerdos dein agit ut minister ecclesiae* et eius nomine sacrificium offert; unde ecclesia per sacerdotem orat et sacrificat. Ergo sub hoc respectu missa simili modo habet efficaciam impetratoriam quasi ex opere operato, quo supra dictum est de sacramentalibus.

925. *Principalem autem efficaciam missa habet a Christo*, qui est principalis offerens et simul hostia. Christus quidem non potest amplius mereri vel satisfacere, sed meritum et satisfactionem in cruce consummatam caelesti Patri exhibet, ut fructus huius meriti et satisfactionis hominibus applicetur. Nova igitur est interpellatio et impetratio vetere merito fundata.

926. *Iam quomodo haec actio sacrificialis Christi sit impetratoria*, facile intellegitur; nam ipsius merita digna sunt, ob quae omnis gratia hominibus detur. Unde si Christus rogat Patrem, ut propter haec merita velit huic vel illi homini haec vel illa bona sive naturalia sive supernaturalia dare, absolute certum est eum exauditum iri. Ergo missa ex parte Christi est efficacia infallibilis ad aliquid impetrandum, dummodo ex parte hominis, cui fructus missae applicandus est, aut ex parte obiecti, quod hic homo impetrare desiderat, ne sit impedimentum. Quia autem haec efficacia missae inest independenter a fide, probitate, merito sacerdotis offerentis vel laici audientis missam, recte dicitur esse efficacia ex opere operato (*De Lugo* disp. 19, sect. 9, n. 132. *Suarez* disp. 79, sect. 1, n. 4. *Card. Bona*, De sacrific. missae c. 1, § 3).

927. Difficilius intellegitur, *quis sit effectus propitiatorius missae*, maxime quoad peccata mortalia; nam certum est hominem in hoc ordine gratiae iustificari non posse nisi per sacramenta aut in re aut in voto suscepta (cf. *Denz.* n. 796 895). Unde fructus missae non potest esse directa remissio peccatorum, sed ut *conc. trid.* sess. 22, c. 2 ait: „Huius oblatione placatus Dominus gratiam et donum paenitentiae concedens crimina et peccata etiam ingentia dimittit” (*Denz.* n. 939). Ergo mediate tantum per missam remittuntur peccata, quatenus proxime datur donum paenitentiae et per paenitentiam remissio peccatorum.

Suarez quidem et alii hanc efficaciam propitiatoriam in eo tantum esse volunt, quod per missam impetrantur auxilia ad paenitentiam, et sic haec efficacia nihil esset nisi species quaedam efficaciae impetratoriae (disp. 79, sect. 3, n. 14). Attamen et *Patres et concilia videntur distinguere efficaciam propitiatoriam ab impetratoria*, sicut etiam in vetere lege alia erant sacrificia ad impetrandum, alia ad expiandum. Quare haec specialis efficacia propitiatoria eucharistiae denegari nequit, quippe quae „pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri possit” (*conc. trid.* sess. 22, can. 3; *Denz.* n. 950). Paulo igitur aliter et recte, ut videtur, hanc rem

explicat card, *de Lugo*: „Fatetur Deum concedentem auxilium ad contritionem moveri etiam a sacrificio, ut impetratorium est; dicimus tamen aliquem effectum intervenire ibi, qui correspondent eidem sacrificio, ut propitiatorium est. Propter peccata enim Deus iustam indignationem et aversionem retinens, merito negabat auxilia illa saltem uberiora ad contritionem; oblato tamen sacrificio placatur, et deposita per clementiam indignatione concedit ex liberalitate auxilia, quae implacatus negaret; unde sacrificium ut propitiatorium indirecto confert ad obtinenda auxilia, quatenus directe aufert indignationis obicem, qui obstabat, ne concederentur. Non ergo confert ad delenda peccata impetrando solum sed propitiando et placando, qui est proprius effectus sacrificii, ut propitiatorium est“ (disp. 19, sect. 9, n. 141).

928. *Ilie quidem effectus propitiatorius est ex opere operato.* Cur autem non sit omnino infallibilis in actu secundo, hae rationes esse possunt: a) quia aliquis crimina tam gravia commisit, pro quibus ad placandum Deum non unum sacrificium missae sufficit, sed multa offerri oportet; b) potest Deus gratias dare et tamen homo gratis sua culpa resistere; c) non necessario Deus dat conversionem statim et miraculoso modo, sed potest pro sua sapientia statuere opportunum tempus, prout ei placet; d) potest etiam homo obicem malae dispositionis gratiae recipiendae opponere.

929. *Peccata venialia simili modo per missam remitti censenda sunt.* Nam ex una parte est communis theologorum sententia in hac vita peccata venialia non remitti nisi cum augmento gratiae sanctificantis. Ex altera vero parte nullum est institutum ordinis supernaturalis, quod ex opere operato conferat gratiam sanctificantem praeter sacramenta. Ergo missa dicenda est eatenus remittere peccata venialia, quatenus Deus per eam placatur, non propter haec peccata deneget uberiores gratiam actualem, et quatenus homo hac uberiore gratia actuali adiutus, remissionem peccatorum et augmentum gratiae meretur.

930. Directo vero et ex opere operato *delet missa poenas* post peccata condonata permanentes, quia pretium pro iis exhibet sanguinem Christi, qui etiam in hunc finem effusus est. Quia autem missa hunc effectum habet, offerri quoque potest pro fidelibus defunctis, quae quidem res exactius explicari solet in tractatu de novissimis (IX, n. G07 sqq. De effectibus sacrificii missae cf. *Stentrup*, *Soteriologia* thes. 98 sqq et *Lehmkuhl* II, ed. 11, n. 230 sqq).

931. *Schol. 1.* De valore sacrificii missae infinito aut finio.

Valor sacrificii missae in actu primo, i. e. in se considerati seu ratione victimae et principalis offerentis est eiusdem dignitatis ac valor sacrificii crucis, cuius vim satisfactoriam et meritoriam applicat;

ergo *infinite*. Hinc eo ipso etiam in actu secundo seu ratione effectus est valor infinite, in quantum missa est sacrificium laeuiticum et eucharisticum, quia tantus Deo cultus per missam exhibetur, ut maior absoluto exhiberi nequeat. Quia autem hoc ita est, nulli fines determinari possunt, ultra quos efficacia sacrificii missae extendi non possit, dummodo melior fiat dispositio hominis ad recipiendas gratias.

932. *Gratiae vero per missam receptae non possunt esse infinitae* neque intensive neque extensive, quia homo formae infinitae in se recipiendae impar est. Quia autem Deus non solet mere pro arbitrio suo nunc ita agere nunc aliter in distributione gratiarum, quae per sacramenta et alia media gratiae conferuntur, sed omnia in ordine supernaturali secundum certas et constantes leges determinavit, omnino admittendum est cuilibet determinatae dispositioni ex parte hominis respondere ex institutione Christi determinatum effectum sacrificii missae, licet nos ignoremus, secundum quam proportionem hoc fiat.

933. Unica tantum quaestio superest *de valore extensivo*, seu num missa pluribus applicata singulis non minus prosit, quam si iis solis applicetur. Haec quaestio potest poni tum quoad eos, qui offerunt vel assistunt, tum quoad eos, pro quibus missa offertur.

Per multitudinem offerentium vel audientium missam singulorum fructus non minuitur. Nam missa ex sua parte est infiniti valoris; ex parte vero hominum ut fructus applicetur, solum requiritur, ut ipsi missam offerant. Quia autem haec condicio eodem modo impletur, sive multi sive pauci offerunt, non est dubium, quin singuli pro sua dispositione fructum recipiant, licet alii ex eodem infinito fonte gratiarum hauriant. Quare merito populus christianus nullo modo suspicatur se privari eo magis fructu missae, quo plures eidem sacro simul intersint. Sacerdotes quoque multi simul celebrantes, ut fit in oriente, singuli stipendia accipere possunt.

934. E contra vero *ratione eorum, pro quibus missa offertur, communiter censent theologi extensionem fructus infinitam admitti non posse* (Suarez disp. 79, sect. 12, n. 7; I) *Lugo* disp. 19, sect. 22, n. 246). Ratio est, quia secus non intellegitur, cur missa applicetur pro determinatis personis, cum rationabilius esset omnem missam pro omnibus offerri, maxime pro fidelibus defunctis, qui nullum obicem ponunt. Neque apparet, cur ecclesia permittat stipendia pro missarum oblatione accipere, et quidem singula pro singulis missis (*Denz.* n. 1110), cum, qui stipendia non dent, aequae magnam partem fructus habeant. Interna vero ratio est, quia Deus constituit non aliter per media gratiae sua dona distribuere nisi supposita applicatione ex parte hominum, ita ut uni applicationi unus determinatus effectus respondeat. Ergo ut effectus multiplicetur, applicatio quoque mediorum multiplicari

debet. Hoc autem sapienter Deus ita instituit, ut homines ad repetitos usus mediorum et ad novos actus virtutum instigentur.

935. *Fructus vero impetratorius aliquo sensu potest dici infinitus*, quatenus Deus generatim in ordine supernaturali gratias actuales dat pro suo beneplacito, licet omnibus det sufficientes. Hinc cum fructus impetratorius pendeat a liberalitate Dei, non possumus dicere Deum sibi hac in re quoad oblationem missae certos limites determinasse, quamvis ceteris paribus supponendum sit ei, pro quo missa primario offertur, etiam in hoc genere plus fructus accrescere quam aliis.

936. *Schol. 2. De intentione prima et secunda.*

Quid sit intentio prima et secunda, ex dictis facile intellegitur. Videlicet fieri potest, ut missa pro aliquo fine offeratur, ad quem applicari non potest, ut ad liberandum e purgatorio defunctum, qui iam in caelo est. Rationabiliter agit sacerdos, qui praeter intentionem absolutam offerendi missam ad talem vel talem finem addit etiam condicionatam, quae valeat in casu, quo missa vel secundum priorem intentionem applicari non possit vel tantae efficaciae sit, ut concessione prioris rei facta aliqua praeterea efficacia supersit ad alium finem assequendum. Fieri quoque potest, ut Deus pro sua liberalitate non solum illam rem concedat, pro qua impetranda missa primo loco oblata est, sed etiam alias res, quae secundae intentioni respondeant.

937. *Schol. 3. De fructu missae generali, speciali, specialissimo.*

Fructus generalis ille est, qui universae ecclesiae ex omni missa provenit eo, quod omnis missa nomine ecclesiae dicitur (*conc. trid. sess. 22, c. 1; Denz. n. 939*). Unde quo plures missae in mundo dicuntur, eo maius bonum redundat in totum corpus ecclesiae, quatenus et poenae debitae avertuntur et gratiae maiores impetrantur et per conversionem acatholicorum numerus fidelium augetur. Nam pro his rebus sacerdos in missa nomine ecclesiae orare debet. Secundum quam normam hic fructus generalis descendat ad singulos fideles, non constat inter theologos (cf. *Stentrup, Soteriol. thes. 112*). Excluduntur ab hoc fructu excommunicati et alii, qui sunt extra communionem ecclesiae, nisi in quantum eorum conversio impetrari potest, saltem indirecte.

Specialis fructus seu ministerialis est ille, qui respondet intentioni sacerdotis offerentis. Posse enim sacerdotem ad specialem finem missam offerre praxis et doctrina ecclesiae ostendit. Neque ulla ratio est sentiendi aliter de missa quam de omnibus aliis operibus satisfactoriis et impetratoriis, quae pro certis personis ad determinatum finem applicari posse constat. Persona autem, cui fructus applicari debet, non est determinata a Christo: ergo determinanda est a sacerdote, qui est minister huius sacrificii (*Suarez disp. 79, sect. 9*). Haec applicatio

pro excommunicatis vitandis fieri non debet, de qua re agitur in theologia morali (cf. *Lehmkuhl* II, ed. 11, n. 243 sq).

Fructus specialissimus seu personalis ille est, quem ipse sacerdos sibi acquirit ex missa, non solum in quantum sacramentum suscipit, sed etiam in quantum sacrificium offert, isque fructus nulli alii applicari potest, sicut etiam fructus, quem sacramenta producunt ex opere operato, necessario ei prodest, qui sacramenta suscipit (cf. *Denz.* m 1108). Idem suo modo dicendum est de iis, qui missae assistunt, quia etiam hi quadamtenus missam offerunt coniungendo se moraliter cum sacerdote et volendo Deo cultum, qui per sacrificium exprimitur (*Suarez* 1. c. sect. 8, n. 4 5. *De Lugo* disp. 19, sect. 11).

938. *Schol. 4.* Num sacerdos ex praecepto divino teneatur aliquando celebrare.

Multi et magni theologi negative respondent. Pro negativa sententia *Suarez* (disp. 80, sect. 1, n. 2) citat *Alexandrum Halens.*, *S. Bonaventuram*, *Gabrielem*, *Richardum*, *Victoriam*, *Caietanum*, et idem docet card, *de Lugo* (disp. 20, sect. 1). Alii affirmative respondent, et inter hos citantur *S. Thomas*, *Durandus*, *Paludanus*, *Antoninus* (*Suarez* 1. c. n. 3). Ipse *Suarez* dicit rem sibi esse valde dubiam, ita ut, qui se practice opinioni neganti conformaverit, „a peccato mortali excusari possit“ (1. c. n. 4). Immo hoc omnino dicendum videtur propter exempla sanctorum, qui non solum per integrum annum a sacro abstinuerunt, ut *S. Ignatius Loyola*, sed etiam per multos annos, ut *Patres in eremo viventes*. Nam in his recurrere ad specialem *Spiritus Sancti* instinctum, quo illi sancti viri dispensati sint a lege sub gravi obligante, videtur satis arbitrarium. Hoc tamen concedendum est: si quis sacerdos ex mera desidia et negligentia numquam sacrum faciat, facile posse fieri peccatum grave, tum ob scandalum, quod praebet, tum ob alias rationes, id quod etiam card, *de Lugo* docet (disp. 20, sect. 1, n. 13). Et sub hoc respectu defendi potest sententia casuistarum practice a gravi peccato excusari vix posse sacerdotem, qui non aliquoties per annum celebret.

Omnes vero tam sacerdotes quam laici ex praecepto ecclesiastico tenentur singulis diebus dominicis et festis de praecepto interesse sacro. Sed de hac obligatione sicut etiam de obligatione dicendi missam pro stipendio accepto et de caerimoniis missae alibi agitur.

Est igitur eucharistia tam ut sacramentum quam ut sacrificium unum ex maximis et excellentissimis beneficiis, quae Deus ex infinita sua caritate hominibus praestitit. Non est quidem dicendum cum quibusdam recentioribus eucharistiam esse causam universalem omnium gratiarum, quae per sacramenta vel alio modo hominibus dantur. Nam

haec causa universalis est potius sacrificium crucis, cuius virtute omnia peccata condonantur et omnes gratiae distribuuntur. Applicatio autem horum meritorum non solum per eucharistiam sed per omnia sacramenta fit ex opere operato (cf. *Suarez* disp. 79, sect. 1, n. 6; *Stentrup*, *Soteriol. thes.* 102). Nihilominus eucharistia propter suam excellentiam est quodammodo centrum totius vitae christianae, ad quod omnia sacramenta tamquam totidem radii pertinent (S. *Thom.* 3, q. 65, a. 3). Merito igitur vocatur donum transcendens omnem plenitudinem et divinae affluentia largitatis, ad quam iugiter laudandam nos S. Thomas excitat:

Quantum potes, tantum aude,
Quia maior omni laude,
Nec laudare sufficis.

l i b r a r y

W. MVW -

Efif CM, CŪNH.

INDEX ALPHABETICUS.

(Indicantur numeri marginales.)

- Ablutio *aquae* est materia proxima baptismi 363 sqq; — quanta requiratur 366; — valet ablutio soliuà capitis 367; — *trina* est usus antiquissimus 376; — non est de necessitate baptismi sed ab ecclesia praescripta *ib.*
- Absoluta intentio 274.
- Accidentia *panis* et *vini* in eucharistia *vide* Species eucharisticae.
- Actio *moralis Christi* in sacramentis quomodo sit explicanda 141 sqq.
- Adductio quid sit et a quibus defendatur 692; — videtur praefendus hic modus explicandi transsubstantiationem 695; — quidnam efficiat 697 sq.
- Adrianus VI: Christum determinasse materiam et formam sacramentorum 222.
- Agnus *paschalis*: num eius esus fuerit sacramentum 61; — est typus eucharistiae 590.
- Agrippinus, episcopus carthagin., de rebaptizandis 234.
- Albertus *Magnus*, B., de caractere sacramentali 189; — de intentione ministri sacramentorum 266; — in eucharistia manere accidentia sine subiecto 707.
- Albigenses virtutem confirmationis negabant 491; — negarunt realem praesentiam Christi in eucharistia 567; — damnantur 641; — ministrum conficiendae eucharistiae non esse solum sacerdotem 828.
- Alexander III: in forma baptismi exprimi debet tum actio baptizantis tum subiectum baptismi 391; — forma condicionata baptismi quando adhibenda sit 406.
- Alexander VIII: requiri intentionem internam ministri ad validitatem sacramentorum 280; — in forma baptismi exprimenda est actio baptizantis 391.
- Alexander *Halensis* censet quaedam sacramenta per apostolos instituta 213; — de materia proxima confirmationis 519.
- Algerus de obiectiva realitate specierum sacramentalium 706; — quo sensu missa dici possit sacrificium mysticum 915.
- Alphonsus *M. de Ligorio*, S.: intentio ministri sacramentorum saltem debet esse virtualis et interna 281; — sententiam de intentione mere externa esse practice inutilem 287; — opinionem Caietani de voluntate neutrali suscipientis sacramenta reprobatur 310; — in suscipiente sufficere intentionem habitualement 311; — de trina absoluteione 376; — de forma baptismi 386; — mortale esse sine necessitate baptizare extra ecclesiam 486; — num simplici sacerdoti possit concedi facultas conficiendi chrismatis 506; — ad essentiam confirmationis quaenam manuum impositio requiratur 513; — quae in forma confirmationis sint essentialia 524; — de obligatione recipiendi confirmationem 541; — de praecepto confitendi ante communionem 790 sq; — praeceptum communionis paschalis 815.
- Altissiodorensis de materia et forma sacramentorum 26.
- Amalarius, *presbyter metensis*, de forma confirmationis 528.
- Ambrosius, S., de nomine *sacramenti* 10; — de lotionem pedum ut caerimonia sacra 94; — de caractere sacramentali 183; — sacramentorum auctor est Christus Dominus 216; — quo tempore baptismus institutus sit 352; — de benedictione aquae baptismalis 362; — de distincta expressione SS. Trinitatis in forma baptismi 382; — num docuerit validitatem baptismi in solo nomine Iesu collati 388; — de voto baptismi 421; — docet realem praesentiam Christi in eucharistia 630; — Christus totus est sub utraque specie sacramentali 726; — de forma eucharistiae consecrandae 776; — de effectu sacramenti eucharistiae 789; — missa est sacrificium repraesentativum cnicis 888;

- Christus est res oblata in sacrificio missae 630.
- Amentes quando valide baptizentur 433; — possunt cum fructu suscipere eucharistiam 825.
- Amicas: quae in forma confirmationis sint essentialia 524.
- Amylum (Stârkemehl) ex tritico confectum est materia dubia eucharistiae conficiendae 759.
- Anabaptistae: infantes non esse capaces baptismi fructuose recipiendi 441.
- Angeli num possint sacramenta administrare 230.
- Anglieani de reali praesentia Christi in eucharistia 574.
- Apostoli num subiacerint praecepto suscipiendi baptismum 440.
- Apparitiones *Christi* in eucharistia 723.
- Aqua *baptismalis*: ritus benedicendi est antiquus 362; — est sola materia licita baptismi sollemnis *ib.*; — non est praescripta pro baptismo privato *ib.*
- Aqua *hustrali* benedicitur cum postulatione specialium effectuum 341; — liberat a peccatis venialibus et poenis peccatorum 343; — eius usus 346; — convenienter adhibetur in baptismo privato 362; — *naturalis* sola est materia valida baptismi 357 sqq; — cur Christus baptismo eam assignaverit ut materiam 361. |
- Arcani *disciplina* 91; — maxime observabatur relate ad eucharistiam 619.
- Arelatense I: Valor sacramentorum non pendet a fide ministri 243.
- Arendt de sacramentalibus 332.
- Armachanus, *Richardus*: quae in forma confirmationis sint essentialia 524 526; — putat simplices sacerdotes esse ministros ordinarios confirmationis 543.
- Armeni, de vi dogmatica decreti pro armenia 33.
- Arriaga gravitatem specierum quomodo explicet 708.
- Aspersio: baptismus fieri potest per aspersionem 371 sqq.
- Athanasius, S., de baptismo arianorum 240; — de forma baptismi 381.
- Auctor *sacramentorum* est Christus 203sqq.
- Augustinus, S.: *Sacramentorum* institutio fuit conveniens 3; — de nomine sacramenti 10; — sacramenta veteris et novi testamenti non sunt eadem 16; — de materia et forma sacramentorum 30; — in lege naturae exstitit remedium contra peccatum originale pro infantibus 45; — in lege vetere fuerunt sacramenta 56; — circumcisio fuit illius temporis sacramentum 59; — enumerat sacramenta 88; — de lotionem pedum ut caerimonia sacra 95; — de primario effectu sacramentorum, qui est gratia 101; — sacramenta gratiam conferunt ex opere operato 121; — minister sacramentorum agit personam Christi 143; — de causalitate sacramentorum 147 161; — populus Dei circumcisionem pro baptismo habuit 173; — de caractere sacramentali 185 198; — quomodo inter se cohaereant character et initerabilitas sacramentorum 188; — Christus qua homo omnia sacramenta immediate instituit 216; — de quaestione rebaptizandi 238 242; — valor sacramentorum non pendet a probitate ministri 246 248; — de ministris indignis 252; — de intentione ministri 284; — de intentione suscipientis adulti 310; — non requiri fidem et probitatem subiecti ad validam susceptionem 312; — de reviviscentia sacramentorum 314; — de debito ministro 324; — de baptismo loannis 356; — aqua est materia baptismi 359; — apostoli baptizaverunt in nomine SS. Trinitatis 381; — de distincta expressione SS. Trinitatis in forma baptismi 382; — baptismo remittitur omnis reatus culpae et poenae 399; — baptismus omnibus est necessarius ad salutem 412; — pueros non baptizatos salvari non posse 415; — de voto baptismi 421 423; — de martyrio 424; — baptismum posse suppleri martyrio 426; — parvulos posse fructuose baptizari 443; — neminem renasci posse non natum 451; — infantes infidelium valide baptizari etiam invitibus parentibus 456; — quemlibet hominem valide baptizare 468; — confirmationem saepissime commemorat 497; — chrismationem debere fieri in fronte 513 — in forma crucis 514; — num docuerit confirmationem iterari posse 534; — de expositione *Io 6, 48 sqq* 589; — doctrina de reali praesentia Christi in eucharistia 631 sqq; — de praecepto non sumendi ullum cibum ante communionem 827; — sacrificium signum sacrum 839; — de sacrificio missae 922; — missa non potest offerri nisi soli Deo 917.

B.

- BaittS, *Michael*: caritatem perfectam posse esse sine remissione peccatorum 420.
- Balsamum num sit de necessitate confirmationis 502.
- Baptismus. *Exsistentia*: est verum sacramentum 348 sqq; — nomen et definitio *ib.*; — quonam tempore institutus sit 352 — de baptismo loannis 356; — quibus diebus administrandus sit 413.

Essentia: Materia remota valida *fàl* sqq; — materia licita baptismi sollemnis 362; — materia proxima 363 sqq; — quid sit ablutio *ib.*; — cui formam pronuntiat, ipse abluere debet 365; — quanta ablutio requiratur 366. — *Ititus* immersionis 368 sqq; — significatio *ib.*; — num etiam emersio a baptizante sit facienda 370; — ritus infusionis vel aspersionis 371 sqq; — de trina ablutione 376. — *Forma:* distincta expressio Dei unius et trini est de essentia 377 sqq; — baptismus collatus ‚in nomine Iesu‘ num sit validus 379 sqq 388 sq; — non valet collatus ‚in nomine Trinitatis‘ 384; — aliae quaestiones de forma solvuntur 385 sqq; — debet exprimi tum actio baptizantis tum subiectum baptismi 390 sqq; — num etiam persona ministri 395; — de vocabulo ‚christianizandi‘ 396.

Effectus: remittitur omnis reatus culpae et poenae 398 sqq; — infunduntur habitus gratiae et donorum 401; — homo regeneratur et fit vivum membrum mystici corporis Christi 402; — baptismus iterari nequit 405; — opera satisfactionis baptizando imponi non possunt 407; — manet in baptizatis concupiscentia 408.

Necessitas baptismi fluminis 409 sqq; — quid sit necessitas medii *ib.*; — quid sit baptismus fluminis *ib.*; — quando inceperit haec baptismi necessitas 417. — *Baptismi fluminis* 418 sqq; — utrum desiderium debeat esse explicitum 422; — quo sensu actus caritatis dicatur supplere effectum baptismi 423. — *Baptismi sanguinis* 424 sqq; — martyrium definitur 424; — quae dispositio requiratur in adulto, ut effectum martyrii consequi possit 429; — martyrium quasi ex opere operato efficaciam habere 430.

Subiectum: adultus nondum baptizatus 432 sqq; — quando praeceptum baptismi hominem adultum obliget 437 sq; — num obligaverit B. V. M. et apostolos 440. — *Infantes* capaces sunt baptismi fructuose recipiendi 441 sqq; — infantes parentum Christianorum omnino debent baptizari 445 sqq; — immo omnis foetus humanus animatus 446 **infantes mox baptizari debent 448**; — de opinione infantibus baptismum esse differendum, ut ipsi possint consentire 449 sq; — num parvuli in utero inclusi valide baptizari possint 451 sqq; — infantes infidelium valide baptizantur etiam invitis parentibus 455 sq — non tamen licite extra periculum mortis 457 sq; — patriae potestati erepti quando bap-

tizari possint 459; — de infantibus apostatarum vel haereticorum 460 sq; — num possint principes Christiani praecipere subiectis infidelibus, ut baptismum filiorum permittant 462.

Minister baptismi sollemnis ex officio est episcopus vel parochus 464; — ex deputatione est quilibet sacerdos 465; — extraordinarius est diaconus 466; — num in casu necessitatis diaconus sine delegatione possit sollemniter baptizare 467. — *Baptismi privati:* quilibet homo valide baptizare potest 468 — in casu necessitatis etiam licite 469; — mortaliter peccat laicus baptizans in praesentia sacerdotis 470; — lex ecclesiastica de ministro 471; — num plures possint simul baptizare 472. — *Caerimoniae* baptismi 479 sqq; — *baptismus κβ clinicarum* 373; *baptismus loannis* differt a baptismo Christi 356; — *baptismus „pro mortuis“* (1 Cor 15, 29) quid significet 306 nota.

Barnabae, S., *epistula:* baptismum esse verum sacramentum 350; — aquam naturalem esse materiam baptismi 359.

Basilios, S., de causalitate sacramentorum 161; de caractere sacramentali 184; erronea eiusdem sententia de fide ministri 249; — de benedictione aquae baptismalis 362; — trinam ablutionem esse ex apostolica traditione 376; — baptismo remittitur omnis reatus culpae et poenae 399; — baptismus fluminis omnibus est necessarius ad salutem 412; — invehitur in eos, qui differunt baptismum 437; — commemorat sacramentum confirmationis 497; — notam supponit doctrinam de eucharistia 622.

Batiffol de disciplina arcani 91; — circa doctrinam Ignatii M. de eucharistia 610; — de doctrina Gelasii papae quoad transsubstantiationem 691.

Beati *caelites* num possint sacramenta ministrare 229 sq.

Beda *Venerabilis:* balsamum requiri ad sacrum chrisma 504.

Bellarminus, *card. Eobertus,* de efficacia sacramentalium 336; — commemorat detersiones verborum ‚Hoc est corpus meum‘ 592; — Malachias 1, 11 loquitur de sacrificio proprie dicto 858.

Bellord de sacrificio fnissae 835 897.

Benedictio aquae baptismalis 362; — aquae lustralis 341.

Benedictus XII de forma eucharistiae 777.

Benedictus XIV: Christus determinavit materiam et formam sacramentorum 221; — de intentione interna ministri 280 283; — infantes infidelium valide baptizari etiam invitis parentibus 456;

- chrismationem esse simul manus impositionem 518; — num praeceperit susceptionem confirmationis 541; — solos episcopos esse huius sacramenti ministros ordinarios 548; — pontifices saepe confirmandi potestatem presbyteris dedisse 553; — hanc potestatem nunc non posse conferri ex episcopi delegatione 556.
- Berengarins negasse videtur dogma realis praesentiae Christi in eucharistia 565; — orthodoxae formulae subscribere iubetur 641; — docuit substantiam panis et vini post consecrationem manere simul cum Christo 668.
- Bernardos, S., de lotione pedum ut caerimonia sacra 96; — de desiderio baptismi 421.
- Berning de eucharistia 591 nota; 871.
- Bessarion de forma eucharistiae consecrandae 777; — de sensu epidesis 779.
- Biel, *Gabriel*, in suscipiente sacramentum poscit bonum motum ut dispositionem 128.
- Billuart putat causalitatem physicam sacramentorum esse de mente S. Thomae 166.
- Bonaventura, S., rationes convenientiae affert pro septenario numero sacramentorum 84; — circumcisio fuit data in remedium contra originale peccatum 174; — censet quaedam sacramenta per apostolos instituta 213; — in omni sacramento necessariam esse intentionem ministri 265; — de materia proxima confirmationis 519; — de obligatione suscipiendi confirmationem 538.
- Bruno *Astensis*: de efficacia sacramentorum 102.
- C.
- Caerimoniae ab ecclesia institutae non pugnant cum libertate novae legis 107; — earum utilitas 329; — non sunt a Christo institutae 330; — ecclesiae potestas circa eas 331; — quaedam sunt strictae obligationis 345; — caerimoniae *baptismi* convenienter institutae sunt 479 sqq; — caerimoniae *confirmationis* 557.
- Cagin de primitiva forma canonis missae 651 nota.
- Caietanus: sufficere voluntatem neutralem suscipientis sacramenta 310; — putat in casu necessitatis parvulos fidelium orationibus parentum salvari 415; — simplici sacerdoti posse concedi facultatem conficiendi chrismatis 508; — de transsubstantiatione 688.
- Calixtini defendebant necessitatem communionis sub utraque specie 816.
- Calvinus negat efficaciam sacramentorum ex opere operato 115; — doctrinam Patrum de hac efficacia quomodo explicet 122; — confirmationem negat 491; — doctrina eius de sacramento eucharistiae 571.
- Canus, *Melchior*, defendit causalitatem moralem sacramentorum 152.
- Capreolus de necessitate benedictionis olei confirmationis et infirmorum 213 nota.
- Catechismus *romantis*: materiam et formam esse partes substantiales et constituentes sacramentorum 34; — definit baptismum 348; — omnem et solam aquam naturalem esse materiam validam baptismi 357; — materia proxima baptismi est ablutio aquae 363; — baptizatis opera satisfactionis imponi non debere 407; — caerimoniae baptismi esse convenienter institutas 479; — de baptismo 489; — chrisma esse materiam confirmationis 504; — gratia propria confirmationis 533; — quibus convenienter conferatur confirmatio 537; — de obligatione eam suscipiendi 542; — in eucharistia species manere sine subiecto 709; — eucharistia est unum tantum sacramentum 753; — nullum panem nisi triticeum esse materiam aptam eucharistiae 758.
- Catechumeni in vetere ecclesia ante baptismum ieiunare debebant 407; — eorum duplex classis 482; — adhibetur ipsis exorcismus 483.
- Catharinus, *Ambrosius*, de intentione ministri sacramentorum 279; — damnatur eius sententia, de forma consecrationis 778.
- Causalitas *sacramentorum*: sacramenta sunt verae causae 138 sqq; — et quidem *causae* saltem *morales* 141 sqq; — causalitas moralis explicatur 143 sqq; — quomodo sacramenta sint instrumenta Dei 148 sqq; — quid in sacramentis sit moraliter actio Christi 151. — *Causalitas physica* sacramentorum non est admittenda 152 sqq; — definitur causa physica 156; — quonam sensu admitti possit 157; — solvuntur quaedam difficultates 159 sqq; — de doctrina S. Thomae 166 sqq.
- Character est effectus secundarius trium sacramentorum 178 sqq; — quomodo cohaereant inter se character et initerabilitas sacramentorum 188; — character non est mera denominatio externa (relatio rationis) 190; — neque sola relatio realis 191; — sed est de genere qualitatis 192; — qua qualitate homo configuratur Christo in ordine supernaturali 193; — per characteres homines deputantur ad cultum divinum

- et configurantur Christo sacerdoti 196; — character habet specialem connexionem cum gratia 197; — ad quod genus qualitatis character pertineat 199; — num maneat in altera vita 200; — num tria tantum sacramenta imprimant characterem 201; — cur character dicatur res et sacramentum 202; — num character confirmationis realiter distinguatur a caractere baptismali 535.
- Chemnitius characterem sacramentalem dicit commentum scholasticorum 178; — confirmationem olim non fuisse nisi meram caerimoniam 491.
- Chrisma essentialiter requiritur ad confirmationem 502 sqq; — debet esse recens, ab episcopo benedictum 505 sq; — ratio congruentiae, cur materia confirmationis instituta sit chrisma 507; — num simplici sacerdoti concedi possit facultas conficiendi chrismatis 508.
- Chrismatio est materia proxima confirmationis 510 sqq; — cur fiat in fronte 513; — debet fieri in forma crucis 514; — non potest fieri instrumento 520.
- Christus est auctor sacramentorum novae legis 203 sqq — et principalis minister 143; — in missa est offerens et oblatio 887 893 sqq; — non instituit sacramentalia 330.
- Chrysostomus, *S. Iohannes*, extremam unctionem coniungit cum sacramento paenitentiae 88; — de disciplina arcani 91; — sacramenta novae legis sanctificare ex opere operato 121; — de caractere sacramentali 184 193; — solus homo viator est ordinarius minister sacramentorum 229; — baptismus suppleri potest martyrio 426; — commemorat sacramentum confirmationis 497; — aperte docet realem praesentiam Christi in eucharistia 626; — Christus totus est sub utraque specie 726; — de effectu eucharistiae 796; — de Melchisedech 863; — per repraesentationem passionis Christi missa est sacrificium 911; — de fructu missae 922.
- Circumcisio fuit sacramentum legis veteris 59; — erat pro pueris iudaeorum remedium peccati originalis 171 sqq; — justificabat non ex opere operato, sed quatenus erat protestatio fidei in futurum Messiam 175 sqq.
- Clemens VI de potestate ecclesiae in sacramenta 223; — de benedictione chrismatis 506; — de confirmatione 553 556.
- Clemens *Alexandrinus* de caractere sacramentali 193; — docet realem praesentiam Christi in eucharistia 613.
- Clemens *Romanus* de caractere sacramentali 184; — de eucharistia 879. |
- Communio *sacra* vide Eucharistia; communio cotidiana 292 833 nota communio sub una specie 816 sqq communio spiritualis 826.
- Concupiscentia manet in baptizatis 408.
- Condicionata collatio sacramentorum 274 406.
- Confessio *augustana* damnat doctrinam catholicam de efficacia sacramentorum ex opere operato 116.
- Confessio *sacramentalis* quando praemitenda sit sumptioni eucharistiae 790 sq; — utrum hoc praeceptum sit ecclesiae an divinum 792.
- Confirmatio. *Exsistentia*: definitio et nomen 490; — est verum sacramentum 491 sqq; — rationes, ob quas Deus hoc sacramentum instituerit 500; — de tempore institutionis 501.
- Essentia*: *Materia* remota est chrisma 502 sqq; — debet esse recens 505 — et benedictum ab episcopo 506; — convenienter adhibetur 507; — num ecclesia simplici sacerdoti facultatem concedere possit conficiendi chrismatis 508; — num oleum necessario debeat esse chrisma 509. — *Materia* proxima est chrismatio 510 sqq; — haec unctio fieri debet in fronte 513 — et quidem in forma crucis 514 requiritur impositio manus 515 sqq; — falsae quaedam circa unctionem opiniones 519; — unctio non potest fieri instrumento 520. — *Forma* 521 sqq.
- Effectus*: auget gratiam 530 sqq; — confert speciale auxilium 533; — imprimit characterem 534; — num hic realiter distinguatur a caractere baptismali 535.
- Subiectum* capax est omnis homo baptizatus 536; — quibus convenienter conferatur confirmatio 537; — de *obligatione* suscipiendi confirmationem 538 sqq.
- Minister ordinarius* est episcopus 543 sqq; — episcopus semper valide confirmat 548; — de officio episcopi circa confirmationem 549; — confirmatio conferri potest quolibet tempore *ib.*; — minister *extraordinarius* potest esse quivis presbyter 550 sqq; — num quilibet episcopus possit deputare sacerdotem ad confirmandum 556.
- Caerimoniae* confirmationis 557.
- Coninck de efficacia sacramentalium 337.
- Consecratio *chrismatis* num sit sacramentale 333; — consecratio *sola* constituit essentiam sacrificii missae 898 sqq; — sub quo respectu dici possit actio sacrificialis 902 sqq; — per consecrationem Christus ponitur in statu victimae, quatenus vi verborum sanguis eius a cor-

- pore mystice separatur 905 sqq. — *Consecratio sacerdotum* in vetere lege num fuerit sacramentum 60.
- Constantiense *concilium*: valor sacramentorum non pendet a probitate ministri 247; — concessit communicationem in sacris cum haereticis toleratis 325; — de reali praesentia Christi in eucharistia 641; — in eucharistia accidentia manere sine subiecto 709; — Christum totum esse sub utraque specie sacramentali 728; — de communione laicorum sub utraque specie 819; — communio non debet recipi a non ieiunis 827.
- Coustantinopolitanum I de unica quorundam haereticorum ablutione baptismati 376; — de catechesi catechumenorum 482; — de forma confirmationis graeca 526.
- Constitutiones *apostolicae* de caractere sacramentali 184; — diaconus est minister extraordinarius distribuendae eucharistiae 832; — missa est sacrificium repraesentativum crucis 889.
- Copti *haeretici* profitentur septem sacramenta 81; — eorum ignorantia in re sacramentaria 93.
- Comely, *Rudolphus*, 2 *Cor* 1, 22 explicat 182.
- Cyprianus, S., de rebaptizandis 234 sqq; — de benedictione aquae baptismalis 362; — ritum infusionis dicit esse validum 373; — apostolos baptizasse in nomine SS. Trinitatis 381; — baptismum posse suppleri martyrio 436; — infantes debere baptizari 443; — ministrum baptismi sollemnis esse sacerdotem 465 de sacramento confirmationis 497 docet realem praesentiam Christi in eucharistia 615; — de effectu eucharistiae 789; — missa est verum sacrificium 882 repraesentativum sacrificii crucis 890; — missae in honorem sanctorum offerri possunt 918.
- Cyrillus *Alexandrinus*, S., de reali praesentia Christi in eucharistia 627; — eucharistia est sacramentum permanens 783; — de effectu eucharistiae 798.
- Cyrillus *Hierosolymitanus*, S., de materia et forma sacramentorum 80; — observandam monet disciplinam arcani quoad sacramenta 91; — docet sacramenta sanctificare ex opere operato 121; — de causalitate sacramentorum 161; — de caractere sacramentali 184 — num maneat in altera vita 200; — de benedictione aquae baptismalis 362; — baptismo remittitur omnis reatus culpae et poenae 399; — baptismus omnibus est necessarius ad salutem 412; — de voto baptismi 423; — baptismum suppleri posse martyrio 426; — sacramentum confirmationis 497; — docet realem praesentiam Christi in eucharistia 623; — missa est verum sacrificium 883; — essentia sacrificii missae consistit in sola consecratione 900; — missae in honorem sanctorum offerri possunt 918.
- Cyrillus *lucaris* patriarcha, quod calvinianam de sacramentis doctrinam spargere coepisset, ab ipsis schismaticis haeresis damnatur 79.

D.

- Diaconissae assistebant mulieribus in baptisterio 368.
- Diaconus est minister extraordinarius *baptismi* sollemnis 466 sq; — est minister extraordinarius *distribuendae eucharistiae* 832; — hanc potestatem sibi arripens sine licentia fit irregularis 831.
- Dionysius Alex, de eucharistia 616.
- Disciplina arcani 91 619.
- ,*Doctrina duodecim apostolorum* docet baptismum esse verum sacramentum 350; — de veritate sacrificii missae 879.
- Doketae negabant realem praesentiam Christi in eucharistia 564.
- Dollinger de sacrificio 835.
- Dorner, J. A., de 'Unione evangelicorum' in Borussia 573 nota.
- Drouin vult Patres fuisse defensores causalitatis physicae 161; — sufficere intensionem mere externam ministri sacramentorum 283 sq.
- Durandus a S. *Porciano* de causalitate sacramentorum 139 nota; docuit caracterem sacramentalem esse meram denominationem externam (relationem rationis) 190; — falsa eius sententia solam formam, non materiam panis transmutari 682; — eucharistiam posse primam gratiam conferre 800.
- Durandus, canonists, de forma confirmationis 528.
- Ebrard orthodoxam Patrum doctrinam de reali praesentia Christi in eucharistia in dubium vocat 608 nota; — item perspicuam S. Gregorii Nysseni doctrinam 621 nota; — de doctrina Patrum graecorum 628 nota.
- Efficacia *sacramentorum*. *Primarius effectus*: gratia sanctificans 98 sqq; — sacramenta vivorum et mortuorum 108; — obex quid sit 110; — sacramenta novae legis gratiam conferunt ex opere operato 109 sqq; — sacramenta veteris legis non habebant efficaciam ex opere

- operato 169 sqq. — *Effectus secundus* trium sacramentorum est character 178 sqq.
- Eleemosyna num sit sacramentale 333.
- Elias *Damascenus*, nestorianus, docet realem praesentiam Christi in eucharistia 648.
- Eliberitanum *concilium*: in casu necessitatis baptismum statim dandum esse 413; — commemorat sacramentum confirmationis 498.
- Epiclesis quid sit 771; — quo sensu explicanda 779.
- Epiphanius, S.: ministrum extraordinarium baptismi esse diaconum 466; — de reali praesentia Christi in eucharistia 619.
- Erasmus de baptismo infantium 450.
- Estius verba *2 Cor 1, 21 22* non intellegit de characterе sacramentali 182; — quae in forma confirmationis sint essentialia 524.
- Eucharistia: habitudo ad baptismum et confirmationem 558; — in quo differat a ceteris sacramentis 559; — nomen quid significet 562; — artius nequitur cum baptismo et confirmatione 563.
- Realis Christi praesentia*: haereses 564 sqq. — *Veritas* probatur ex Scriptura 576 sqq; — de quadam difficultate ex SS. Patribus petita 589; — typi 590; — solvuntur difficultates 600 sqq; — probatur ex traditione 608 sqq; — doctrina S. Augustini 631 sqq; — Patrum dicta revocantur ad summa capita 639; — probatur ex consensu ecclesiae 640 sqq. — *Transsubstantiatio* panis et vini in corpus et sanguinem Christi 667 sqq; — explicatur dogma 681 sqq; — difficultas ex Patribus 690 sq; — quid sit transsubstantiatio active spectata 692 sqq. — *Obiectica realitas* specierum sacramentalium 699 sqq; — de actionibus et passionibus specierum 717 sqq; — de mixtione specierum cum materia non consecrata 721 sq; — de apparitionibus Christi in eucharistia 723. — *Modus* realis praesentiae: Christus totus est sub utraque specie 724 sqq; — per concomitantiam in eucharistia sunt Pater et Spiritus Sanctus 732; — Christus totus est in qualibet parte specierum 734 sqq; — est modus existendi spiritalis 738; — num Christus in sacramento sit cum sua quantitate 741; — quae unio intercedat inter Christum et species sacramentales 742 sqq; — de denominationibus, actionibus, passionibus Christi in eucharistia 745 sqq.
- Sacramenti existentia* 750 sq; — definitio 752; — utrum sit unum sacramentum an plura 753. — *Essentia*: materia *remota* est panis triticeus et vinum de vite 754 sqq; — in ecclesia latina panis debet esse azymus 762; — vino ante consecrationem aqua admisceri debet 763 sq; — materia consecranda debet esse praesens consecranti 765; — materia *proxima* est corpus et sanguis Christi simul cum speciebus eucharisticis 766 sqq. — *Forma* consecrandae eucharistiae 769sq; — Christus iisdem verbis consecravat 778; — de sensu epiclesis 779; — de duplici sensu verborum consecrationis 780. — Est sacramentum *permanens* 781 sqq; — num verba sint forma constitutiva huius sacramenti 785; — num pluribus formis a pluribus ministris prolatis eadem materia consecrari possit 786. — *Effectus* eucharistiae est augmentum gratiae sanctificantis 787 sqq; — de praecepto confitendi ante communionem 790 sq; — effectus eucharistiae est specialis animae cum Christo unio 793 sqq; — effectus eucharistiae est specialis unio Christi cum corpore nostro 797 sqq; — quando eucharistia effectum producat 799; — num possit primam gratiam conferre 800; — num possit reviviscere 801; — num peccatum veniale et distractio impediatur fructum sacramenti 802. — *Necessitas medii* ad salutem non adest 803 sq; — necessitas aliqua latiore sensu admitti potest 805; — votum eucharistiae proprie dictum non est necessarium 806; — necessitas *praecepti* divini 807 sqq — *praecepti* ecclesiastici 813 sqq; — communio sub utraque specie 816 sqq; — quae rationes suadeant usum eucharistiae sub una specie 821; — num plus gratiae accipiatur per sumptionem utriusque speciei 822. — *Subiectum* est homo baptizatus 823sq; — communio cotidiana 292 833 nota; — de spiritali communionem 826; — de praecepto sumendi eucharistiam ante omnem alium cibum et potum 827., — *Minister conficiendae* eucharistiae est solus sacerdos 828 sq; — *distribuendae* eucharistiae ordinarius est solus sacerdos 830 sq; — extraordinarius ex delegatione est diaconus 832; — de obligatione dandi aut denegandi eucharistiam 833.
- Sacrificium definitur* et explicatur 834 sqq; — *forma* physica sacrificii est sensibilis oblatio rei mactatae 842 sqq; — *divisio* sacrificii in varia genera 849; — ratio typica vel mystica sacrificiorum 851. — *Veritas sacrificii missae* vide Missa.
- Engenins IV docet sacramenta veteris testamenti non causasse gratiam 16; — de iis, quibus sacramenta perficiuntur

- 33; — de septenario numero sacramentorum 71; — tria tantum sacramenta imprimere characterem 201; — valorem sacramentorum non pendere a fide ministri 243; — ad sacramentum perficiendum requiri intentionem ministri 269 — et quidem intentionem internam 280; — docet materiam baptismi esse aquam naturalem 860; — in forma baptismi exprimi debere tum actionem baptizantis tum subiectum baptismi 391; — baptismum non esse differendum 448; — sacerdotem esse ministrum baptismi 465; — confirmationem esse complementum quoddam baptismi 490; — chrisma esse materiam confirmationis 504; — chrismationem esse simul manus impositionem 517; — vino ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet 763; — de forma eucharistiae consecrandae 777.
- Eusebius *Caesariensis*: cur novatiani ne glegant confirmationem 491.
- Exorcismus: eius vis in daemones 342 — adhibetur catechumenis 483.
- Fides quo sensu sit causa nostrae justificationis 125.
- Firmilianus, episcopus *Caesariensis*, de rebaptizandis 237 240.
- Florentinum docet in vetere lege fuisse sacramenta 58; — de numero septenario sacramentorum 71; — baptismum esse verum sacramentum 351; — baptismum remittitur omnis reatus culpae et poenae 400; — eodem homo regeneratur 403; — quemlibet hominem valide baptizare 468; — chrisma ab episcopo benedictum esse materiam confirmationis 504; — de gratia propria confirmationis 533; — ministrum ordinarium confirmationis esse episcopum 546; — extraordinarium quemvis presbyterum 552; — Christum totum esse sub utraque specie sacramentali 728 — et totum in singulis partibus 734; — materia eucharistiae est panis triticeus azymus sive fermentatus et vinum de vite 755 762.
- Forma *sacramentorum* quid sit 26 sqq; — quaenam coniunctio formae cum materia fieri debeat in sacramento administrando 35; — t.de Baptismus, Confirmatio, Eucharistia.
- Franzelin, *card.*: quidam scriptores orientales male sacramenta conumerant 92; — de lotionem pedum ut caerimonia sacra 94; — Scripturam disertissime exprimere efficientiam sacramentorum ut causarum instrumentalium 119; — circumcisio debebat peccatum originale per professionem fidei in futurum Messiam 176; — character sacramentalis habet specialem connexionem cum gratia 197; — omnia sacramenta novae legis esse instituta a Christo Deo-homine 210; — Innocentium IV non defendisse intentionem mere externam ministri sacramentorum 283; — neque S. Thoinam fuisse huius sententiae 285; — de consensu omnium ecclesiarum circa transsubstantiationem 679; — de modo conversionis 688; — quomodo maneat accidentia sine subiecto 713; — Christum in statu sacramentali posse supernaturaliter habere actus sensuum 748; — de forma physica sacrificii 844; — doctrina S. Pauli de sacrificio missae 878.
- Fructus *missae* impetratorius 920 sqq; — fructus generalis, specialis, specialissimus 937.
- Funk de disciplina arcani 91; — de sacrificio in *Didache* 879.

G.

Galtier de confirmatione 223.

Gelasius I *papa*: infantes sine baptismo non posse salvari 415; — diaconum esse ministrum extraordinarium baptismi 466; — de eucharistia 691.

Gentilium mysteria et Christianorum sacramenta 3.

Gonetus docet in statu originalis innocentiae nulla futura fuisse sacramenta, quamvis status ille diutius durasset 39; — increpat Suaresii explicationem de cansalitate physica sacramentorum 159 163.

Graeci *schismatici* agnoscunt septem sacramenta 75 sq; — eandem ac nos profitentur fidem de eucharistia 648; — soli epiclesi tribuunt vim transsubstantiandi 771; — testati sunt contra lutheranos eucharistiam esse sacramentum permanens 783.

Gratia *sanctificans* est primarius effectus sacramentorum 98 sqq; — gratia *prima* et *secunda* 108; — idem sacramentum, quantum ex se, in omnibus eandem causai gratiam 133 sq; — *diversa* sacramenta diversam causant gratiam 135; — character sacramentalis habet specialem connexionem cum gratia 197.

Gratiae *sacramentales*: singula sacramenta proprias habent gratias sacramentales 136 sqq; cf. 404 533 796.

Gregorius, episcopus bergamensis, dicit ecclesiae sacramenta numero adimpleri septenario 70.

- Gregorius *Magnus*, S.: in statu legis naturae exstitit remedium contra peccatum originale pro infantibus 45; — de baptismo haereticorum 243; — de trina ablutione 376; — in forma baptismi necessariam esse expressionem SS. Trinitatis 379; — missa est sacrificium repraesentativum crucis 888 911; — de fructu missae 922.
- Gregorius *Nazianzenus*, S.: num character sacramentalis maneat in altera vita 200; — de ministro sacramentorum 246; — excepto periculo mortis melius infantibus baptismum esse differendum 449; — de sacrificio missae 839; — per consecrationem missae Christus producit in statu mysticae mactationis 911.
- Gregorius, *Nyssenus*, S., de materia et forma sacramentorum 30; — de causalitate sacramentorum 161; — de benedictione aquae baptismatis 362; — docet realem praesentiam Christi in eucharistia 621; — essentia sacrificii missae consistit in sola consecratione 900.
- Gregorius VII adversus Berengarium 641 680.
- Gregorius IX: ritu sollemni ex officio sacramenta indigne ministrantes peccare mortaliter 252.
- Gregorius XI damnat sententiam Ioannis de Latone 722.
- Guilelmus *Altissiodorensis* primus rem, qua perficitur sacramentum, dixit *materiam* et verba *formam* 26.
- Gutberlet de auctore sacramentorum 223.
- H.
- Harnack illudit doctrinae catholicae de efficacia sacramentorum ex opere operato 113 nota; — contradictionis accusat doctrinam S. Augustini de characterem sacramentali 185 nota.
- Heitniiller de baptismo in nomine Iesu 381; — de ultima cena 597.
- Hieronymus, S., de rebaptizandis 238; — de trina ablutione 376; — baptismo remittitur omnis reatus culpae et poenae 399; — quemlibet hominem valide baptizare 468; — de confirmatione 497; — Christus in eucharistia existit modo spirituali 738.
- Hilarius *Pictaviensis*, S., docet realem praesentiam Christi in eucharistia 629.
- Hippolytus, S., *episcopus portuensis*, de causalitate sacramentorum 161; — de confirmatione 497.
- Hispalensis *synodus* IV: presbyteris non licere Paracletum Spiritum tradere nec chrisma conficere 498.
- Hoppe falsa statuit circa formam consecrationis 778.
- Hordeum non est materia sufficiens eucharistiae conficiendae 759.
- Hugo *Victorintis* de sacramentalibus 332 nota.
- Hugon de causalitate physica sacramentorum 152 164 nota.
- Hydroparastatae pro vino in missa substituerant aquam 755.
- I.
- Ieremias *patriarcha* respondet protestantibus in catholica ecclesia septem esse sacramenta 78; — profitetur realem praesentiam Christi in eucharistia 648.
- Ignatius *Martyr*, S.: doketas negasse realem Christi praesentiam in eucharistia 564 609; — de sacrificio missae 879.
- Immersio: baptismus immersionis 368sq.
- Impanatio quid sit 668.
- Impositio *manuum* quaenam requiratur ad essentiam confirmationis 515 sq.
- Infantes in statu legis naturae habebant remedium salutis 43 sq; — capaces sunt baptismi fructuose recipiendi 441 sq; — infantibus baptismus non est differendus, ut ipsi possint consentire 449 sq; — parvuli in utero matris inclusi valide baptizari possunt 451 sq; — infantes infidelium valide baptizantur etiam invitatis parentibus 456 — sed non licite 457 sq; — infantes apostatarum vel haereticorum per se licite baptizantur 460; — olim infantibus dabatur communio 638 818; — infantes possunt cum fructu suscipere eucharistiam 825.
- Infusionis ritus in baptismo 371 sq.
- Innocentius I observat disciplinam arcani in doctrina confirmationis exponenda 91; — de necessitate baptismi 415.
- Innocentius III: Deus in statu legis naturae parvulis aliquod remedium procuravit ad salutem 46; — circumcisio pro pueris iudaeorum erat remedium peccati originalis 172; — de characterem sacramentali 179; — valor sacramentorum non pendet a probitate ministri 247; — de intentione ministri 269; — non defendit intentionem mere externam 283; — numquam licere simulare sacramentum 304; — de baptismo flaminis 420; — de consensu vi aut metu extorto 434; — de materia confirmationis 502; — per chrismationem designari manus impositionem 517; — de mixture specierum cum materia non consecrata 721; — aquam mixtam cum vino transmutari in sanguinem 764; — quibusnam verbis Christus consecraverit 778.

- Innocentius IV immerito affertur pro intentione mere externa ministri sacramentorum 283.
- Innocentius XI: numquam licere simulationem sacramenti 304; — praecepto annuae communionis non satisfieri per indignam communionem 815.
- Inquisitio sacra damnat modernistarum doctrinam de origine sacramentorum 210 nota: — de baptismo 411; — de confirmatione 498; — de eucharistia 599 nota.
- Intentio *ministri* ad valide conficienda sacramenta 262 sqq, *vide* Minister: — *faciendi, quod facit ecclesia* quid significet apud scholasticos 266; — *suscipientis* sacramenta 309 sqq *prima* et *secunda* applicantis missam 936.
- Ioannes *Damascenus*, S.: quo sensu SS. Patres corpus Christi eucharisticum vocaverint antitypum 625; — breviter complectitur doctrinam PP. graecorum de eucharistia 628; — Christus totus est sub utraque specie sacramentali 726.
- Ioannes *Darensis* monophysita docet realem praesentiam Christi in eucharistia 648.
- Ioannes *Parisiensis* iunior: in eucharistia manere panem sed sustentari a corpore Christi 684.
- Irenaeus, S., docet realem praesentiam Christi in eucharistia 612; — missam esse verum sacrificium 881.
- Isidorus *Hispalensis*, S.: distinctam expressionem SS. Trinitatis esse essentialem in forma baptismi 382; — diaconum esse ministrum extraordinarium baptismi 466; — de nomine missae 885.
- Iteratio sacramentorum 188 405 sq.
- Liilicher de ultima cena 597.
- Inlius ill *papa* imposuit suspensionem baptizantibus filios hebraeorum reluctantibus parentibus 457.
- Iustinus *Martyr*, S.: de ritibus gentilium 3: — distincta expressio Trinitatis est de essentia formae baptismalis 382; — docet realem praesentiam Christi in eucharistia 611; — missam esse verum sacrificium 880.
- Klee de infantibus ante baptismum morientibus 409.
- Knabenbauer de locutione „carnem aliquis manducare“ 585; — vaticinium Malachiae 1, 11 referri ad tempus messianicum 854; — Malachias l.c. loquitur de sacrificio proprie dicto 858; — de institutione sacrificii missae 870.
- Koch, W., de ultima cena 597.
- Laniy verba *Gn 17, 14* de circumcissione quomodo interpretetur 171.
- Lanfrancus de veritate realis praesentiae contra Berengarium 649; — de objective realitate specierum sacramentalium 706.
- Laodicena *synodus* de sacramento confirmationis 498.
- Lateranense IV de baptismo infantium 444; — quemlibet hominem valide baptizare 468; — Christum in eucharistia veraciter contineri 641; — de transubstantiatione 680; — praecipit communionem paschalem 813; — solum sacerdotem esse ministrum eucharistiae conficiendae 829.
- Latria definitur 834; — ad actus externos latriae pertinet sacrificium 835.
- Lehmkuhl: suppositio genitoris et geniti pro Patre et Filio in forma baptismi 384.
- Leo *Magnus*, S., de baptismo haereticorum 243; — baptismum quolibet tempore periclitantibus esse tribuendum 413; — docet realem praesentiam Christi in eucharistia 638.
- Leo IX *papa* damnat asserentes panem fermentatum esse de necessitate eucharistiae 762.
- Lessins, *Leonardus*, S. J.: Non est realis oppositio inter eius doctrinam de transubstantiatione et doctrinam S. Thomae 686 nota; — Christum totum esse in singulis partibus specierum etiam ante separationem 739; — sub quo respectu consecratio dici possit actio sacrificab's 905.
- Lex *vetus* quid intellegatur 54; — fuerunt in vetere lege sacramenta 55 sqq.
- Liturgia: definitio 650; — divisio 652 sq; — quanta sit auctoritas liturgiarum in rebus dogmaticis 654; — liturgiae profitentur realem praesentiam Christi in eucharistia 655 sqq.
- Lombardus, *Petrus*, docet septenarium numerum sacramentorum 70; — baptismum in nomine Iesu collatum esse validum 378; — docet realem praesentiam Christi in eucharistia 647; — de transubstantiatione 676.
- Lotio *pedum* ut caerimonia sacra 94 sqq; — num sit sacramentale 333.
- Lugo, *card, de*, de gratia, quam causerint sacramenta veteris legis 20; — in statu originalis innocentiae nulla fuisse sacramenta 38; — de ministro non deputato et indigne ministrante 256; — occulte indigno quando sacramenta sint deneganda 302; — de re-reviventia sacramentorum 316: — de

- efficacia sacramentalium 338; — ad sacrificium requiri destructionem 841; — repraesentatio passionis Christi missae essentialis est 891; — ratio sacrificii in eo est, quod Christus ponitur in statu cibi et potus 907; — quomodo actio sacrificialis Christi in missa sit impetratoria 927.
- Lutherus de numero sacramentorum 67; — reicit doctrinam de efficacia sacramentorum ex opere operato 113; — negavit omnem differentiam inter sacramenta veteris et novae legis 120; — spernit testimonium SS. Patrum de efficacia sacramentorum ex opere operato 122; — docet daemones posse sacramenta ministrare 230; — docet sacramenta valere, etsi per apertum iocum et mimice perficiantur 278; — erravit circa formam baptismi 377; — item circa effectum eius 397; — de sacramento confirmationis 491; — in nonnullis recedit a doctrina catholica de sacramento eucharistiae 568 sq; — de depravationibus verborum 'Hoc est corpus meum' 592 nota; — eucharistiam remittere peccata 787.
- Macarius *Magnes* de reali praesentia Christi in eucharistia 620.
- Maiziuni non est materia sufficiens eucharistiae conficiendae 759.
- Malachias *propheta* 1, 11 praedixit in ecclesia Christi futurum esse sacrificium proprie dictum 853 sqq.
- Manichaei aqua omnino uti volebant ad sanctificandos homines 357.
- Manus *impositio* quid sit apud latinos, quid apud graecos 88 nota; — *vide* Confirmatio.
- Maria *virgo* num etiam subiacuerit praecepto suscipiendi baptismum 440.
- Martinus V de intentione ministri 269; — non sufficit intentio mere externa 280.
- Martyrium cur non sit sacramentum 22; — definitur 424; — baptismus suppleri potest martyrio 425 sqq; — dispositio adulti ad effectum martyrii consequendum 429; — quasi ex opere operato efficaciam habet 430; — de praeparatione ad martyrium 431; — martyrium non est sacrificium 848.
- Maruthas, episcopus tagritensis, de sensu verborum 'Hoc est corpus meum' 601.
- Materia et forma *sacramenta* physice perficiuntur 24 sqq; — materia et forma, probabilius sunt partes constituentes sacramentorum 34; — quaenam conjunctio verborum cum materia fieri debeat in sacramento administrando 35; — sacramenta veteris testamenti non constabant materia et forma 36; — Christus determinavit materiam et formam sacramentorum 219 sqq; — quae materia et forma sit specificè eadem 224; — *vide* Baptismus, Confirmatio, Eucharistia.
- Matrimonium *Adae et Evae* non fuit sacramentum presse dictum 42.
- Melanchthon quotnam sacramenta admiserit 67; — epistolam mittit ad Ioasaph II, patriarcham constantinop., de numero sacramentorum 77; — confirmationem olim fuisse meram caerimoniam 491; — doctrina de reali praesentia Christi in eucharistia 572.
- Melchisedech, *rex Salem*, est typus Christi 861 sqq.
- Milevitannum II nomen *formae* sacramentelle alio sensu adhibuit 26; — de efficacia sacramentorum ex opere operato 123; — baptismo homo regeneratur 403; — parvulos fructuose baptizari posse 444.
- Milium (Hirse) non est materia sufficiens eucharistiae conficiendae 759.
- Minister sacramentorum agit personam Christi 143 232; — solus homo viator est *ordinarius* minister sacramentorum 229 sq; — non omnes homines possunt omnia sacramenta administrare 231; — minister *publicus* quis sit *ib.*; — *vide* Baptismus, Confirmatio, Eucharistia.
- Fides et probitas* ministri: valor sacramentorum non pendet a fide ministri 234 sqq; — neque ab eius probitate 246sqq; — S. Basilii et aliorum sententia 249. — Ad *liceitatem* administrationis requiritur status gratiae 252 sqq; — num etiam si quis non ex officio deputatus administret sacramenta 255 sqq — vel si deputatus quidem sed in casu necessitatis sine sollemnitate administret 257; — num peccator obligetur ad confessionem ante administrationem sacramentorum 259; — num status gratiae ad alias functiones sacras requiratur 260; — quoties peccet, qui in statu peccati mortalis audit confessiones 261.
- Intentio* ministri: quid sit intentio 263; — ad valide conficienda sacramenta debet minister saltem habere intentionem faciendi, quod facit ecclesia 265 sqq; — non requiritur, ut minister sit attentus 273; — intentio debet esse absoluta 274 — et versari circa determinatam materiam 275; — non sufficit intentio mere externa, sed requiritur interna 276 sqq; — solvuntur quaedam rationes adversariorum

283 sqq; — practice inutilitas sententiae contrariae 287; — de intentionibus contrariis 288.

Obligatio ministri *dandi* sacramenta 289 sqq; — *obligatio denegandi* indignis 295 sqq; — num liceat administrare sacramentum ei, qui aliter minatur mortem 303; — num liceat aliquando simulare sacramentum ad cavendam indignam susceptionem 304.

A quonam ministro liceat aut non liceat petere sacramentum 323 sqq.

Missa est verum sacrificium: constat ex vaticiniis veteris testamenti 853 sqq; — ex doctrina novi testamenti 866 sqq; — ex traditione 879 sqq; — de nomine missae 885. — *Essentia*: missa ex institutione Christi est sacrificium repraesentativum crucis 886 sqq; — repraesentatio passionis Christi missae essentialis est 890 sqq; — Christus est res oblata in sacrificio missae 893 sq; — Christus offertur per consecrationem 895 sqq; — in missa actio sacrificialis ita circa rem sacrificandam versatur, ut per hanc actionem producatur victima 903 sq; — per consecrationem Christus ponitur in statu victimae, quatenus vi verborum sanguis eius a corpore mystice separatur 905 sqq; — utrum missa sit idem an aliud sacrificium ac sacrificium crucis 916. — *Efficacia*: missa est sacrificium laetiticum et eucharisticum 917; — missae in honorem sanctorum offerri possunt 918 sqq; — missa est sacrificium propitiatorium et impetratorium 920 sq; — de valore sacrificii missae infinito aut finito 931 sqq; — de fructu missae generali, speciali, specialissimo 937.

Missale romanum: intentio conficientis sacramentum debet versari circa determinatam materiam 275; — si materia eucharistiae non sit panis triticeus, non confici sacramentum 759; — vinum non debere esse penitus acetum vel corruptum 761; — mixtio aquae cum vino in calice non est de necessitate sacramenti 763; — de forma eucharistiae conficiendae 777; — missa exhibetur ut sacrificium repraesentativum crucis 889.

Modernistarum errores de sacramentis 210 nota 411 498 599 nota.

Moehler, J. A., minus bene explicat sensum formulae „ex opere operato” 130.

Mogilas, Petrus, fuse agit de septem sacramentis 79.

Mysteria gentilium et sacramenta christianorum 3

N.

Necessitas sacramentorum 86 307: — vide Baptismus, Confirmatio, Eucharistia.

Nicaenum I: valor sacramentorum non pendet a fide ministri 248.

Nicaenum II (*Conc. VII*): quo sensu SS. Patres panem et vinum ante consecrationem vocaverint antitypa 624.

Nicolaus I *papa* de ministro indigno 252; — num affirmaverit validitatem baptismi in solo nomino Iesu collati 389.

Novatiani *haeretici* neglegebant sacramentum confirmationis 491.

Numerus septenariussacramentorum 67sqq.

O.

Obex quid vocetur 110.

Officium, Sanctum, vide Inquisitio.

Oleum *catechumenorum* 485; — oleum *olivarum* essentialiter requiritur ad confirmationem 503; — num omne oleum ab episcopo consecratum sit materia valida confirmationis 509.

Optatas *Milev.* de baptismo haeticorum 249.

Opus *operatum* definitur 109 sqq; — sacramenta novae legis gratiam conferunt ex opere operato 118 sqq; — sacramenta veteris legis non producebant gratiam ex opere operato 169 sq — neque sacramentalia producant 335; — baptismus Iohannis non habuit efficaciam ex opere operato 356.

Oratio *dominica* num sit sacramentale 333.

Ordines *sacri*: validitas ordinum Anglicanorum 226 nota.

Orientalis *haeretici* et *schismatici* consentiunt nobiscum quoad numerum septenarium sacramentorum 75 sqq.

Origenes extremam unctionem coniungit cum sacramento paenitentiae 88; — ex apostolica traditione esse etiam parvulos baptizandos 443; — sacramentum confirmationis 497; — eucharistiam vocat corpus Christi 616.

(Ornatus *quidand*, quem multi veteres thomistae physice sacramentis produci putabant 154.

Oryza (Reis) non est materia sufficiens eucharistiae conficiendae 759.

Otto, S., episcopus bambergensis, enumerat septem sacramenta 70.

Pacianus, S., de confirmatione 497.

Palmieri de obiectiva realitate specierum sacramentalium 703.

Paludanus de necessitate benedictionis olei confirmationis et infirmorum 213 nota.

- Panes *propositionis*: num eorum esus fuerit sacramentum legis veteris 61.
- Panicum (Buchweizen) non est materia sufficiens eucharistiae conficiendae 759.
- Panis *triticeus* et vinum de vite est materia remota, ex qua conficitur eucharistia 754; — num omnis panis frumentaceus sit materia sufficiens 758 sq; — in ecclesia latina panis debet esse azymus, in ecclesia graeca fermentatus 762.
- Paschasius *Radbertus*, monachus corbeien-sis, de reali praesentia Christi in eu-charistia 642.
- Patrinns *baptismi* 473 sqq; — *confirma-tionis* 557.
- Pelagius I *papa* in forma baptismi essen-tialem dicit distinctam Trinitatis ex-pressionem 379.
- Peli de sacrificio missae 916.
- Pererius do Melchisedech 862.
- Petrus *AUiacensis*: in eucharistia manere accidentia sine subiecto 708.
- Petrus *de Bruis* docebat sacerdotes nul-lam habere potestatem consecrandi 566.
- Petrus *Pictaviensis* primus usus est voca-bulo operis operati 127.
- Pius VI de transsubstantiatione contra syn. Pistor. 680.
- Pius VII de forma eucharistiae perficiendae 777.
- Pius X de potestate ecclesiae in sacra-menta 223.
- Pontificale *romanum*: etiam infantes esse capaces recipiendi confirmationem 536.
- Pourrat de auctore sacramentorum 223.
- Presbyteri sunt ministri baptismi 465; — eucharistiae 828 sqq; — extraordinarii confirmationis 550 sqq.
- Propositio *praciica* quid sit 607.
- Protestantes duo tantum videntur ad-mittere sacramenta 67; — graecos schismaticos cenantur in suas partes trahere 77 sqq; — reiciunt doctrinam catholicam de opere operato 113 sqq; — fides, qualem ipsi postulant, nullo modo iustificat 126; — de opere ope-rato apud scholasticos 128; — verba sacramentalia esse tantum promissoria et concionatoria 131 sqq; — plerique negant apud Io 6, 48 sqq sermonem esse de eucharistia 576.
- Prudentius de confirmatione 497.
- Puniet: Papyrus Dêr-Balyzeh 779.
- R.
- Rabanus *Maurus* de reali praesentia Christi in eucharistia 643 sqq.
- Ratramnus de reali praesentia Christi in eucharistia 645.
- Rebaptismus 188.
- Reinhold: num S. Thomas docuerit cau-salitate[m] moralem sacramentorum 166 nota; — quomodo explicanda sit cau-salitate sacramentorum 168.
- Renz de sacrificio missae 841 870 897.
- Reproductio quid sit et a quibus defen-datur 693; — non sufficit ad explican-dam transsubstantiationem 695.
- Res *et sacramentum* quid sit 202; — quomodo intellegatur in eucharistia 767.
- Reviviscentia *sacramentorum* est validum argumentum contra causalitate[m] phy-sicam sacramentorum 165; — explicatur 314 sqq.
- Rituale *romanum*: ritu sollemni et ex officio sacramenta indigne ministrantes peccare mortaliter 252; — occulte in-dignis occulte petentibus sacramenta esse deneganda 300; — item publice indignis quomodocumque petentibus 302; — de caerimoniis strictae obligationis 345; — de materia licita baptismi sollemnis 362; — infans baptizandus nondum plene natus 367; — de ritu adhibendo 369; — forma condicionali baptismi quando uti liceat 406; — ad-ulti, quantum fieri potest, baptizentur sabbatis paschatis vel pentecostes 438; — foetus animatus baptizari debet 446; — infantes mox baptizentur 448; — in utero matris inclusos baptizari non de-bere 451; — parochum in sua parochia esse ministrum ordinarium baptismi 464; — lex ecclesiastica quoad ministrum baptismi 471; — de patrinis baptismi 474; — de novi nominis impositione in baptismo 487; — de obligatione ser-vandi caerimonias 489; — chrisma debet ab episcopo esse benedictum 506; — de forma confirmationis 522.
- Ritualistae *anglicani* negant transsubstan-tiationem 574.
- Ritus gentilium et sacramenta Christia-norum 3.
- Rupertus *Tuitiensis*: substantiam panis manentem hypostatice uniri cum Christo in eucharistia 683; — de nomine mis-sae 885.
- S.
- Sacerdotes *vide* Presbyteri.
- Sacramentalia 328 sqq; — non producent gratiam sanctificantem ex opere operato 335; — num alias gratias possint con-ferre ex opere operato 336 sq; -- ha-bent specialem efficaciam 338 eqq; quaedam ex praecepto observari debent, quaedam libero fidelium usui relicta sunt 345 sq.
- Sacramentum: sacramenta Christianorum et ritus gentilium 3.

- Essentia: nomen sacramenti* 9 sqq. — *Definitio: generica* 13 sqq; — *specifica sacramentorum veteris et novae legis* 19; — *in novi testamenti signo sacramentali tria significantur* 21; — *cur variae res sacramentis affines non sint sacramenta* 22; — *utrum sacramentum sit ens reale an ens rationis* 23. — *Materia et forma: sacramenta novae legis physice perficiuntur rebus tamquam materia et verbis tamquam forma* 24 sqq; — *vide* Materia. Forma.
- Exsistentia; in statu originalis innocentiae* nullum exstitit sacramentum 38; — *num, si status ille diutius durasset, conveniens fuisset sacramentorum institutio* 39 sqq; — *matrimonium Adae et Evae non fuit sacramentum prescriptum* 42. — *In statu legis naturae exstitit remedium pro salute infantium, quod probabilius fuit sacramentum* 43 sqq; — *cur nihil revelatum sit de illo ritu* 51; — *num melior tunc fuerit condicio infantium* 52; *num in lege naturae etiam alia fuerint sacramenta* 53. — *In lege veteri fuerunt sacramenta* 55 sqq; — *quaenam fuerint* 59 sqq. — *In lege nova existunt sacramenta* 65 sq.
- Numerus sacramentorum vide* Numerus.
- Divisio sacramentorum* 7 85.
- Efficacia vide* Efficacia.
- Causalitas sacramentorum vide* Causalitas.
- Institutio sacramentorum: sacramenta convenienter instituta sunt* 2 sq; — *indigent institutore* 203. — *Causa meritoria institutionis: Christus passione sua meruit sacramentorum virtutem* 204 sqq; — *omnia sacramenta immediate ad Christum referuntur* 209. — *Causa instrumentalis institutionis: Christus qua homo omnia sacramenta immediate instituit* 210 sqq; — *quomodo Christus habeat potestatem excellentiae circa sacramenta* 218; — *Christus determinavit materiam et formam sacramentorum* 219 sqq.
- Minister sacramentorum vide* Minister.
- Subiectum sacramentorum vide* Subiectum.
- Sacrificium definitur et explicatur* 834 sqq; — *materia sacrificii remota et proxima* 840 sq; — *forma physica est sensibilis oblatio rei mactatae* 842 sqq; — *martyrium non est sacrificium* 848; — *divisio in varia genera* 850; — *ratio typica vel mystica* 851; — *sacrificium relativum, sacrificium absolutum* 886; — *sacrificium missae vide* Missa.
- Sacrilegium definitur* 322.
- Sal benedictum ad quid immittatur in os baptizandi* 484.
- Sanctificatio duplex: interior (spiritualis) et exterior (legalis, levitica)* 17; — *num fuerit de essentia sacramentorum veteris testamenti, ut saltem sanctificationem legalem conferrent* *ib.*; — *sacramenta omnia aliquam sanctificationem conferunt* *ib.*; — *et quidem eam, quam immediate significant* 20; — *eamque conferunt ex opere operato* 109 sqq; — *sacramenta sunt verae causae nostrae sanctificationis* 138 sqq.
- Scheeben, J. los., de causalitate sacramentorum* 168.
- Schwetz de sacramentalibus* 333.
- Scotus non exclusit bonum motum in eo, qui sacramentum suscipit* 128; — *per circumcisionem peccatum originale delebatur* 174; — *quo tempore baptismus institutus sit* 354; — *de consensu baptismum recipiendi vi aut metu extorto* 434; — *de transsubstantiatione* 671 sq.
- Secale (Roggen) non est materia sufficiens eucharistiae conficiendae* 759.
- Serapionis sacramentarium* 497 652 656.
- Siricius papa de baptismo haereticorum* 243.
- Sonnacius, S., episcopus remensis, in Statutis synodalibus primo commemorat numerum septenarium sacramentorum* 70.
- Soto, Dominicus, O. Pr., de numero sacramentorum* 72; — *sacramenta habere virtutem ex passione Christi* 206; — *ritu sollemni et ex officio sacramenta indigne ministrantes peccare mortaliter* 254; — *in eucharistia manere accidentia sine subiecto* 707; — *communionem sacerdotis requiri ad essentiam missae* 897.
- Species eucharistiae: convenit iis obiectiva realitas* 699 sqq; — *de actionibus et passionibus specierum* 717 sqq; — *de mixtione specierum cum materia non consecrata* 721; — *Christus totus est sub utraque specie* 724 sqq; — *Christus totus est in qualibet parte specierum* 734 sqq; — *quae unio intercedat inter Christum et species sacramentales* 742 sqq; — *de denominationibus, actionibus, passionibus Christi in eucharistia* 745 sqq; — *species sunt sacramentum tantum, corpus Christi est res et sacramentum* 767.
- Spitta de ultima cena* 597.
- Status originalis innocentiae quid intellegatur* 37; — *in eo nulla fuerunt sacramenta* 38 — *num, si ille status diutius durasset, conveniens fuisset institutio sacramentorum* 39 sqq; — *status legis naturae quid sit* 43; — *exstitit in*

- eo remedium contra peccatum originale pro infantibus, quod probabilius fuit sacramentum 44 sqq; — num melior fuerit condicio infantium in lege naturae 52; — num in illo statu etiam alia fuerint sacramenta 53. *Vide* Lex vetus.
- Stephani, S., papae, responsum ad S. Cyprianum datum de rebaptizandis 236.
- Straub de auctore sacramentorum 219; — de confirmatione 554.
- Suarez de materia et forma sacramentorum 31; — in statu originalis innocentiae nulla fuisse sacramenta 38; — sed si status ille diutius durasset, fuissent convenientia 40; — docet in statu legis naturae exstitisse remedium contra peccatum originale pro infantibus 46; — de numero sacramentorum 72; — de congruentiis pro numero septenario sacramentorum afferri solitis 84; — singula sacramenta habere proprias sacramentales gratias 136; — circumcisio pro pueris iudaeorum erat remedium peccati originalis 174; — gravem censuram infligit doctrinae Durandi de caractere sacramentali 190; — num tria tantum sacramenta imprimant characterem 201; — non ex officio, licet indigne sacramenta ministrantes non peccare graviter 255; — de intentione ministri 267; — sacramentalia non esse instituta a Christo ipso 330.
- Baptismus* quo tempore sit institutus 352 354; — suppositio genitoris et geniti pro Patre et Filio in forma baptismi 384; — in forma exprimi debet tum actio baptizantis tum subiectum baptismi 393; — non esse de essentia formae, ut in ea exprimat persona ministri 395; — infantes sine baptismo non possunt salvari 415; — votum baptismi non debet necessario esse explicitum 422; — ut baptismus adulti sit validus, sufficit intentio eius habitualis 433; — in consensu praestando ad baptismum suscipiendum homo plenissime est sui iuris 435; — postulat expressam voluntatem recipientis baptismum 439; — de tempore baptizandi infantes 447; — parvulos in utero inclusos valide baptizari 452; — de ministro baptismi 466; — in casu necessitatis unumquemque licite baptizare 469.
- Confirmatio*: chrisma debet esse ab episcopo benedictum 506; — num simplici sacerdoti possit concedi facultas conficiendi chrismatis 508; — chrismatio debet fieri in forma crucis 514 — est quaedam manus impositio 519; — de forma confirmationis 521;
- quibus convenienter conferatur confirmatio 537.
- Eucharistia*: de ambiguis locutionibus priscorum Patrum 617; — rationes convenientiae affert pro reali praesentia Christi in eucharistia 647; — Durandi sententia de transsubstantiatione 682; — dogma transsubstantiationis tria continet 689; — de adductione 692; — defendit reproductionem 693; — in eucharistia manent accidentia sine subiecto 707; — Verbum concomitanter tantum praesens fieri in sacramento 732; — Christum totum esse in singulis partibus specierum etiam ante separationem 737; — corpus Christi in eucharistia nihil pati posse ab extrinseco 746; — solum panem triticeum esse materiam sufficientem 758; — Christum iisdem verbis consecrasset, quibus nunc fit consecratio 778; — num verba sint forma constitutiva huius sacramenti 785; — effectus eucharistiae est specialis animae cum Christo unio 793; — de necessitate sacramenti 805; — de praecepto divino accipiendi communionem in articulo mortis 811; — de ministro ordinario distribuendae eucharistiae 830; — de forma physica sacrificii 844; — repraesentatio passionis Christi missae essentialis est 891; — sub quo respectu consecratio dici possit actio sacrificialis 903 905.
- Subiectum sacramentorum. *Subiectum capax* est solus homo viator 305 sq; — sed non quilibet homo est subiectum capax cuiuslibet sacramenti 307; — de obligatione suscipiendi sacramenta 308.
- Intentio suscipiendi* sacramenta in adultis requiritur ad valorem eorundem 309 sqq.
- Fides et probitas* subiecti nulla requiritur ad *validam* tantum sacramentorum susceptionem 312; — excipitur sola paenitentia 313; — ad *licitam* et fructuosam sacramentorum susceptionem requiritur dispositio susipientis adulti 317 sqq; — qui scienter sine debita dispositione sacramentum aliquod suscipit, sacrilegium committit 322; — ad licitam susceptionem praeterea requiritur, ut sacramentum a debito ministro petatur 323 sqq; — *vide* Baptismus, Confirmatio, Eucharistia.
- Tarasius, S., de ordinationibus haereticorum 243.
- Tempus baptismi 413 448 sq.
- Tertullianus de ritibus gentilium 3; — de nomine *sacramenti* 10; — de vi

- argumenti ex consensu ecclesiarum petiti 82; — indicat varia sacramenta 88; — docet sacramenta novae legis sanctificare ex opere operato 121; — de baptismo haereticorum 234; — docet baptismum esse verum sacramentum 350 — institutum post resurrectionem 355; — aqua naturalis est materia baptismi 359; — cur Christus baptismo assignaverit aquam ut materiam 361; — de trina ablutione 376; — de distincta expressione SS. Trinitatis in forma baptismi 382; — baptismo remittitur omnis reatus culpae et poenae 399; — baptismus fluminis omnibus est necessarius ad salutem 412; — omne tempus dicit habile baptismo 413; — baptismum posse suppleri martyrio 426; — putat melius esse infantibus differre baptismum 449; — diaconum esse ministrum extraordinarium baptismi 468; — testatur sacramentum confirmationis 497; — chrismationem debere fieri in fronte confirmandi 513; — docet realem praesentiam Christi in eucharistia 614; — de sacrificio missae 881; — missae in honorem martyrum offerebantur 918.
- Theodoretas de disciplina arcani 91.
- Theophilus, S., de ritibus gentilium 3; — primus commemorare videtur sacramentum confirmationis 497.
- Theophilus *Raynaudus*: in eucharistia manere accidentia sine subiecto 708.
- Theophylactus de transsubstantiatione 690.
- Thomas *Aquinas*, S., *de sacram, in genere*: sacramentorum institutio homini fuit conveniens 2; — definitio sacramenti 17; — de multiplici significatione sacramentorum 21; — sacramenta perficiuntur materia et forma 31; — materia et forma sunt partes constituentes sacramentorum 34; — rationem reddit, cur sacramenta veteris testamenti non constiterint materia et forma 36; — quamvis status originalis innocentiae diutius durasset, tamen nulla in eo futura fuissent sacramenta 39; — affert rationes convenientiae pro existentia sacramentorum in lege vetere 57; — circumcisio erat sacramentum illius temporis 59; — in lege nova existunt sacramenta 66; — de gratia, quae est primarius effectus sacramentorum novae legis 103; — de gratia sacramentali 137; — de causalitate sacramentorum 140; — minister sacramentorum est instrumentum agens in virtute Christi 143; — quomodo sacramenta sint instrumenta Dei 148; — num moralem tantum an physicam etiam efficaciam sacramentorum docuerit 166 sqq; — sacramenta veteris legis non conferebant gratiam ex opere operato 170; — in circumcissione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiae effectus 174 non ex virtute circumcissionis sed ex virtute fidei passionis Christi 176; de caractere sacramentali 180 193; verba 2 *Cor 1, 21 22* explicat 182; caractere sacramentali homo configuratur Christo sacerdoti 194 sqq; — docet characterem manere in altera vita 200; — sacramenta ecclesiae specialiter habere virtutem ex passione Christi 205; — de potestate excellentiae, quam Christus habet circa sacramenta 218; — Christus determinavit materiam et formam sacramentorum 222; — de additione verborum ad formam 225; — in casu necessitatis administrans sacramenta non se exhibet ministrum ecclesiae 232; — valor sacramentorum non pendet a fide ministri 245 250; — indigne ministrantes sacramenta mortaliter peccare 252 — excepto casu necessitatis 257; — requiri intentionem ministri 267; — ad valorem sacramenti non requiri attentionem ministri 273, — non docuit intentionem mere externam 285; — indignam susceptionem interdum permitti posse 297; — ex rationabili causa sacramenta licet petere ab indigno ministro 326.
- Baptismus* quandonam institutus sit 352; — baptismus Ioannis non erat per se sacramentum 356; — cur valeat sola ablutio capitis 366; — de ritu immersionis 369; — de ritu aspersionis et infusionis 373; — cur in forma baptismi exprimi debeat actio baptizantis 393; — num debeat exprimi persona ministri 395; — baptismo homini datur ius ad speciales gratias actuales 404; — infantes sine baptismo salvari non possunt 415; — devoto baptismi 421; — cur Deus martyrium loco baptismi accipiat 428; — dispositio adulti, ut effectum martyrii consequi possit 429; — non requiritur confessio ad suscipiendum baptismum 436; — parvulos in utero inclusos valide baptizari non posse 451; — infantes infidelium non baptizari licite invitis parentibus 457; — de ministro ordinario baptismi sollemnis 465; — cur ad baptismum adhibeatur patrinns 476; — de officio patrinorum 477.
- Confirmatio*: sola chrismatio est materia proxima essentialis 513; — de effectu 531; — omnis homo baptizatus est capax recipiendi confirmationem 536.
- Eucharistiam* continere verum corpus et sanguinem Christi 647; — de corruptione specierum 718; — Christus

totus est sub utraque specie 731 — et totus in singulis partibus 740; — num Christus in sacramento sit cum sua quantitate 741; — quae unio intercedat inter Christum et species sacramentales 742; — eucharistia quomodo deleat poenas temporales 795; — sacrificium est in genere signi 838 sq; — repraesentatio passionis Christi missae essentialis est 891; — per consecrationem Christus producit in statu mysticae mactationis 911.

Toletus, *cardinalis*, dicit in eucharistia manere accidentia sine subiecto 707; — de apparitionibus Christi in eucharistia 723.

Tongiorgi, *Salvator*, S. J., de obiectiva realitate specierum sacramentalium 702.

Tonttaeus de benedictione aquae baptismatis 362.

Transsubstantiatio 667 sqq; — *vide* Eucharistia.

Tridentinum *de sacramentis, in genere*: docet sacramenta novae legis essentialiter differre a sacramentis antiquae legis 13; — de materia et forma sacramentorum 33; — docet in vetere lege fuisse sacramenta 58; — sacramenta novae legis esse septem 71; — varias justificationis nostrae causas affert 112; — sacramenta conferunt gratiam ex opere operato 123 — et secundum cuiusque dispositionem et cooperationem 134; — de causalitate sacramentorum 140; — Christus meruit sacramentorum virtutem 204; — omnia novae legis sacramenta a Christo Domino fuerunt instituta 210; — declarat ecclesiam posse statuere vel mutare quaedam in sacramentorum administratione 220; — non omnes homines possunt omnia sacramenta administrare 231; — valorem sacramentorum non pendere a fide ministri 243 — neque a probitate eiusdem 247; — requiri intentionem ministri conficientis 269 — et quidem intentionem internam 280; — pastores animarum obligari ad sacramenta administranda 291; — a susceptione ordinum peccatorem etiam occultum repelli posse 298; — de intentione suscipientis sacramentum 310; — de dispositione subiecti 319; — in articulo mortis sacramenta accipi posse a quolibet ministro 324; — utilitas caerimoniarum 329 — quasdam esse strictae obligationis 345.

Baptismus est verum sacramentum 351; — baptismus Ioannis differt a baptismo Christi 356; — definit aquam naturalem esse de necessitate baptismi 360; — baptismo remittitur omnis rea-

tus culpa et poenae 400; — infunduntur habitus gratiae et donorum 401; — in baptizatis manet concupiscentia 408; — de voto baptismi 420: — vigen lex de patrinis baptismi 474.

Confirmationem esse verum et proprium sacramentum 498; — imprimi characterem 534; — minister ordinarius est episcopus 546.

Eucharistia: Christum Dominum in ultima cena instituisse eucharistiam 591; — de reali praesentia Christi in eucharistia 641; — doctrina de transsubstantiatione 672 680; — in eucharistia manere accidentia sine subiecto 709; — Christum totum esse sub utraque specie 728 — et totum in singulis partibus 736; — vino ante consecrationem aqua miscenda est 763; — eucharistiam esse sacramentum permanens 784; — de praecepto confitendi ante communionem 790; — eucharistia remittit peccata venialia et praeservat a mortalibus 794; — non est necessaria necessitate medii 804 — sed necessitate praecepti divini 808; — de communione sub utraque specie 819; — omnem hominem baptizatum esse subiectum huius sacramenti 824; — solos sacerdotes esse ministros eucharistiae conficiendae 829; — ministros ordinarios eucharistiae distribuendae esse omnes et solos sacerdotes 831; — missa est verum sacrificium 884 — repraesentativum crucis 887; — Christus est res oblata in sacrificio missae 893; — distributio communionis non est de essentia missae 896; — missae in honorem sanctorum offerri possunt 918; — missa est omnium sacrificiorum consummatio et perfectio 920; — qui sit effectus propitiatorius missae 927.

U.

Ubiquistae quid doceant de eucharistia 668.

Utraquistae defendunt necessitatem communionis sub utraque specie 816.

V.

Vazquez de definitione genetica sacramentorum 20; — docet idem sacramentum, quantum ex se. eandem in omnibus producere gratiam 133; — de sententia eorum, qui effectum sacramentalem attribuunt ultimae syllabae formae 164; — de reviviscentia sacramentorum 315; — de forma physica sacrificii 844; — repraesentatio passionis Christi missae essentialis est 891;

- sub quo respectu consecratio dici possit actio sacrificialis 905.
- Vega, *Andreas*: num materia et forma sint partes constituentes sacramentorum 34.
- Verba *et res*, quibus sacramenta physice perficiuntur, quomodo sint intellegenda 25.
- Viaticum num liceat dari iis, qui capitis damnati sunt 812; — eius administratio est exclusive parochorum 830.
- Viennense; baptismo remittitur omnis reatus culpae et poenae 401; — infunduntur habitus gratiae et donorum *ib.*
- Vinum *de vite* et panis triticeus sunt materia remota, ex qua confici potest eucharistia 754 sqq.
- Virtutes *infusae* in susceptione sacramentorum vel primo accipiuntur vel augentur 108.
- Wiclif negat characterem sacramentalem 179; — negat necessitatem baptismi fluminis 409; — doctrina do roali praesentia Christi in eucharistia 641.
- Wielantl, *Fr.*, de eucharistia 874.
- Wiseman, *card.*, optime Io 6, 48 sqq exponit et de eucharistia intellegi debere demonstrat 577; — impossibilis est sensus metaphoricus 584; — solvit difficultatem aliquam 601.

X.

Xenaias *Mabugensis*, theologus monophysita, docet realem praesentiam Christi in eucharistia 648.

Zacharias, S., *papa*[^] de corruptione formae sacramentorum 226; — distinctam invocationem SS. Trinitatis esse essentialem in forma baptismi 379.

Zwinglius duo tantum sacramenta admittit 67; — falsa docet de efficacia sacramentorum 114; — negat realem praesentiam Christi in eucharistia 570.

